


Alricus Sluter:

CONSTANTINI

HARMENOPVLI IVDICIS

THESSALONICENSIS

PROMPTVARIVM

IVRIS CIVILIS

Latinè redditum per IOANNEM MERCERVM professorem Regium, Lutetiæ.



Indicatis paßim ad marginem Legum nostri iuris capitibus, cum quibus hæc consonant, & unde primùm sunt petita.

Adiecti sunt ad leuandum studiosorum laborem duo indices copiosissimi.




LVGDVNI,

Apud Matthiam Bonhomme.

1556

CVM PRIVILEGIO REGIS,

AD DECENNIVM.



Priuilegij exemplar ad finem libri appositum est: cuius finita fuit impressio quarto Id. Febr. anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimosexto.

VIRO

OMNI LITERARVM GENERE QVÀM ORNATISSIMO, PRISCÁQVE SENATORUM virtute summè conspicuo, MICHAELI HOSPITALIO supplicum libellorum in Regia magistro, Margaritæ Biturigum ducis augustissimæ, nomophylaci,

IO. MERCERVS S. P. D.



NTER Eos qui literarum monumentis inclarescere ac sempiternum nominis splendorem assequi student, non postremo loco habendos existimârim, vir ornatissime, qui aliorum scripta quæ ab omnibus cognosci & lectitari permagni intersit, in alias linguas non mediocri diligentia adhibita bona fide transfundunt. Tametsi enim primam laudem ipsis autoribus libens detulerim, haud tamen scio an illi proximè ad hos accedant. Ita enim fit, non solùm vt quæ anteà vix vni nota esse poterant nationi, iam cũ multis, si ita res ferat, communicentur, longéq; ac latè peruagetur: verùm etiam quæ à superioribus nuda ac ieiuna plerunq; accepta sint, exornent, condecorent, denique meliora faciant posteriores. Id quod de Græcis hoc est sua gente confirmat diuinus ille Plato in Epinomide, quæ à Barbaris horrida accepissent, cultiora eos ac splendidiora effecisse. Ὅ,τι περ Ἕλληνες, inquit, Βαρβάρων παρέλαβον, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται. Quantam, quæso, lucem, vt ad nostra & peruulgata veniam, sacris Bibliis inuexerunt, primùm celeberrima illa Ptolemæi auspiciis edita Septuaginta Interpretum translatio: deinde Ionathæ & aliorum Chaldæa paraphrasis? Taceo veterum Græciæ doctorum hexapla, & quotquot vsq;

in hodiernum diem eidem rei operam nauârunt. Quæ quidem interpretum varietas tantum abest vt lectori noceat, vt vel plurimum Augustino astipulante prosit. Hoc enim pacto fit vt nulli te addicas, aut in cuiusquam verba iures, sed ex omnibus diligentiùs collatis sensum elicias certum ac germanum. Nam licet vt in cæteris ita & in sacris præstet ex ipsis fontibus haurire, si cui eos adire non sit negatum, quia tamen id non omnibus aut occupationes, aut studia, & vitæ instituta, aut tempus denique ipsum permittit, vnicam quidem probârim interpretationem, sed ita fideliter elaboratam, vt omnia propriè, significanter & perspicuè reddantur. Sed quia non omnes omnia in re præsertim tam ardua sunt assecuti, multis collatis lector assiduus id obtinebit quod singuli præstare non poterant. Quid de iure ciuili dicam? Quanta Romanis hominibus vel toti potiùs orbi commoda attulerunt, qui primi ex Græcia Leges Romam importârunt, vnde, vt autor est Pomponius, nata est lex duodecim tabularum? Hinc nostris Iureconsultis amplissima seges & latissimus de iure disputandi campus apertus est. Qua occasione factum, vt institutis ac legibus nostri Græcos vincerent, nec iam nobis Græcorum leges, sed illis potiùs nostræ essent mutuandæ. Scis enim omnium optimè, vir multiplici rerum cognitione percelebris, penè totum ius nostrum Latinè conscriptum breui ad vniuersum orbem Romanum permanasse. Id autem vt Græci homines quibus erat ex præscripto legum Romanarum viuendum, sibi familiarius facerent, plerique Græcè reddiderunt. Quibus haud scio an tres illi celebratissimi principes, Basilius, Constantinus & Leo sint annumerandi, ex quorum Prochiro se fatetur suum coagmentasse noster Harmenopulus. Cùm enim, vt rem totam apertiùs exponam, Leges latè diffusas hi principes sexaginta libris compendio essent complexi, neq; eorum labor nostro Harmenopulo faceret satis, in sex volumina contulit quæ vix illi sexagenis explicare potuerant. Neque verò fusiùs hoc loco persequar, quantam hoc compendio laudem sit meritus. Certè totas nostrorum Iurisconsultorum leges ita sæpe proponit & declarat apertè, vt tria plerunque huius verba malim, quàm integras recentiorum paginas, verbosósque, ne dicam molestos nec satis puros commentarios. Sed hæc res eo legendo fiet planior. Enimuerò mirabere forsan, vir generosissime, quid sit quod cùm iam me totum, ita Regio

muu

munere postulante, linguæ Hebraicæ studiis addixerim, nunc tibi hunc librũ consecrem, qui à professione nostra planè abhorrere videatur. Rem breuiter perstringam. Antè quàm Lutetia in patriam redirem, ieceram equidem huius linguæ haud contemnenda fundamenta, atque eo maximè nomine hoc iter susceperam, vt Auenione collatis cum doctissimo quoque Hebræorum studiis, pleniorem linguæ sanctæ cognitionem adipiscerer. Sed cum in eadem ciuitate clarissimos iuris professores esse intelligerem, visum est eadem opera & iuri incumbere. Hîc primo anno exacto Tolosam peto. Ubi cum arridere inciperet legitima scientia, seriò huc animum appello, librósque omneis conquiro tam Græcos quàm Latinos, ex quibus commodiorem aliquam iuris perdiscẽdi rationem ineam. Inter alios mihi hoc Πρόχειρον occurrit: cuius vbi aliquot chartas legissem, necdum à quoquam Latino sermone donatum inuenissem, ad hanc rem multis etiam hortantibus & calcar (quod dici solet) addentibus, summo studio sum aggressus. Hîc per triennium aut quadriennium totus fui. Porrò cum me Germanus quidam anteuertisset vir sanè eruditus, placuit antè quàm institutum prosequerer, eius de Græcis conuersionem perlegere. Ea perlecta & propius atque accuratiùs cum Harmenopulo collata, non pauca desideraui. Quò factum est, vt nostram supprimendam non putarem, & quicquid ea in re laboris erat reliquum, libens exciperem, ac tanquam bona stadij parte confecta ad metam alacriùs aspirarem. Hanc ergò postea Lutetiæ sedulò recognitam cum à me Lugdunenses typographi postulassent, quo tempore à publico munere impetrato commeatu nostrates peterem, libenter obtuli, vt iuris candidatis liceret perspicere quantum inter nostram & priorem intersit interpretationem. Eam sub tuo præsertim nomine apparere vir clariss. æquissimum iudicaui, quòd te Iurisperitorum nostræ ætatis facilè principem, quemadmodum & cæterarum disciplinarum coryphæum esse intelligam. Quem excellenti virtute ac doctrina & singulari morum integritate præditum Rex Franciscus primùm in supremæ curiæ senatorum ordinem allegerit, deinde Henricus in Regiam accitum sibi à libellis supplicibus esse voluerit, Margarita huius soror illius filia, principum fœminarum decus & exemplar absolutissimum, summæ rerum suarum familiarium præfecerit, sibíque à consiliis primo loco esse iusserit. Quem deniq;

viri principes propter prudentiam atque in rebus agendis industriam reuereri, suspicere, & si quid subortum fuerit ardui, in consilium adhibere solent non secus ac alterum Nestora. Quid humanitatem memorem, qua viros literatos & qui rem literariam studiis suis promouere conantur excipis, tueris, colis & patrocinio ac autoritate tua subleuas? Id equidem cum in mea causa non semel sim expertus, tacitus præterire non possum. Quam vnà cum Iohanne Morello socero meo, homine tibi amicissimo, mihi multis nominibus obseruando, viro tum moribus & vitæ institutis tum eruditione & rerũ experimentis in nostra Gallia conspicuo, summa semper contentione egisti apud homines amplissimos. Qui me nuper eiusdem instinctu atque hortatu à maleuolorum hominum calumniis quibus penè opprimebar vindicaris, & tantùm non de possessione deiectum velut Prætoria autoritate restitueris, deniq; vt hoc munus sustinerem quod humeris incumbit, effeceris. Pro quibus beneficiis, vt alia taceam, quibus ab vtroque semper sum ornatus, cum non habeam quas aut tibi aut illi gratias referam, gratum certè animum quandiu vixero gerã, nec vlla temporis quantumlibet πολυτοβόρου vetustate tantorum meritorum recordationem apud me obliterari patiar. Intereà huius animi symbolum nostrum munusculum hilari, vt cætera soles, fronte excipito, habiturus à nobis aliquando, si cœptis faueat Dominus, & maiora, & Christianæ Reipublicæ vtiliora quæ iamdiu molimur. Bene vale vir spectatissime. Lutetiæ pridie Nonas Decembreis, anno humanæ salutis 1555.

AD LECTOREM.



NE TE Lector, characterum varietas quibus hoc opus est descriptum, turbet aut remoretur, de ea re hîc te paucis admonere visum est. Obseruabis itaque multis locis Harmenopulum Iurisconsultorum responsa & principum placita in hoc compendium relata, suis Scholiis aut explanationibus illustrasse. Quod cùm in exemplari Græco non vsque adeò accuratè præposito σχολίου aut ἐπεξηγήσεως nomine, semper esset distinctum, in hac interpretatione vt distingueretur sedulò curauimus, aut scholij nomen, quanquam in Græco non esset, præfigentes, aut vbi dubium videbatur, margini adiicientes videri scholium esse: Id quod vel diuersa literarum ratio satis indicare poterat. Sed & illud admonitione dignum, quoniam Græcus codex sæpe corruptus est, aut suspectus, aut etiam subobscurus, multa à nobis restituta esse loca, & apertiùs diligentiúsque explicata, aut certè nostrum de illis iudicium interpositum. Id alio etiam scripturæ genere exarandum duximus. Etsi, vt res tota planior esset, asteriscum prænotauimus. Id quicquid est, boni consules, ac tantisper dum exemplar emendatius fors obtulerit, vtêris frueris, nostrósque labores, quos in hoc thesauro proferendo, multis interim aliis occupationibus distracti excepimus sanè non mediocres, tibi exceptos, lector, existimabis. Vale.

LEGVM PROMPTVARIVM, QVAE ET HEXABIBLVS, SELECTIM VNDIQVE ET COMPENDIA-

riè collectum, itáque confectum à venerando in primis Legum præside & iudice Thessalonicensi Constantino Harmenopulo inter iudices primario.



Præuia cognitio atque exhortatio ad Iudices.



VI Sortitò, iudicandi facultas ac munus noménque obtigit, si quidem in eo studium curámque collocare voluerit, vt pulcherrimam hanc, quam nec Deus ipse repudiat, appellationem non dehonestet, vtque verum illum iudicem, qui & incorruptus est, nec personarum habet delectum, nec falli vnquam aut eludi [a] potest, solum adeò iustum, ac iustè cuique pro vitæ actæ dignitate præmia daturum, formidando & horrendo illo iudicij die propitium clementémque experiatur: is ante omnia illud animo reputet, se nullam ob rem aliam præsidere, nisi vt iustitiam colat, iúsque suum vnicuiq; tribuat: iniuriam propellat, & ab hominum consortio ableget quàm longissimè, & quotquot huic pertinaciter addicti sunt, de his quoad eius fieri poterit, pœnas sumat, tanquam Deum Opt. Max. nequaquam celaturus, siue hac siue alia quapiam ratione Rempubl. gesserit. Deum nanque celare homo [b] non potest, non iniuriam solùm inferens, sed ne cogitans quidem. Est autem iustitia, quam Deus qui sanè iustus est, maximè amplectitur, quáque, si vlla alia re, apprimè conciliatur & colitur. Quæ etiam è cælo prospicere, & ante Dei conspectum velut prænuntia quædam procedere dicitur. Qua vel totas gentes attolli & celebrari cùm audimus, tum verò indubitatò credimus. Quocirca vt eam nunquam non exerceamus, crebris Euangelij monitis interpellamur, vt quæ & in sublime euehat, & salutaris sit, Deóque gratissima. Deinde hęc quoque perpendat, ac assiduis co-

a *Iudiciũ enim Dei, veritatique nec fallit nec fallitur semper innititur. c. à nobis. ij. de sent. exc. c. Deus quãdo. xxiiij. q. iij. can. panem. de consec. dist. ij. c. spiritus sanctus. j. q. j.*

b *Deo enim omnia certa sunt. l. sed etsi. §. vlt. de iud. vbi naturæ nomine Deũ ipsum intelligi certum est.*

gitationibus ſecum ipſe reuoluat, quæ à Domino & Seruatore noſtro, vero Deo atque omnium æquiſsimo iudice dicta ſunt: Nolite [a] ex facie iudicare, ſed iuſtum iudicate iudicium. Et felices [b] illi, quotquot iuſtitiam eſuriunt ac ſitiunt: ipſi enim ſatiabuntur: ſiue terreſtre caducúmque ac corruptioni obnoxium, quo hîc nobis eſt vtendum alimentum, ſiue futuras potius delicias [c] quàm nutrimentum velis intelligi, delicias inquam & iucundiſsimas & gratuitas, quibus etiam nunc ſeſe in cælis oblectant omnes illæ virtutes poteſtatésque cæleſtes. His hunc in modum à Seruatore dictis, quæ iudicem & aſsiduè meminiſſe, & diligentiùs animo voluere par eſt, rerum huiuſmodi ſacrarum princeps præfectúſque, quantum equidem ſentio, ſpectatiſsimus, Magnus inquam Baſilius hæc ſequens ſic ferè & ipſe commentatur. Qui veram germanámque iuſtitiam non habet in animo repoſitam, ac velut ex præuia quadam meditatione reconditam, ſed aut pecuniis corrumpitur, aut amicis obſequitur, aut etiam inimicos vlciſcitur, aut alienā reformidat potentiam, rectè ius dicere, iudiciáq; exercere nō poteſt. Nec deeſt ex antiquis qui ita hortetur: Si vis, inquiens, æquam ſententiam ferre, neminem eorum qui iudicio aſsiſtunt cognoſce, ſed nudam ipſam ſimplicémque veritatem. Quin & mirandus ille Solomon ab immodica habendi cupiditate nos deterrens, áque ſordido parúmque liberali quæſtu, Potior [d] eſt, inquit, exigua perceptio cum iuſtitia coniuncta, quàm copioſi fructus cum iniuſtitia. Propterea quòd impiorum [e] ſceleratorúmq;, vt præclarè Ieſus filius Sirach ſcriptum reliquit, hominum opes areſcent, non ſecus ac torrens, reſonabúntque vt tonitru cum pluuia editum. Sed quamobrem quæſo? Quoniam quiſquis, inquit Cyrillus nobilis ſanè percelebríſque Theologus, iniuria afficitur, cùm dolore quidem conficiatur & incendatur, vlciſci verò aut parem referre gratiam nequeat, interdum quòd ſe videat tanta aduerſarij manu inferiorem ac imbecilliorem, ſupernæ illius, qua nihil quicquam fingi poteſt iuſtius, vindictæ ſtimulum in auxilium vocat. Quid verò tum accidat, Seruatorem rurſum audire operæpretium eſt, cuius illa ſunt verba: Qua menſura [f] menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Sed & his ſubſcribit Nyſſeus ille [g] Gregorius, Iuſtum, inquiens, Dei iudicium noſtros ferè affectus refert ac imitatur. Cuiuſmodi enim ea quæ apud nos aut à nobis fiunt, eſſe ſolent, talia etiam nobis penéque ſimilia præſtat præbétque Deus. Verùm enimuerò neque is ab omnibus à quibus offenditur pœnas in hac vita repoſcit, vt aureus ille cui non ab re nomen eſt inditum, Ioannes inquit Chryſoſtomus, vt ne ſcilicet de futura reſurrectione iudicióque deſperes, vtpote omnibus hîc, geſtorum rationem reddentibus, neque item omnes vbi ſcelus patrârint, impune abire ſinit, ne rurſum temere ac fortuitò regi ferríque omnia exiſtimes. Sed hæc quidem ita ex noſtræ religionis teſtibus ſint comprobata. Transeamus ad externos etiam ſcriptores & Platonem imprimis Philoſophum ita loquentem

audiamus

a Prouerb.24 Deuter.1. Ioan.7.

b Matth.5.

c τρυφὴν μᾶλλον ἢ τροφὴν, Latinus hanc vocum alluſionem non aſſequitur.

d Prouerb.16.

e Eccleſiaſt.40.

f Matth.7. Luc.6.

g Frater Baſilij Magni.

audiamus: Ei quidem est honos habendus, qui nemini iniurius est. Is verò qui alios à facienda iniuria cohibet, plus quàm duplum, si hunc cum illo conferas, honorem meretur. Ille siquidem vni duntaxat, hic plurimis aliis est æquiparandus. Atque hæc tantus Philosophus de potentibus, iísque qui aliquam habent in Republica autoritatem, siue principes sint, siue iudices, dicit ac statuit. His & illud Demosthenis est consonum, eos quàm maximè laudandos esse homines, qui nullam iuris dicundi sibi vtilitatem emolumentúmve proponant. Opes enim ac nummos possidere licet & comparare. Gloriam verò nummis redimi nec honestum est nec consentaneum. Porrò cùm ita affectus sit qui hisce omnibus acquiescit, iámq; præscripta ratione Rempublicam administrat, confidat is quidem non secus ac leo, fortíque atque infracto sit animo. Illud autem nôrit, quemadmodum recta statera neque à vera, neque à falsa & parum ęqua damnari potest ac velut in disquisitionem vocari: sic & iustum iudicem neque à iustis neque ab iniustis, vt scitè admonet Epictetus, argui. Quis enim tam està sensu communi alienus, qui non satius esse existimet iudicem æqua iuríque consona sententia lata, ab eo quem damnârit iniuria culpari, quàm vbi iniquè[a] iudicârit, iure ab eo qui damnatus sit reprehēdi? Tunc enim & à Seruatore nostro beabitur, & de regno cælorum consequendo certissimam accipiet promissionem. Beati[b] quippe, inquit, qui iustitiæ nomine affliguntur. Ipsorum enim est regnum cælorum. Quænam igitur præmia consequetur, ac tanquā hæreditario iure obtinebit qui iustus est, omnésq; cogitationes habet in exercenda colendáque iustitia defixas? Ipse quidem se nunquam non facilem ac beneficum, vt egregiè monet Psaltes, in omne genus homines exhibet: Eius verò semen benedictione, hoc est larga rerum omnium copia ac felicitate prosequetur Dominus. Efflorescet[c] vt palma, atque in modum cedri accrescet. Huius insuper neque euanescet spes, neque posteri, panis[d] laborantes penuria vnquam conspicientur. Quin & terram firmissimo iure tanquam hæres possidebit: nec eam modò, sed quod longè est optabilius ac præstantius, ea tandem assequetur quæ multis antè seculis temporúmque periodis præparauit Deus iis qui se vnicè diligerent: ídque non aliam ob causam, quàm quia iustitiam ac æquitatem cæteris rebus prætulit. Ea verò tantæ sunt dignitatis & splendoris, vt nec quisquam viderit[e], nec audierit, nec mente quidem ac cogitatione sit complexus, longè his omnibus quæ sensui subiacent inferioribus, eminentiora & clariora. Iudex itaque cum omnia hæc & singula diligentiùs expenderit, crebrísque meditationibus altiùs animo insculpserit, quæ quidem tantam mihi vim habere videntur, vt vel inhumanam ferinámque mentem (sic enim iniuriæ amatricem haud piguerit nominare) ad iustitiam impellant ac pertrahant, duobus iis totam iudicandi facultatem contineri intelligat, vt & numen imploret Diuinum, & leges assiduè meditetur: neque

a *Neque enim æterni tribunal iudicis illum reum habet quem iniustè iudex condemnat. c. j. de sent. & re iudic. in vj. Neque is iudex est dicendus. c. j. xxiij. q. ij.*

b *Marc. v.*

c *Psal. xcj.*

d *Psal. xxxvij.*

e *Isa. lxiiij. & j. Corinth. ij.*

harum solùm verba, sed mentem potiùs ac vim tenere studeat. Ex quibus nos pulcherrima quæque, nostro quidem iudicio, ac maximè necessaria vndique per compendij modum collecta, in hunc qui promptuarij loco esse posit librum, contulimus, non absimile quippiam iis efficientes, qui prata aut hortos variis florum generibus splendentia ac referta ingressi, iucundissimos quosque ac suaue olẽtes legunt flores, quos deinceps in speciem vnam ac formam aspectui gratissimam componant. Legat & sententiam illam iudex, quæ à religiosissimis principibus Leone & Alexandro in iudices lata est. Nam & hanc nosse par est, quisquis is est qui alios est iudicaturus. Qua quidem lecta, ne solus vnquam iudicium de quoquam ferre audeat, etiamsi de re leuissima fuerit actio instituta. Væ enim soli, inquit [a] ille: cum etenim lapsus fuerit, quis eum eriget? sed simul etiam cum aliis qui tum consilio & prudentia, tum legum peritia spectatissimi sint & clarissimi. Hac siquidem ratione tum apud superos, tum apud homines, quin & multò magis apud Deum Opt. Max. culpam omnem ac reprehensionem effugere poterit.

a *Ecclesiast. iiij.*

CONDEMNATORIA SENTENTIA, IN IVDICES A PIIS ORTHODOXISQVE IMPERATORIBVS LEONE ET ALEXANDRO PRONVNTIATA.



EXISTIMO equidem eorum neminem, qui iudiciario funguntur munere, eò vnquam stuporis aut inscitiæ proruptururm, vt aliter quàm ex præscripto legum iudicium sententiámve ferre audeat. Quòd si quis in tantam euaserit dementiam, reus peractus eas dependet pœnas quæ legibus sunt irrogatæ [b]. Sin fortè nos effugerit, peruigilem tamen illum atque insomnem oculum, cui nihil non quamlibet occultum sit, patere potest, effugere non poterit. Tametsi idipsum imprecationibus quoque, dirísque execrationibus stabilire ac firmare non ab re alienum censuimus. Inueniat itaque iste & Deum & cælestes omnes atque incorporeas potestates sibi nunquam non aduersantes. Immaturè ex hac vita excidat potiùs, quàm excedat. Incommodis insuper afficiatur perpetuis. Ipsius ædium fundamenta ignis tandem deuoret, & posteritas eò redigatur inopiæ, vt panem ostiatim quæritet. Atque hæc iure sanè optimo, propterea quòd leges quas liberrimas esse oportuit, seruas quodam modo atque captiuas effecit fictorum prauorúmque iudiciorum.

b *l. fin. C. de pœn. iud. qui malè iudic. c. j. de sent. & re iudic. in vj. Adde quæ not. per glos. vlti in can hoc etiam. ij. q. vj. Huc facit Nou. Iusiurandum quod præst. sub fi. col. ij.*

PRÆFATIO IN LEGES HOC VOLVMINE PERSCRIPTAS



ONSCRIPTVS Fuerat quondam sub Basilio Constantino, & Leone principibus pietatis nomine celebratissimis, legitimę sciētię liber, cui quod summatim quæ ad hanc facultatem spectant complecteretur, Promptuario nomē erat. In hoc cum fortè incidissemus, nos in maximam pertraxit admirationem operis ipsius antequam illud percurreremus, argumentum. Ex singulis etenim Iurisprudentiæ voluminibus se inquit apprimè necessaria, & quæ in dubium sæpissime reuocantur, selecta in hoc tanquam Promptuarium iuris ratione compendiaria transfudisse ac contulisse, nihilque ferè eorum prætermisisse, quæ vulgo nota esse conuenit. Atque ita sanè lectores inuitans, magnifica hæc pollicetur. Cæterùm perlecto opere, longè ab instituto, áque pollicitatione autorem abesse comperimus: cùm & quæ magis sunt necessaria fuerint in eo prætermissa, & nonnulla etiam non satis explicata. Itaque cùm nō sine ingenti admiratione longè aliam rationem in eo opere contexendo ab autore obseruatam videremus, quàm aut ipse instituisset aut promisisset, explenda in eo iudicauimus, quæ cognitu perquàm essent vtilia ac necessaria, adiicienda quæ desiderarentur, vt tandem per compendij modum, plenum consurgeret opus atque absolutum. Hinc factum est, vt cum leges penè in immensum excreuisse ac diffusas esse cerneremus, tam eas quę iam diu latæ perscriptæque fuerant, quàm quæ postea à clarissimis principibus introductæ, quas & Nouellas iam nominari consuetum est (Quibus accedunt & Romanæ quæ Magistri dicuntur, & Prouincialia, & pulcherrima è Promptuariis decerpta iura) commodissima quęque simul & iucundissima ex his omnibus delegerimus, ac Prōptuarij legibus adiunxerimus, quædam mixtim, quædā seorsim, vti consentaneum videbatur. Quoniam autem Promptuarium ipsum quadraginta omnino continebatur titulis, nos totidem alios aut etiam plures subnectendos duximus, idque tum perspicuitatis causa, tum ne quid eorum quæ necessaria sunt, deesse videretur. Sic igitur totum vnum opus cōfecimus, quod in sex libros partiti sumus, quibus quidem id omne breuiter perstrinximus, quod sexaginta iurisprudentiæ voluminibus, item & Nouellis, Romanis Magistri, Prouincialibúsque ac Promptuarij legibus fusè sparsímque pertractatum fuerat. Vnde & librum hunc hoc inscripsimus nomine, *Promptuarium sex conclusum libris.* Librorum porrò vnusquisque hunc in modum solet inscribi.

Primus de legibus ac iudiciario statu. Ad hæc de in integrum restitutione & libertatibus.

Secundus de variis iudiciorum litiúmve generibus, & noui operis nuntiatione.

Tertius de alienatione,mutuo & societate.
Quartus de sponsalibus & nuptiis.
Quintus deinceps de testamentis & tutoribus.
Sextus tandem de damno ac pœnis.

Totum itaque opus hoc quod PROMPTVARIVM appellare libuit,in sex,vt iam dixi,libros tributum est. Adiecti autem à nobis tituli,prioribus,quadraginta numero aut etiam plures vt iam etiam dixi,sunt. Porrò illud quoque admonuisse operepretium fuerit,multa à nobis adiecta esse capita veteribus titulis, quæ & pulcherrima & summopere necessaria censebam: quædam rursum ex veteri libro nostris titulis apposita. Quare vt hæc ab illis internosci queant, iis quidem titulis ac capitibus quæ adiecimus vbicunque tandem obuia fuerint [a] solare signum extrinsecus ascripsimus, veteribus autem Saturnium. Sic enim lectoribus fiet planissimum quæ noua in hoc PROMPTVARIO, quæ vetera sint tam capita quàm tituli, si quis fortè id scire laboret. Sed de his hactenus. Singulorum verò librorum tituli,sequenti proponuntur tabula,accuratè quoad fieri potuit ex quoque libro collecti.

[a] *Hanc distinctionem in exemplari Græco non inuenimus. Quæ causa fuit,vt in nostra interpretatione hæc non sint adscripta.*



TAB

TABVLA PROMPTVARII.

LIBER PRIMVS, DE LEGIBVS ET IVDICIARIO STATV. INSVPER & de in integrum restitutione & libertatibus: in quo sequentes continentur tituli.

*

TABVLA SECVNDI LIBRI.

TABVLA TERTII LIBRI.

TABVLA QVARTI LIBRI.

TABVLA QVINTI LIBRI.

TABVLA SEXTI LIBRI.

LEG

LEGVM

PROMPTVARII SEV HEXABIBLI, DE LEGIBVS, IVDICIORVM CONSTITVTIONE ET LIBERTATIBVS, ATQVE IN INTEGRVM RESTITVTIONE,



LIBER PRIMVS.

DE LEGIBVS. TIT. I.



OMÆ Quondam nec dominatio fuit regia, ſed per conſules qui bini quotannis creabantur, vt eſſent qui rerum tam bellicarum quàm ciuilium curam ſuſciperent, gerebatur reſpublica: atque, vt apertius & breuius dicam, neq; iura adhuc, neq; principes erant, necdum in certa volumina redactę erant perſcriptæque leges. Poſteà verò Appius Claudius [a] cum decem aliis delectis, qui & decemuiri dicti ſunt, coactis in vnum paucisſimis illis quæ tum apud Romanos extabant legibus, quæq; aut ſine ſcripto, aut ſcripto quidem, verùm confuſè ac ſparſim circunferebantur (Huiuſcemodi enim quædam erant, quę nec ordine certo nec certis continerentur pręfinitiſq; libris) cúmq; inſuper Athenis, Draconis, Soloníſque leges & aliunde alias atq; alias aduehendas curaſſet, delectu ex omnibus habito legem duodecim tabularum, quódque idem dictu eſt, dodecabiblum, quaſi dicas, opus duodecim libris concluſum confecit. Subſecuti deinceps prudentes [b] homines, inter quos facilè primas tenebat Caius, leges alias actionúmque diuiſiones prioribus inuentis adiecerunt. Poſt quos varij principes varias, vt commodum ducebant, conſtitutiones pro natis & quotidie hinc illinc occurrentibus cōtrouerſiis conſcripſerunt. Demum Imperator Iuſtinianus plurima penéque immenſa à veteribus illis Iuriſconſultis edita volumina in quinquaginta [c] libros contulit, ſtudio atque opera prudentum atq; ea in re exercitatisſimorum hominum. Quę etiam Digeſta aut Pandectas, quòd omnis generis leges complecterentur, nominauit. Hic Iuſtinianus tres etiam edidit codices, Gregorianum, Hermogenianum, & Theo-

a *L. ij. §. & quidem ex omnibus. verſ. ab hoc App Claudius. de orig. iur.*

b *ead. l. §. his legibus latis, cum §. ſeq.*

c *l. iij. §. ſed cum omnia. C. de vete. iur. enucleando.*

dosianum. Quos quidem cum legibus adiunxisset Thalelæi, Anatolij & Isidori, duodecim alias tabulas, seu quod idem est, libros quoque compleuit. Non desunt & qui hos codices ante Iustinianum fuisse contendant. Verùm cùm essent confusi ac dispersi, esse postea ab eodem in duodecim volumina redactos & compositos. Idem etiam iuris institutiones, quę velut elementa prima atque incunabula legum candidatis forent, edidit. Conscripsit & idem peculiari volumine Nouellas. Sunt autem Nouellæ, nouæ à principibus iuxta legum præscripta pro subortis causis proditæ constitutiones. Porrò ad huiuscemodi contexendas Nouellas Iustiniano subseruiebat Tribonianus ille, quem & ingenij dexteritate, & opum quæstúsque cupidine mirandum prædicant. Qui in ipsis scribendis, à litigatoribus accepta pecunia, quędam in eorum gratiam à quibus acceperat, contorquebat ac mutabat, quædam minùs aperta, obscura & ad duplicem vergentia sensum, mira ingenij promptitudine statuebat, ídq; vt lectores in controuersiam adduceret. Nouissimus omnium successit Leo cognomento philosophus, inter principes celebratissimus. Is collatis omnibus quæ de iure ciuili extabant voluminibus, Digestis nimirum, Codicibus, maxima Institutionum parte, quin & ipsis Nouellis, his inquam omnibus in vnum collectis, totum hoc negotium sexaginta complexus voluminibus, hexecontabiblum, quasi opus dicas sexagenûm librorum, absolutè confecit. Quam & in sex veluti membra ac tomos dissecuit, τεῦχος, hoc est volumen, vnunquenque tomorum vocitans, quod rursus plerosq; sub se alios, decem inquam numero libros continet. Post hunc permulti quoq; alij principes & generales sanxerunt leges, & nouellas variásq; constitutiones, & quos aurei consilij vocant sermones, vbi duxere necessarium, confecerunt.

* *Iuris diuisio, quam habes l. j. §. huius study. de instit. & iure. & §. huius study. instit. eod. iuncto seq. titulo.*

Ius autem naturale est, aut gentium, aut ciuile. Ac naturale quidem est, quo natura impellente cuncta vtuntur animantia, tam capacia quàm expertia rationis: vt quod matres fœtus suos diligant, ac similia id genus. Gentium autem ius est, quo gens gentésve [a] vtuntur: vt non misceri matribus apud Sarmatas & Græcos, contráque iis misceri, apud Persas. Ciuile verò, quo vna aliqua vtitur ciuitas, quòd sibi sit commodum, quo si fortè alia vti velit, iacturam damnúmque conciliet. Cuiusmodi est, si quis cùm in ciuitate sit, cuius solum sterile est, parúmque ad fruges ferendas accommodum, lege lata statuat immunes fore quotquot frumentum aliunde aduehere ac venale proponere voluerint. Id enim illi fortè ciuitati, quòd ex se frumenti copiam habere nequeat, vsui esse deprehenditur. Ciuitatibus autem aliis quarum ferax sit pinguéq; solum, non modò nullam afferet vtilitatem id statuisse, sed damnosum potiùs atque incommodum futurum est.

[a] *Vlpianus definit, quo gẽtes humanæ vtũtur. Theophilus ita expreßisse videtur, τὸ κατὰ τῶν πάντων ἀνθρώπων, ἤγουν τῶν λελογισμένως βιοῦν ἐθελόντων ἐπεκτεινόμενον, quod ad omnes homines aut certè eos qui ratione student viuere porrigitur. Autor hic aliter ius gentium accipit.*

** Iuris seu legis definitio, quam habes & l. j. de iustit. & iur. & l. j. de leg.*

Lex est ars boni & æqui, commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coërcio, communis reipublicæ sponsio, simúlque inuentum [a] ac munus deorum. Iuris [b] præcepta sunt, honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. Iuris [c] prudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti & iniusti scientia. Scire [d] leges est non tenere verba, sed vim earum ac potestatem. Virtus [e] legis est imperare, vetare, permittere, punire. Imperare est mandare quippiam fieri: Vetare rei faciundæ alicui potestatem denegare: permittere, nec vetare nec hortari: punire, necessariò à re facienda deterrere. Ius [f] in duo genera diducitur, publicum ac priuatũ. Quę [g] rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. De [h] quibus nihil lege cautum est, ea ex similibus statui decidíque oportet.

Tum [i] consuetudine vtimur, cum in iudicio comprobata inualuerit. Quæ [k] lege constituta sunt, contraria lege tolluntur.

SCHOLIVM.

Verbi gratia: Lege cautum est, vt parentes [l] scribant hæredes liberos, vicissimque liberi parentes. At tollitur lex hæc per alteram, quæ statuit nihil esse necesse aut parentibus liberos, aut liberis parentes hæredes instituere, si [m] ingrati demonstrantur. Rursus lex [n] est quæ omnibus hominibus liberis & sui iuris, dat liberam testandi facultatem. Ex aduerso alia lege inductum est, ne testari queant ij, qui aut vim armatam fecere [o] aut in principem conspirârunt, & alij quidam [p]. Præterea ius vnum est, fœminas ab omnibus officiis ciuilibus & publicis remouens [q], vt à postulando, à tutela gerenda. At iure alio matri & auiæ licet [r], dum senatusconsulto Velleiano ac secundis nuptiis renuntiârint, propriorum liberorum & nepotum tutelam curámve gerere.

Iura [s] constitui oportet in iis quæ frequenter ac facilè, non quæ perrarò contingunt, quæve in vnica facti specie possunt occurrere. Prætereunt enim legumlatores quod semel atque iterum vsuuenit.

** Quia sequenti regulæ, de minoribus exemplum subiicitur, ideo ascriptus est hoc loco titulus de minorib. de quibus amplè & ex professo infrà tit. xij. huius libri.*

DE MINORIBVS.

QVOTIES [t] lex facto alicui aduersatur, quamlibet id iustum sit, in iudicio tamen nequaquam admittitur.

Verbi causa: Lex vetat [u], ne minori xxv. annis rei suæ administratio committatur. Si itaque ei res proprias dederit administrandas curator die vigesimoquarto mensis duodecimi, xxv. anni, atque eas temere ac inconsultò profuderit, habebit earum nomine restitutionem in integrum. Quanquam vero simile non sit, cum reliquis sex diebus perfectæ legitimæque ætatis prudentiorem euasisse. Vbicunque igitur lege aliquid præscriptum est atq; introductum, ea seruanda est. Nec prorsus obtinet quod lege refragante fit, etsi æquissimum sit.

In ambiguis [x] benignius leges interpretãdæ sunt. Non [y] omniũ quæ legibus statuta sunt, ratio reddi potest. Cùm [z] aliud, ius ipsum, aliud ęquitas postulat, controuersiam hanc solus princeps dirimit. Eius siquidem solius est huiuscemodi quæstiones finire ac decidere.

a *l. ij. ex Demost. de leg.*
b *l. iustitia. §. iuris præcepta. de iustit. & iure.*
c *d. l. iustitia. § fin.*
d *l. scire leges. de leg.*
e *l. legis virtus. eod.*
f *l. j. §. huius studij. de iustit. & iure.*
g *l. vbi repugnantia. in fi. de reg. iur.*
h *l. nõ possunt omnes. de leg.*
i *l. cùm de consuetudine. eod. Adde l. nam Imperator.*
k *l. de quibus. in fine, iuncta l. non est nouum. cum duabus seq. eod.*
l *l. nam etsi. de inoff. & l. scripto. in fin. vnde lib.*
m *§. aliud quoque capitulum authen. vt cũ de ap. co. cel. viij.*
n *l. j. C. de sac. eccl.*
o *l. si quis ad se fundum. C. ad leg. Iul. de vi pub.*
p *glos. in l. si quæramus. de testa.*
q *l. fœminæ. de regul. iuris.*
r *authen. matri & auiæ. C. quan. mul. tut. offi. fun. pot. & Nou. vt si pro. mat.*
s *l. iij. iiij. & v. de leg. & l. antiqui. in fi. si pars hær. pet.*
t *l. iij. in arg. C. de leg. & const. prin.*
v *l. j. in fi. de minor.*
x *l. benignius. de leg. et l. semper in dubiis. de reg. iur.*
y *l. non omnium. cum seq. de leg.*
z *l. ij. iiij. et v. de leg. et l. antiqui. in fi. si pars hær. pe. l. j. C. de leg. et constit.*

DE PRINCIPE.

a l.j.de constit.prin.

b l. leges vt generales.C.de leg et cōst. princ.et l. si ff.eod.

c l rescripta. C. de pre.ib.imper offer

* Scholium esse videtur.

QVOD [a] principi placuerit, lex est: siue id per epistolam & subscriptionem statuerit, siue cognoscēs aut alio quouis modo decreuerit. Atq; hæ sunt quæ constitutiones appellantur. Ex his porrò quędam sunt personales, quæ nec ad exemplū trahuntnr, siue eas, vt quid cui indulgeret, siue vt pœnam irrogaret, princeps posuerit. Principum [b] sententia inter duos aliquos de certo negotio lata, in similibus quoque obtineat. Valeat [c] ratúmque habeatur etiam quod prȩter leges est, rescriptum principis, dum non alterum lædat, aut si præter vsum ac consuetudinem criminis gratiam faciat.

Rescriptum *porrò dicitur principale mandatum, ex eo quòd imperatoriis mandatis magna ex parte soleant materiam occasionémque præstare, præeuntes controuersiarum ad principem relationes.

d l.fi.de constit.prin.

e l digna vox. C. de leg.

f l quoties.de precib. imper.offer.

Constitutiones [d] tempore posteriores, iis quæ ipsas præcesserunt potiores sunt ac validiores. Etiam [e] in principis personam locum habeant generales ac vniuersim conceptæ leges. Cæterùm exceptio [f] omnis excludatur, quæ legibus aduersa est.

In locum illum, Ἐῤῥώσθω παράνομος, &c.

Torsit me plurimùm aliquantisper locus hic, pracipuè vbi dicitur, ἢ ἐὰν ἐγκλήματος χαρίσηται παράχρησιν. *Qua verba si, vt sonant, verteris, quid absurdius quaso dici potest, principem criminis abusum concedere? Tantisper itaque me torsit, dum in legem illam satis tamen vulgatam, rescripta.C.de precib.imp.offeren.incidi. Neque enim dubium est, ex ea sumptum esse locum hunc. Vnde locum, meo iudicio, ita restitues:* ἢ ἐὰν ἔγκλημα χαρίσηται παρὰ χρῆσιν. *Aut quod magis arridet,* ἢ ἐὰν ἐγκλήματος χαρίσηται παραχώρησιν. *Vnica litera interiecta. Quóque magis restitutionem nostram probes, Imperatoris verba d.l.rescripta. huc adsuenda censui. Rescripta, inquit, contra ius elicita, ab omnibus iudicibus refutari pracipimus, nisi fortè sit aliquid quod non ladat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat.*

DE CONSVETVDINE.

g l.de quibus. de leg. & senatuscons.

h d l.de quibus.vers. inueterata.

i ead.l in fin.

k l j.C. qua sit longa consuet.

CVSTODIRI [g] oportet id quod moribus & consuetudine introductum est, in iis nimirum de quibus nihil lege cautum est. Quòd si & hoc defecerit, iis acquiescendum, quæ ei quod in quęstionem venit proxima sunt & consequentia. Sin ne hæc quidem inueniantur, tunc ius quo vrbs Romana vtitur, seruari oportet. Inueterata [h] consuetudo pro lege custoditur. Ac quemadmodum legis iurísve constitutio aut scripto constat, aut non scripto, sic eiusdem abrogatio aut scripto inducitur aut non scripto, hoc est desuetudine [i]. Præses prouinciæ [k], quicquid in oppido obtinere, frequentíque vsu, in aliquo controuersię genere comprobatum esse cognouerit, id seruabit. Nam & consuetudo præcedens, & quæ eam induxit ratio custodienda est. Curabit itaque præses, ne quid sinat præter longam consuetudinem fieri.

SCHOL.

Obtinuit hodie, atque in omnibus iudiciis communi omnium vsu seruatur, vt ad vnius libræ exactionem duo satis sint testes. Hunc itaque morem debent omnes presides qui iuri dicundo præsunt curare summo studio seruandũ, nec sinere aduersus eum quicquã aliud omnino fieri. Itidem moribus iam introductum, diutinaque consuetudine firmatum est, ne iureiurando se astringant prouinciarum præsules, quique metropolitæ dicuntur, cum mansio aliqua aut metropolis probatione carens idonea, ad iusiurandum adacta fuerit: sed id tres faciant monachi vel clerici, vbi presertim frequens fuerit monasterium, aut duo minimùm: idq; etiam ad nouissimos vsq; habito delectu. Est insuper ius quo cauetur, ne iurati sint testes néve à loco domicilij sui aliò ferendi testimonij causa pertrahantur: nisi fortè aliam quandam inuenerit præses consuetudinem posse & ex ciuitate in ciuitatem euocari transferrique testes. Quem quidem morem cùm alicubi inualuisse cognoscet præses, dabit vtique operam, vt custodiat diligentissimè, neque à quoquam aut dissimulari aut negligi patiatur. In his illud Magister aduertendum monuit, quoties de eadẽ re diuersæ loquuntur ac aliquid statuunt leges, fortè autem reperiatur alia quæpiam quæ aduersari primo obtutu videtur, non protinus ei soli esse acquiescendum, sed ex variarum legum sensu, vnius eliciendam atque inuestigandam interpretationem.

Quod non ratione [a] introductum est, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum, in similibus obtinere non oportet. [a] *l quod non ratione. de leg.*

SCHOL.

Inquit eam demum obtinere seruarique in similibus consuetudinem, vbi lege nihil est præscriptum, quæ rationi sit consentanea, queque cum probabili ratione obtinuerit, & à viris prudentibus, quique hominum memoria digni sint, comprobata, iustaque ac legitima cognita fuerit. Si quid enim licet frequentissimè inductum ac in iudicio actitatum sit, à probabili tamen honestaque ratione abhorreat, itaque absque ratione primùm inductum, deinde per errorem obtinuerit, ac vsu tandem firmatum inualuerit, neutiquam [b] ad similia trahetur, nec idcirco valebit, aut pro lege habebitur, quod preter rationem longo vsu inuectum sit. Sed excutietur ante omnia ratio & origo huius inductæ consuetudinis. Ac si quidem iusta speciosaque inductum id ratione deprehendatur, & per se valebit, & tanquam firmatum iam rationique non dissonum ad consimilia trahetur, ac legis loco seruabitur. [b] *l quod vero. de leg*

Communia [c], quæque in genere & è re omnium sanciuntur legibus, potiora esse conuenit iis quæ quorundam fauore ad communium legum corruptionem speciatim inducuntur. [c] *§. quia verò verisimile est. No. de non alien. vel permut. cum similibus plerisque.*

DE PRINCIPE.

PRINCEPS [d] legibus solutus est. Nam & si iuris solennitati se ceterorum more non astrinxerit, nequaquam punitur. Augusta autem legibus quidem soluta non est, sed illi princeps, eadem tribuit priuilegia, quæ & ipse habet. [d] *l princeps. de leg.*

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA.

* *Huc enim ascribi debet hic titulus.*

IVRIS [e] ignorantia, sua quidem petentibus non nocet, ad lucrum autem vtpote acquirere volentibus non prodest. Facti error [f] & in compendiis & in damnis, tam maribus quàm fœminis prodest. Est autem factum rei propositæ caput atque effectus. Iuris autem error nec fœminis in compendiis prodest. Cæterùm in damnis nemini obest suum repetere volenti. Facti quidem ignorantia [g] nemi- [e] *l. iuris ignorantia. de iur. et fac. ignor,* [f] *l. error facti. eod.* [g] *l. regula est. eod.*

ni nocet, iuris verò cuique nocet, si tamen inde minores exemeris, & in quibusdam [a] fœminas, si cubi non est delictum, sed iuris ignorantia. Nemo [b] itaque constitutiones principales aut ignoret, aut disimulet.

a Hîc vide Accurs. d.l.regula.in gl. ad verb.quibusdam.
b C.l.pen.eod.

DE ACTORE ET REO: DE PROBATIONIBVS ET CRIMINIBVS: ITEM MVLIERIBVS, ET IVRE FISCI.

TIT. II.



ACTOREM Oportet [c] forum rei sequi. Est autem forum, vbi nunc domicilium reus habet [d], vel tempore contractus habuit.

c l.ij.C.de iurisd.om. iudic.
d d.l. et l.eius.§. fin. ad municip.

EXPLANATIO DICTI HVIVS.

In vniuersum illud scito. Actor sequitur forum rei. Forum autem est, aut vbi nunc reus habitat, aut vbi contractus tempore habitabat. Verbi gratia, cùm Petrus domicilium in hac regia ciuitate haberet, hicque ageret, à quodam Thessalonicensi centum nummos hîc mutuo accepit. Postea vero cum ciuitate egressus, Atala proficiscens, Thessalonica iter faceret, ibique forte eum creditor Thessalonicenus offendisset, ibidem eum volebat coram iudice Thessalonicę conuenire. At ipse hac in creditorem vtebatur exceptione: Etiamsi in me actionem habeas, nihil tamen erat quòd eam in me Thessalonicę forte atque in transcursu repertum intenderes. Id tibi in vrbe faciundum erat. Quocirca consultius feceris, si illuc reuersus, ibi me in ius voces, vtpote quem par sit meum sequi forum, atque eo loci actionem in me mouere, vbi & domicilium habeo, & ipse insuper celebratus est contractus. Thessalonicensis cum rei verbis non acquiesceret, totam huius rei controuersiam ad principem retulit. Qui Thessalonicensi in hęc verba rescripsit: Iuris [e] ordinem conuerti postulas: Id enim iuris ratio poscit, vt actor forum rei sequatur, non item actoris reus. Atque hęc quidem ita locum habere intellige, si quo loco nunc domicilium habet reus, eodem & contractus est perfectus. Quod si alibi debitor cũ mutuas sumeret pecunias, habitabat, vtpote in vrbe, nũc verò aliò domicilium transtulit, fortè Rhędestum, ac fortè Thessalonicę, peregrè abiens est repertus, sic quoque aut in vrbem redire, vt cum eo experiatur, aut certè Rhędestum proficisci debet Thessalonicensis.

e d.l.ij.C.de iurisdic. om.iud.et l.fin. vbi in rem actio.

Sciendum iudiciorum differentias duas esse. Quoddam enim legibus regitur, quoddam canonibus. Est & tertium genus, quod ex vtrisque & legibus & canonibus conflatur. Constat porrò iudicium omne ex antecessoribus, assessoribus, circunstantibus & litigantibus, vel per se vel per procuratores, quibus facultas iure tributa est. Qui de causa [f] aliqua in ius vocatus est, posteáque aut miles aut alterius cuiuspiam fori effectus est, non potest de eadem causa ad proprium forum appellare.

f Facit in arg.l. si.C. vbi de rat.ag.opor. Expressius text. est in l. si quis posteaquam. de iudic.

NOVELLA.

Sancimus [g] actorem ad finem vsque litis, cœptam institutámque causam prosequi. Quòd si moram facit, à iudice bis ac ter vocari, ita tamen vt vocationes singulę triginta dierum spatio nec minori concludantur. Sin verò ne sic quidem iudicio affuerit, aut certè legitimum procuratorem miserit, annuum ei insuper spatium pręfiniri,

g Hæc eadem habes, sed paulò fusius in No.de litigios.§. omnem vero. collat. viij. Græcè est διάταξις.ριβ'. Ad plenius autem hæc cognoscenda, vide & l. properandum. §. et si quidem pars. iuncta l.sancimus. C. de iudic. et l. ad peremptorium.cum seq. ff. eodem.

niri, intra quod nisi propriam persecutus fuerit actionem, etiam eo absente iudicem assistentis rei defensiones exquirere, ac re tota ad vnguem perpensa legitimam proferre sententiam. Sin autem intra præstitutum anni interuallum sui copiam fecerit, cœptæque actioni insistendum duxerit, ante omnia illud à iudice procurari, vt is sumptus omnes persoluat, quos litis nomine reus iudicio assistens fecit, eósque reo quem conuenerat, refundat, tum actor donec tandem incœpto negotio finis sit impositus, in iudicio persistat. At si ne post hæc quidem omnia persistit, iubemus eum post iam dictas trium edictorum annuíque insterstitij obseruationes, omni actione cadere, quam sibi aduersus reum existimabat competere. Quarta autem [a] Leonis principis Nouella, tribus edictis, hoc est, tertio eóque peremptorio vocatos, si non comparuerint, reos peragi ac tanquam contumaces damnari iubet. Reis trimestre [b] tempus concedi solet, quo se instruant.

** Quæ sequuntur, ad proximum titulum magis pertinent.*

Ei incumbit [c] probatio, qui dicit, non qui negat. Reus exceptionibus [d] actor est, ideóque probationibus subiacet, exceptionémque suam vt intentionem implere cogitur. Quisquis [e] cuiusuis criminis reum aliquem defert, non crimen ipsum modò, sed & annum & mensem & locum quo illud admissum est designare debet: vt si fortè adulterij ream agit mulierem, libello hæc omnia sunt inscribenda, atque insuper persona cum qua admissum dicitur. Neque autem diem, neque horam inuitus comprehendet. Si is [f] cui crimen aliquod ab altero est obiectum, grauius in accusatorem crimen retorqueat, prius est vt grauius illud crimen discutiatur, quàm possit actor suam prosequi accusationem.

a Vide l. in peremptorio. de iudi. et d. l. properandū. §. etsi quidem. C. eodem.

b Vt hoc quàm planissimè intelligas, obserua iure et inducias et dilationes dari. Reis induciæ dantur nouissimo iure xx. dierū, quibus deliberent síntne cessuri: an litem prosecuturi. §. sancimus. in No. de exh. et introd. reis. Vnde authē. offeratur. C. de lit. cont. et c. induciæ. §. offeratur. iij. q. iij. sumpta sunt. Dilatio verò interdum rerū necessitate, quòd non tā citò personæ aut instrumēta quibus est opus, proferri queāt, datur varia pro locorū interuallo, vt amplè exponit Imper. l. j. C. de dilat. De hoc intelligit hoc loco noster Constan. Est et quæ ad alicuius conuincēdam malitiā detur, de qua in No. vt cum de ap. § sed et hoc. vnde auth. iubemus. C. de iud. est sumpta. Quod et notat gl. in c. prout nobis. ad verb. conuincendā. extrà de dolo et contumac.

c l. ij. de prob. cum similib. quas ibi glo. adducit, quā vide.

d l. in exceptionib. de prob. et l. j. de excep.

e l. libellorū. in princ. de accus.

f l. j. C de iis qui accu. non poss.

DE EORVNDEM PROBATIONIBVS.

** Nam pro τὰ αὐτὰ legendum suspicor τῶν αὐτῶν, nimirum τ̃ ἐνάγοντος καὶ τ̃ ἐναγομένου.*

NON potest [g] actor reū cogere, vt suas in medium afferat probationes, quin potiùs actorem reus. Nemo [h] ex alienis instrumentis aut probationibus iuuari debet, litémve suam instruere. Ex duabus constitutionibus hoc colligitur, quòd siue priuatus [i], siue ciuitas, siue fiscus alicui de re quapiam vel non reddita vel non tradita controuersiam moueat, possit reus, si aliunde planum facere non possit, aut se debitum persoluisse, aut apud se rem de qua agitur non esse depositam, rectè iuréque illud postulare, vt priuati quoque creditoris vel ciuiles vel etiam fiscales proferantur rationes: ídque vt ex his ostendi atque innotescere possit quantum sit solutum. Siquidem reorum instrumenta postulare actores nequeunt,

g l. frustra. C. de probat. et l. si. C de eden.

h l. ad probationem dominij. C. de probationib. et l. j. C. de edendo.

i facit l. comparationes. C. de fide instrum. et §. illud etiam iudicauimus. No. de iis qui ingred. ad appel. et §. si verò nullus. de instrum. caut. in No. Adde l. illatæ. C. de fide instr. Huc spectat l. non est nouum. cum seq. C. de eden.

actorum verò rei possunt. Neque aduersarius [a] me potest compellere, vt probationes meas, quæ ipsi adiumento futuræ sint, in medium afferam neque disciplinæ alicuius studiosus professor, vt hos aut illos libros exhibeam, quòd cùm eos legisset, doctior ac melior futurus esset. Si quis diuersas [b] pro se probationes afferat, eæ verò inter se pugnare deprehendantur, has planè inualidas ipsique incommodas fore, explorati iuris est. Tum cogitur quis probationes aduersus alterum proferre alteri cuipiam conducentes, cum non læditur is qui profert, in se [c] verò nullo pacto. Tunc documenta [d] in se proferre quis compellitur, cum ciuilis non item cum criminalis est quæstio.

a *l.pen ad exhib.*
b *l.scripturæ diuersæ. C.de fide instrum.*
c *l.nimis.graue.C.de test.*
d *Fac. adduc. l.comparationes.C.de fide instrument.*

QVID CIVILE SIT, QVID ITEM CRIMINALE.

CIVILES controuersiæ sunt, quotquot pecuniariam pœnam seu mulctam iis, qui eas habent, irrogant. Criminales verò quæ grauiorem pœnam continent. Ciuile siquidem in genere id dicitur, quod pecuniariam duntaxat, criminale quod grauiorem præscribit & complectitur pœnam. Et hæc, quod ad vocum explanationem attinebat. Cæterùm iam ad institutum probationum tractatum redeamus.

Aduersus quas [e] personas testimonium quis ferre non cogitur, in has neque libellos aut probationes aut aliud quippiam inuitus proferet. Neque ciuili [f], neque criminali actione alterum conuenire quisquam compellitur. Eum qui temere [g] quempiam in iudicium vocârit, viatica litísque sumptus ei qui vocatus sit, reddere oportet. Nequaquam [h] concedenda est recriminandi facultas ei qui alicuius criminis insimulatus fuerit, donec eo se crimine quo premitur, exuerit.

e *l. in exercendis. C. de fide instrument.*
f *l.vnica.C. vt nemo inuit. ag. vel accus. cog.*
g *l. eum qui temere. de iud.cum similib.*
h *l.neganda est.C.de iis qui acc. non pos.*

DE ABIVRATIONE, QVAM IVRATORIAM CAVTIONEM APPELLANT.

CONSTITVTIO [i] iubet à senatorio viro, siue ciuilis siue criminalis agatur causa, satisdationem fideiussionémve non postulari, sed eius duntaxat abiurationi, quæ Grecè ἐξωμοσία dicitur fidem haberi.

i *l.quoties. de dignit. lib.xij.C.vnde hæc sumpta sunt. Adde iura quæ ibidem citat Accur. Adde insuper Nou. de litig.§. ad excludēdas, vbi ἐνώμοτον ὁμολογίαν vocat, quæ hîc ἐξωμοσία dicitur. et auth.codicis hinc sumptā, cuius initium, generaliter. Dicitur autem et ἐξωμοσία et ἐπωμοσία.*

SCHOL.

Dicitur autem, vt verborum vim planiùs intelligas, ἐξωμοσία recusatio quę adhibito iureiurando fieri solet. Nam & verbum ἐξόμνυμι, vnde nomen hoc est ductum, cum iureiurando recusare significat, Latini abiurare & eiurare dicunt. Rursum ἐξωμοσία dicitur, cum quis nomine vel suo vel alterius in ius vocatus litem non esse instituendam dicit, & causas quamobrem instituenda non videatur, si res postulet, affert [k]. Tum enim ei licebat vti ἐξωμοσίᾳ, hoc est abiuratione. Atque ita lis ipsa interlinebatur atque inducebatur.

k *potest hoc si argutiùs aduerteris, ex l.j.de edend.colligi.*

Parentes [l] ac patroni etsi per procuratores agant, nunquam tamen aut de dolo, aut iniuriarum actione conueniuntur: quanquam nec infamia notantur, qui per procuratorem litigant, neque iniuriarum conueniuntur. Nullus [m] de domo sua in ius vocari aut extrahi

l *Super hac re vide l. non debet. de do. l.sed si.§.prætor ait de in ius voc.et l.ij. de obseq. à liber. et libert.*
m *l.plerique.de in ius voc. l. nemo de domo.de reg. iur. et l. iij.§. prætor ait. de damno infecto.*

hi debet: quia domus tutissimum cuique est refugium atque receptaculum, isque qui inde in ius vocat, vim inferre videtur. Sed si aditum [a] ad se præstet, aut ex publico conspiciatur, rectè vocet. Etsi maximè domo [b] quis in ius vocari potest, tamen de domo sua nemo extrahi debet. Ad solam probationem [c] sufficit aduersæ partis quæ interrogatur responsio, vel in hæreditatibus, vel aliis rebus quæ in causis vertuntur. Licet [d] respondenti pœnitere, si nulla inde actori captio damnúmve inuehatur, ídque maximè, si quis postea pleniùs instrumentis vel epistolis sit de iure suo edoctus.

Quod quisq; [e] iuris aut in alterum statuerit, aut dici effecerit, id in sua quoque persona valere patiatur.

a l. satisq; pœna. de in ius vocan.
b l. sed & si is. eod.
c l. j. §. fin. de interro. actio. facit l. quoties. §. fi. de probat.
d l. de ætate. §. fin. de interrog. actio.
e l. j. & toto tit. quod quisque iuris.

SCHOL.

Huius rei exemplum propone tibi in specie subsequenti. Intendit aliquis alteri personalem actionem, quæ xxx demum annis elapsis extinguitur, actionem forte mutui. Est enim mutuum personale, quippe cum mutuati personam obligatam obnoxiamque habeat. Excipiebat reus præclusam esse aduersario actionem, præteritis nimirum iam annis triginta, quibus ne verbum quidem ille fecerat. Atque erat haud dubiè exceptio huiuscemodi valida, & ipso iure admittenda. Actor tamen aut gratia, aut muneribus eò iudicem induxit, vt reiecta hac exceptione pronuntiaret xxx annorum præscriptione nihil quicquam lædi actorem: itaque reum damnauit, vt debitum exolueret. Si igitur contigerit posteà eundem hunc iudicem ab aliquo conueniri, vtpote qui centum, verbi causa, solidos mutuo sumpserit, talémque exceptionem proponere, effluxisse inquam triginta annos, quibus aduersarius conticuerit, sicque omni eum actione cecidisse, etiam si iusta sit legitimaque hæc defensio, non tamen audietur, sed in solidum condemnabitur. Tametsi enim, inquiet iudex, legibus sit consona exceptio, qua vteris, ita tamen in te stat ui debet, propterea quòd tu quoque cum de simili causa cognosceres, eandem exceptionem, qua nunc tibi succursum vis, tibi propositam non admisisti. Atque ita quod iuris anteà in alterum dixisti, idem nunc quoque aspernari non debes. Punitur ergo iudex, idem iuris quod in alterum statuit in se admittendo, si quidem iam statuerit [f], non autem si cum vellet statuere, aut pœnitentia ductus aut prohibitus sit, nec effectum, decretum habuerit. Tum enim veniam meretur, cum iniuria nullum habuerit effectum.

f d. l. j. §. fin. eod.

DE CRIMINIBVS.

Non licet [g] per procuratorem in iudiciis criminalibus aut accusare aut defendere. Morte rei [h] quoduis crimen atque accusatio perimitur, dempto tamen perduellionis seu maiestatis crimine, quo proditio insidiæque in principem continentur. In his enim, nisi ab hæredibus purgata fuerint [i], confiscatur hæreditas.

Quisquis aliquem criminis reum fecerit [k], debet intra biennium propriam complere accusationem. Sin minus quarta bonorum parte mulctetur, infamia quoque notandus. Quin & quingesimatertia Diui Leonis nouella, eos qui crimen aliquod intendunt, nec prosequuntur, aut intra biennium actiones suas absoluunt, in ærarios [l] quos Græci ἐγγεγραμμένους vocant, referri iubet. Nam in pecuniariis quidem actionibus nequaquam solet iis qui eas mouent, huiuscemodi mulcta, quam Græci nominant ἐγγραφήν, irrogari: in criminalibus autem hoc sæpe vsuuenit.

g l. pen. §. ad crimen. de pub. iudic.
h l. iij. de pub. iudic. l. ex iudiciorũ. de accus. & inscript. & toto titu. si reus vel acc. mor. fuer. C. maximè l. ij. & l. fin.
i l. fi. ad leg. Iul. ma.
k l. j. & toto tit. C. vt int. cer. temp. crim. quæst. term. Adde l. properandum. in princ. C. de iud.
l De his vide Bud. in annot. in Pandect.

DE MVLIERIBVS.

MVLIERI non est permissum [a] publico capitalive iudicio quenquam reum facere, præterquam ob cædem parentum, liberorum, patroni patroneve, & eorum filij filieve, nepotis neptisve, & cæterorum in quos inuitæ testimonium non dicunt. Licet & ei lege Cornelia testamentaria agere, item & de testamentis paternorum vel maternorum libertorum. Potest mater [b] contra filium publicam constituere accusationem.

a l.j.& ij. de accus. & l. de crimine. qui accus. non pos.

b l. propter. C. qui accusa. non pos. Quò spectat & l. iij. C. de patr. potestate.

DE PVBLICIS ET FISCALIBVS IVDICIIS.

* *Nomine enim τῶν δημοσίων vtraque hoc loco intelliguntur.*

PRAETER eos [c] qui prohibiti sunt, possunt cæteri omnes publicam accusationem instituere. Prohibentur autem quidam propter sexum vel ætatem, vt mulier vel pupillus: alij vt in armis stipendia merentes: alij vt magistratus: alij propter infamiam aut turpem quæstum: alij propter suspicionem calumniæ: nonnulli propter paupertatem. Hi tamen [d] omnes cædem propinquorum iudicio persequi ac vindicare possunt. Si quis [e] res fisci detinere dicatur, conueniri debet, & si conuincatur, in duplum quæ detinebat restituere. Cæterùm priùs quàm conuincatur, rebus propriis spoliari excludive non debet. Quòd si quis magistratuum secus fecerit, quicunque tandem is fuerit, bonis fisco adiudicatis deportetur.

c l. qui accusare. de accusat. cum tribus subsequentibus.

d l. hi tamen. eodem.

e l. aufertur. §. j. de iure fisc. l. defensionis. C. eodem. libro x.

SCHOL.

Quondam in Roma vetere princeps extitit fortissimus, qui cum rerum latè potiretur, totius imperij prouincias [f] ita partitus est, vt quasdam sibi ipse retineret, quasdam verò populo Romano seponeret: quò ea quæ inde colligerentur atque exigerentur, is in rem suam propriósque vsus verteret. Atque hæc, ita principali beneficio in vsum populi reseruata proprio exquisitóque nomine fiscalia seu publica dicebantur [g], spectabantque ad populum ipsum pleno dominij iure, vt ea quouis alienationis genere posset pro suo arbitratu alienare [h]. Habebat itidem quæque ciuitas olim res quasdam sibi peculiares. Vt decedens quispiam ciuitati aureos mille, verbi gratia, reliquit, vnde balneum extrueretur, ex cuius ingressu collecta, in proprios ciuitatis reditus verterentur. Aut ciuitati dedit quis splendidos feracésque agros, quos ciues omnes in commune haberent. Habebant & seruos ciuitati ab aliquo relictos. Hique serui etiam peculium habebant [i]. Porrò præficiebatur à principe, qui esset ad res ciuiles administrandas cum primis idoneus. Is res ciuiles more suo gerebat, & pro arbitrio alienabat, vt quarum dominus esset ciuitatis illius populus, quæque quolibet alienandi modo possent abalienari. Et hæc quoque publica dicebantur, verùm non propriè, nec significanter, sed abusiuè [k]. propriè enim publica siue fiscalia dicebantur quæ essent populi Romani.

f Vide Suet. Tranq. in vita Aug. vbi de ordinatione prouinciarum agit.

g l. bona ciuitatis. cũ duabus sequent. de verb. & rer. signif.

h Nam suæ rei quisque est moderator atq; arbiter. l. in re mandata. C. mand.

i l. inter publica. de verb. & rer. sig.

k d. l. bona ciuitatis.

Certum est crimina [l] ferè omnia viginti annorum exceptione tolli. Frater [m] qui contra fratrem magnum capitaléque crimen instituit, exilij pœna plectendus est. Non potest qui alicuius domum incolit [n] crimẽ ei intendere. Quòd si pecuniariũ aut ciuile sit debitũ, de eo rectè potest experiri. Potest [o] quis etiam sororẽ, leuioris admissi reã facere. Si decesserit accusator [p], aliáve quæ causa eũ impedierit,

l l. querela falsi. C. ad leg. Cor. de fal.

m l. si magnũ. C. qui accus. non pos.

n l. iniquum. C. eodẽ. & l. penult.

o l. si sororem. eod.

p l. accusatore defuncto. de pub. iud. l. libellorum. in fin. & l. si tamen. de accu. & inscrip. & l. aut priuatim. ad senat. Turp.

pedierit, quò minùs reum peragere poſsit, ex inſcriptorum numero rei nomen aboletur. Cæterùm poteſt alius quiſpiam intra triginta dies vtiles, ex integro & accuſationem inferre. Si publica criminum abolitio [a] facta fuerit, aut ob diem inſignem, aut ob publicam gratulationem, aut etiam ob rem proſperè geſtam proſperúmque ſucceſſum ciuitatis, triginta continui dies accuſatori dantur, vt accuſationem poſsit repetere, finitis ſcilicet feriis, propter quas remiſſa fuerant crimina. Debet quiſq; actor [b] victoriam ſibi ex iis quæ adſunt comparare: Verbi gratia, ita debet iudicium dictare: Si paret me agri dominum eſſe. non autem ſic: Si paret agri dominum non eſſe aduerſarium. Nanque ita agenti excipere poterit aduerſarius: primùm quidem, meus eſt ager. Quòd ſi meus non eſt, vt tu aſſeris, non propterea tuus, ſed alterius eſt. Non continuò enim quod meum non eſt, tuum eſſe neceſſe eſt. Si verò nec meus eſt ager nec tuus, ſupereſt profectò vt hoc te iudicio vincam: per regulam illam quæ dicit, in pari cauſa [c] potiorem eſſe poſsidentis conditionem.

Vicena [d] millia paſſuum in ſingulos dies dinumerantur ei quem iudicio ſiſtere oportet, exempto eo die quo cautum promiſit, & quo eum in iudicium ſiſtere neceſſe eſt. Actores omnes [e], ſiue mares ſint, ſiue fœminæ, qui ante præſtitutum repetendi debiti tempus actionem intenderint, hac re non mediocriter reo incommodantes, tantundem adhuc expectent temporis, nullas intereà percipientes vſuras, quanto ipſi præſcriptum tempus anteuertere ſunt conati. Et hoc verò elapſo tempore non aliter actionem inſtituere permittantur, niſi prioris litis expenſas itineríſque ſumptus aduerſario perſoluerint. Hoc etenim illa iubet regula: Nihil poteſt [f] peti ante tempus quo per rerum naturam ſolui poteſt, nec priuſquam ſolutioni pręfinitum tempus venerit, atque effluxerit. Qui crimen perduellionis [g] admiſerunt, etiam poſt mortem rei peraguntur, eorúmque bona fiſco vendicantur. Qui inſtitorem [h] tabernę præpoſuit, conuenitur quidem ab iis qui cum eo contraxerunt. At ipſe cum eis non experitur, niſi ſeruum proprium inſtitorem habuit. Et mulieri [i] ſi præpoſuerit vel præpoſita fuerit, tenetur: & pupillus, ſi modò id cum tutoris autoritate. Pro conuicto habetur [k], qui accuſatorem corrupit, præter ea quæ extremi ſupplicij damnationem continent. Pœna [l] eorum qui ius dicenti non obtemperant, ſiue reus ſit, ſiue actor, non ad id quod intereſt, ſed ad veram quantitatem & quanti ea res eſt concluditur. Neque verò poſt annum, neq; in hæredes datur hæc actio. Etiamſi in perſonam agatur [m], poſt litem tamen conteſtatam cauſa præſtatur, vt poſteà capti fructus & partus editus. Quale enim quicque eſt cum petitur, tale dari debet.

SCHOL.

* *Quod tamen ad ſequentem νομοθεσίαν potiùs pertinere videtur.*

Fingatur exempli diſciplinæque cauſa hæc ſpecies: Duo quidam ſeorſim denos fortè aureos mutuo dederunt, & ab eodem quas libuit vſuras ſtipulati ſunt. At

a *l. ſi interueniente. ad ſen. Turp. & l. abolitio. cum duab. ſeq. eo. Adde l. j. C. de gene. abol. Quid autem ſit abolitio, vide gloſ. in rub. C. de abolit.*

b *Theoph. in §. æquè. inſtit. de act. vnde hæc penè ad verbum ſumpta ſunt.*

c *l. nemo prædo. in fi. & l. in pari. de regulis iuris.*

d *l. j. ſi quis caut. & l. itinere faciendo. de verb. & rer. ſignif.*

e *§. appellatur. & §. hodie. de except. §. ſi quis agens. & §. plus. & §. ſed hæc quidē de act. inſtit. facit l. iuſtas de iu. fiſci. libro x.*

f *l. nihil peti poteſt. de regu. iur. l. interdum de verb. oblig. & §. omnis ſtipulatio. verſ in diem. de ver. oblig. inſtit.*

g *l. ex iudiciorum. de accuſ. l. ſi ad le. Iul maie. l. in ſenatuſc. Turpil incidunt ad ſen. Turp. Adde l. quiſquis. & l. meminiſſe cum ſeq. C. ad leg. Iul. maieſt.*

h *l. j. de inſtit. act.*

i *l. ſed & ſi quis. cum iiij. ſeq. ff. eodem.*

k *. j. §. ſed & . de cal. l. j. iuncta auth nouo iure. de pœn iud. & No. vt litig. iur. §. ſi quis autem. col. nona.*

l *l. vnica. ſi quis ius dic. non obtemper. in fine.*

m *l. ij. de vſur.*

cùm posteà debitorem ad inopiam compulsum intellexissent, summo studio repetendæ sorti inuigilârunt. Cæterùm horum vnus cum ampliùs concertasset, omnino etiam vsuras, quas stipulatus fuerat, est consecutus. Alter verò creditor cum vsuras à debitore, vt qui iam soluendo non esset, obtinere non posset, cum priore expertus est, postulans vt habita ratione earum quas stipulatus fuerat, vsurarum, ipse quoq; partem eius pecuniæ acciperet, quam vsurarũ nomine prior creditor à debitore exegerat. Excipiebat reus non debere se quicquã actori dare, ea lege fultus, quæ dicit: Quoties de lucro [a] fortè vsurarum, duo contendunt, qui prior illud petit ac possidet, actorem vincit. Potes & aliter, si libet, speciem effingere, hunc in modum. Alienum ego agrum tenebam. Exortus est qui me conueniret, hunc querens. Cum igitur fundum hunc vt alienum lucrifacere cupiat, nõ audietur vtique, vt eum ex me accipiat. Ambobus enim de alieno fundo parando concertantibus, mihi possessori simulque reo victoriam lex tribuit.

a *l. nemo prædo. §. cũ de lucro. & l. quoties in vtriusq;. & & l. in eo quod vel is de regul. iur.*
b *l. nõ solet deterior. cum l. sequen. de regulis iuris.*
c *l. cũ par. de reg iur.*

Per litis [b] contestationem ferè solet melior actoris conditio fieri. posteà enim hæredibus, & in hæredes competit. In pari [c] delicto, deterior est petitoris conditio.

SCHOL.

Agrum, verbi gratia, possidebam ego. Subortus est qui mihi in eo controuersiam faceret, eúmque peteret, adducens alienum esse fundum, ideóque non esse meum. Ego verò defensionem hanc in eum retorquebam, alienum fundum esse qui ab eo peteretur, & neque ad eum, neque ad me spectare. Cùm autem meus non sit, non continuò tuus est. Sed ego qui hunc possideo, te agentem vinco. Admittens itaque lex defensionem meam, Re, inquit, aliena controuersa & ad neutrum litigantium spectãte, qui eam possidet, actore qui eam petit potior est. Figura & aliter, si vis, facti speciem: Dedit mihi quispiam aureos fortè decem, mihi vt eos haberem, si furtum adulteriúmve aut simile quidpiam admitterem. Quibus acceptis cunctans id quod conuentum erat efficere, nihil tandem feci. Si igitur veniat posteà, qui mihi decem illos aureos dedit, & vt illos condicat, mecum experiatur, tanquam ego conuentis non steterim, nihil is planè à me accipiet, iubente hac lege: si & dantis & accipientis turpis causa sit [d], vincere eum qui accepit ac tenet, etiamsi eorum quæ pacta sunt nihil omnino fecerit.

d *l. iij. & l penult. de cond. ob turp. caus.*
e *l. fauorabiliores. de reg. iur.*

Fouentur [e] magis rei quàm actores, hoc est adiuuantur, & veniam impetrant.

SCHOL.

Varias huius regulæ potes effingere species: vt quòd duobus de debito forsitan litigantibus, potior est reus, vt quem lex foueat [f]. Item si quis ob capitale crimen admissum plectendus sit, de supplicij verò genere non satis constet, debet in eum leuior pœna [g] statui. Et si quis ex stipulatu à quopiam conueniatur, sitque obscura dubiáve stipulatio, pro reo contra actorem [h], ipsam interpretari conuenit. Et pleræquæ aliæ species tibi in variis Iurisconsultorum scriptis obuiæ esse poterunt, quæ ad huius capitis ac regulæ cognitionem, quin potius totius huius negotij decisionem tibi vsui esse, ac non mediocriter conferre poterunt.

f *l. Arrianus. de actionib. & obli. & §. ad hoc. tit hîc fin. lex de iu. Conr. reg. inc. in vsib feud.*
g *l. interpretatione. de pœ. & l factum. in fi. de reg. iur.*
h *l. veteribus. de pact. l. quicquid. l. qui ex pluribus fundis. & l. stipulatio ista. §. alteri. versic. in stipulationibus. de verborum oblig.*

DE ACTIONIBVS ET EARVM TEMPORIBVS. TIT. III.



ACTIONES Seu controuersiarum motiones immortales non sunt [i]. Neq; enim semper & quãdiu pulcherrima hęc orbis machina cõstiterit, intentari possunt, sed certum habẽt prefinitúmq;, quo moueri queant, tempus, quo sanè elapso frustra iam intendantur. Est ergo actionibus temporis modus præstitutus. Qui quidẽ huiusmodi est. Enimuerò vt sit tam actionis quàm

i *Vide l. fi. C. de præscript. xxx vel xl annorum.*

temp

temporis quod ei præscriptum est, natura cōditióq; apertior, hęc in primis sunt aduertēda. Si quis propriam rem amiserit, eiúsq; dominium ac proprietatem alius quispiam nactus fuerit, potest qui suam rem amisit, eam repetere, ídq; actione ad eam recipiendā proposita. Verùm nō ei semper ob rem amissam actionem intendere licebit. In quibusdam enim rebus ei decenium datur, vt quoad expleti fuerint decem anni, rem propriam possit reuocare. In aliis etiam ad xx annos vsq; de re, quam suam asserit, controuersiam mouere non prohibetur. In nonnullis ad xxx annos actio protenditur. Ac nonnulli quidem, hæc temporum interualla decem vel xx vel xxx annorum, inter præsentes, absentes, & captiuos locum habere existimant.

Præsentes [a] eos interpretantur, qui in eo loco sunt, vbi & res sua in controuersiam venit, & his decem annorum exceptionem tribuunt, vt intra eos agant, iúsque suum persequantur. Absentes eos, qui à loco vbi res sita est, procul absunt: quibus absentiæ nomine, longius tempus concedunt, viginti nimirum annos, intra quod ius suum recipere queant. Captiuos demum eos, qui ab hostibus detinentur: quibus ob mutatam fortunam, quódque ab externis in seruitutem redacti sint, triginta annos [b] dant, vt quoad effluxerint, pristino iuri possint restitui. His quidam rationibus decem annorum, viginti ac triginta exceptionem præfiniunt. At alij rursum de tota hac re ita statuunt. Qui rem alienam possidet, aut præsens est, eóque in loco agit, vbi & res est, & eius legitimus verúsq; dominus, aut absens peregréq; agens rem possidet. Et rursum qui rem possidet alienā, aut bona fide eam possidet, ignarus scilicet alienum se possidere [c], sed falsus, iuréque se possidere credens: aut mala fide, hoc est rem esse alienam intelligens, apertéque vim ac iniuriam faciens. Cùm ergò qui rem alienam possidet, & bonæ fidei possessor est, & præsens, decem duntaxat anni [d] dantur recuperare volenti à possessore, & vt propriam ad se traducere. Itaque quoad expletum fuerit decennium, potest re sua fraudatus, eam actione persequi. Hoc verò vbi effluxerit, iam repetere non potest, nec actionem intendere. Verùm ipse quidem rei dominium prorsus amittit. Qui verò rem longa possessione viucepit, eius proprietatem ac dominium pleno iure consequitur, nec iam est quod sibi super ea controuersiam moueri, aut à quoquam in ius vocari timeat. Ac meritò sanè hoc ita à lege statuitur, propterea quòd alienum bona fide possidet, & præsens est. Vnde & ei qui suū amiserat, promptum erat ac facile querela proposita suum ius tueri, atque in illud restitui. Rursus autem cùm absens fuerit rei alienæ possessor, quia non potest qui suum amisit absenti diem iudicij dicere (nemo enim in absentē agit [e]) ei qui suo priuatur, vicennium concedi solet. Simile quippe veri est eum qui rem tenet, toto illo viginti annorum interuallo locum vbi res sita est repetiisse, ac potuisse eum qui ipsa exclusus est, cum iniusto possessore experiri, atque ius in ea re consequi in qua sibi fit iniuria. At cum

a *l. fin. C. de præscrip. long. tempor. x vel xx ann. & l. pen. C. quib. non ob. lōg. temp. præscr.*

b *Lōgè aliud docet l. ab hostibus. C. qui. non obst. lōg. temp. præscri. l. ab hostibus. iij. C. de postl. reu. Quò & eodem l. nullo. C. de rei ven dic. spectat.*

c *l. bonæ fidei. de ver. & rer. signifi.*

d *d. l. fi. §. j. C. de præscrip. long. tempor.*

e *Nam absens restituitur. arg. l. diuus. de restit. in integ. l. j. ex qui. cau. maio. & l. absentem. C. de accusa. & l. ij. §. ex longinquo. C. de exhiben. re. Et absentia actus validitatē impedit. glo. pen. in c. ij. extra de test. Textus optimus l. vt perfectius. §. vt non ei licentia sit. C. de ann. excep.*

alienam rem mala fide quis possidet, rei suæ amissionem passo permittuntur [a] anni xxx. vt intra hoc, ius suum reuocet: idq; fit ob eius apertam spectatámque malitiam, qui ita rem alienam, nimirum rapinæ iniuriæque faciendæ cupido animo, detinet. Porrò est & hoc in præscriptionum tractatu cognoscendum. Cum [b] decem, viginti, triginta aut plures paucioré sve anni dati alicui fuerint, vt intra eos quid faciat, iísque expletis iam illud ipsum facere nequeat, tum si is qui aliquem annorum numerum ad quid faciẽdum accepit, eos iamiam elabi, ad finémque vergere deprehẽdens, vereatur ne illis exactis ius suum amittat, liberum ei est atque integrum, iudicem aut prouinciæ præsidem adire, aut ipsum etiam vrbis episcopum, aut primarios delectósque ciues, causámque proponere quamobrem de re controuersiam non moueat, apertéq; profiteri ac protestari se paratum quidem fuisse, nisi iusta quæpiam causa moram impedimentúmque attulisset, actione intentata planum facere quòd sibi in ea re fiat iniuria, de qua velit experiri, sed eam ob causam desistere. Atque ita fit omnium quæcunque dixi annotatio, & rursum incipit datos annos ab eo tempore connumerare. Hoc autem licet tertiò facere. Vocatur autem temporis interruptio, sectio seu intercisio, quòd nimirum tempora non patiatur continuo successu computari, præfinitáque annorum quantitate compleri, sed iam dicto accessu interpellet ac præcîdat, atque huic annorum numero det aliud initium.

**In illum locum, καὶ γίνεται τὸ τοιοῦτον ἐφ' οἷς ἂν εἴποιμι παρατημμένως. Videtur hic locus meo iudicio ita restituendus, vt modica facta mutatione pro τὸ τοιοῦτον legas, τῶν τοιούτων. Quæ lectio & literam planam, & sensum apertum monstrat. Nisi fortè & pro ἄποιμι, legendũ εἴποι, vt sit sensus: fit omnium eorum quæ is dixerit annotatio, id est, omnia in acta referuntur.*

DE REBVS MOBILIBVS.

Atqve hæc quidem de rebus soli, & mundanis seu secularibus. Cæterùm res quoque mobiles interim, ad triennium vsque restituuntur. Si quis rei mobilis possessor in bona fide sit, eius domino tres tantùm anni [c] ad agendum, rémque suam repetendam conceduntur. Quòd si rei mobilis possessor, mala eam fide detineat, ad triginta annos [d], de ea actio protenditur.

DE REBVS ECCLESIASTICIS.

Qvod verò ad res ecclesiasticas attinet, si ecclesia cum seculari persona contendat, licet ad triginta & quadraginta annos controuersiam mouere. Quòd si ecclesia aduersus ecclesiam de re aliqua controuersa depugnet, ad triginta annos [e] duntaxat actio ecclesiis est præfinita. Verùm hodie generali ratione ecclesiastica omnia quadraginta annis [f] deciduntur.

DE MINORIBVS.

Minorvm, qui Græcè & ἀφήλικες & ἀνήλικες vulgò dicuntur, res sæpenumero ab aliis possidentur, idque interim bona, interim

a Vide in hanc rem. authen. malæ fidei. de præscr. long. tẽp. et can. placuit §. potest. & §. præscriptionum. xvj q. iij. Adde l. si quis emptionis. §. j. C. de præscript. xxx. vel xl. anno.

b l. vt perfectius. C. de ann. except. can. placuit. §. potest. versic. is autem. xvj. q. iij. Cæterùm quibus modis interruptio fiat, plenè docet gl. vlt. cap. illud autẽ. extra de præscrip.

c l. vni. C. de vsucap. transfor. & instit. de vsuc. in princip. vers. & ideo

d Huc quadãtenus facit §. rursus. No. vt spons. largit. Vnde sumpta est authen. malæ fid. C. de præscrip. long. temp.

e c. ij. c. quicunque. c. placuit. versic. quas actiones. xvj. q. iij. & c. sanctorum. extra de præscrip.

f No. de eccl. ti. §. pro temporalibus. coll. ix. vnde auth. quas actiones. C. de sacr. eccles. est sumpta. Itẽ c. de quarta. & ca. illud autem. extra de præscript.

terim verò mala fide. Vnde & minoribus tempus aliquod lege conceditur, intra quod sua reuocare possint. Et si quidem bonæ fidei possessor est, qui res minorum detinet, decenniũ [a] habent ad mouendam de rebus suis controuersiam. Quod quidem à vigesimoquinto ætatis minorum anno computari [b] solet. Itaque facultatem habent ex quo vigesimũquintũ annum attigerunt, donec aliud effluxerit decennium, de propriis rebus experiundi atque eas repetendi. Sin malæ fidei, dantur ad suum persequendum minoribus triginta [c] anni. Qui quidem supputãtur, ex quo puberes fuerint, ab expleto inquam ætatis ipsorum decimoquarto [d] anno, quoad triginta insuper lapsi fuerint anni, quo tempore possunt rem quæ ab alio mala fide possidetur, agendo recipere. Enimuerò si qua in re minor aut vendenda, aut emenda, aut permutanda circunscriptus, hoc est deceptus ac læsus fuerit (id enim circunscriptionis nomen in legibus [e] notat damnum, scilicet quod ex fraude ac dolo in contractibus paratur) potest absolutis viginti quinque annis, subsequenti quadriennio id in quo detrimentum accepit, reuocare, sibíque indemnitatem parare. Nam post vigesimumquintum annũ alij insuper quatuor [f] anni minoribus conceduntur, vt si quid antea lapsi sunt, ad se redeant, & quę temere forsan vẽdiderunt, ad se traducant. Vbi verò primùm anni illi quatuor completi fuerint, nõ iam iis integrum est de re super qua contraxerũt, iudicium dictare. Quòd si minor maiori successerit, non ampliorem ille prærogatiuam est habiturus, sed ea dũtaxat tempora ad exponendas in integrum restitutionis, decidendásque causas accipiet, quæ defuncto reliqua fuerant [g]: atque ita labentibus absque [h] inuidiosa reuocatione annis actione excluditur, nec ætatis lubricum atque imperfectum vllum ei præstat patrocinium. Actiones cum variis producantur modis, varia quoque sortiuntur nomina. Quædam enim rerum amotarum [i], quædam furti dicuntur. Ac si quidem cogatur is qui rem ab altero occultè ac dolosè subtraxit simplam [k] eam, & absque vllo additamento restituere, vocatur hæc rerum amotarum actio. Cum autem quod est acceptum, duplum [l] est reddendum, actionem furti nominant. Etsi enim quod ad alia attinet, planè idem sit furari & subtrahere seu amouere, nec vllum inter hæc comperiatur discrimen, lex tamen hæc inter se distinguit, vt fu-

a Inter præsentes, inter absentes autem vicennium: argu. l. fi. §. fi. si ma. fa. ali. fa. si. de. ra. habu. C.

b Neque enim minori currit longi temporis præscriptio. l. nõ est incognitũ. C. quib. non obst. lon. temp. præscrip.

c Huc facit l. fi. §. fin. C. in qui. cau. in integr. restit. l. sicut in rem. §. pe. de præscr. xxx. vel xl. annor.

d In pupillũ enim nõ currere xxx. anno. præscriptionim statuit d. l. sicut in rẽ. & l. bonæ fidei. in prin. de acq. rer. do.

e Vt. l. in causæ. §. j. l. quod si minor. §. j de mino. & l. fin. C. de in integ. rest. & alibi sæpe.

f Olim annus vtilis, hodie verò quadriẽniũ. l. fi. & l. ea q. C. de tem. in int. re. fac. l. doli mali exceptio. §. idem q;. de nouat. c. cõstitutus. iuncta gl. extra de in integ. rest. Porrò singulare est quòd post xxix. annos detur & triẽnium. l fin. C. de repud. vel abst. hær vtitur & quadriẽnij iure læsa ecclesia. c. j. & ij. de rest. in integ. lib. vj. clem. ab ecclesia. eo ti. Debet enim ecclesia iure minoris semper illæsa seruari. c. j. extra de in int. rest.

g l. ea quæ. cui auth. seq. iũge. C. de tẽp. in int. rest. l. interdũ. §. planè. de mino. Vt autẽ totã hanc rem planius intelligas, adde l. minor. §. fi. cũ l. seq. prin. eod. & l. non solùm. de in integ. rest.

h ἀνεπιφθονήτων quibus non inuidetur, quia completo quod defuncto supererat tempore, iam nihil sibi timent possessores ab in integrum restitutione.

i Quid sit discriminis inter rerum amotarum & furti actionem, docet l. j. & l. si concubina. de act rer. amot. Quòd autem matrimonio constante non rerum amotarum sed de damno in factum actio detur, monet l. diuortij. C rer. amot. Hæc enim verbis temperatur, vt & ratione sanguinis non de dolo, sed in factum actio tribuitur. l. si superstite. C. de do ma. & l. non debet. ad fi. ff. eo. Datur & condictio constante matrimonio. l. rerũ quidem amotarũ. ff. de act. rer. amo.

k l. ad fiscũ ff. eo. Nam merã rei persecutionem continet. l. si cũ mulier. §. hæc actio. eo. interim tamen crescit æstimatio l. rerum amotarum. iiij. eo. Vide glo. in l. diuortij. ad verbum pœnalis. C. eod. At furti actio ad pœnæ tantum persecutionem attinet. §. fi. inst. de obl. quæ ex delict. nas.

l §. sed hæ actiones. versi. pœna. insti. eodem.

rari quidem in externis dicatur & alienis, in quos videlicet cuiuis liberum sit famosam actionem intendere. Ac fur quidem is sit, qui alienarum personarum res amouet: amotor verò qui suorum[a] res furatur: verbi gratia, patris filius, viri vxor, & fratris frater.

Actionum quædam in rem[b] sunt, quædam in personam. In rem, quibus rem nostram petimus, & semper aduersus possessorem competunt: In personam, quibus cum iis agimus, qui nobis ad aliquid faciendum vel dandum sunt obligati. Rursus actionum aliæ[c] ex contractu nascuntur, aliæ ex facto, aliæ porrò in factum sunt.

Omnes autem actiones[d] aut ciuiles sunt, aut honorariæ.

** Videtur esse scholium.*

Debet vnusquisque aut ciuili iure, aut prætorio. Ciuili quidem ex omni contractuum genere, vt venditione, locatione, permutatione, reliquisque id genus. Prætorio verò iure debet, qui ex lege debet à prætore inducta: cuiusmodi est qui quempiam iniuria[e] affecit, ac proinde æstimationem[f] debet iniuriæ, qui rapuit[g] aut rem quamuis vi abstulit, vnde eam restituere[h] tenetur. Hæc enim & similia lex induxit prætoria.

Pœnales omnes actiones[i] post litem inchoatam in heredes transmittuntur. Si duæ[k] propositæ fuerint actiones, hęc quidem maiorem habens quantitatem, illa verò famosa, præfertur ac potior est famosa. Sin ambæ[l] famosæ sint, tametsi diuersæ quantitatis, æquales censentur. Pluribus de eadem re concurrentibus actionibus maior[m] est intendenda.

DE FVRTO.

QVAE in eos[n] qui publicam sacrámve pecuniam depeculati sunt, statui solet condemnatio, nimirum deportatio, elapso post crimen admissum quinquennio non iam irrogatur. De raptu mulieris[o] etiam extraneus reum postulat, nec obiici potest quinquennij præscriptio. Iniuriarum actio si intra annum[p] non mota, sed dissimulata remissáve fuerit, extinguitur, neque amplius intentari potest. Iniuriarum[q] actio, & cæteræ quæ ex delicto nascuntur obligationes, caput sequuntur, suósque tenent autores.

DE BONORVM POSSESSIONE.

BONORVM possessio[r] est ius prosequendi retinendíque patrimonij siue rei, quæ cuiusque cum is moritur, fuerit. Bonorum[s] possessio est, cum hæres ab aliquo institutus pretorem adeo, ac ab eo postulo, vt me in bonorum possessionem mittat, hoc est hæredem me constituat, résq; defuncti mihi tribuat. Mouetur[t] autem ac petitur, à cognatis quidem qui ex latere sunt, intra centum

a .j. ac toto tit. ff. ac C. rerum amotar.
b l. actionũ genera. de act. & oblig. & §. j. de act. instit.
c d. l. §. actionũ. vbi ad vnguẽ hæc omnia explanantur.
d d. l. §. fin. § sed istæ. insti. de act. Adde l. stipulationum. §. prætoriæ. de ver. ob. & l. j. de præt. sti. et ibi Accur. Vnde et totam prætoriarum stipulationũ naturam, & quot modis hæ dicãtur, abunde cognosces.
e l. prætor edixit. in prin. & l. itẽ apud. §. generaliter. de iniur. & fam. lib.
f §. pœna. institut. de iniur.
g l. ij. in prin. vi bon. rapt. & instit. eod. in princip.
h in quadruplũ. l. j. et insti. eo. Nã l. Christianis. C. de pag. species vnica est.
i l. oẽs pœnal. de act. et obl. et ibi gl. §. pœnales. insti. de perp. & tempo. act. & l. constitutionibus. eo.
k Ad verbum ex l. si in duabus. de reg. iuris. iunge & l. si quid. de sol. & l. cũ ex pluribus. j. & ij. eodem.
l Præter dictas leges vide huc l nunquã. de act. & obl. & l. nunquã. de pri. del.
m l. si status. & l. cũ status. atq; adeò per tot. ti. C. de ord. cog. Adde tit. C. de or. iud. & iura quæ ab Accur. citantur in l. per minorem. de iud.
n l. peculatus crimen. ad leg. Iul. pec. Sed contra l. querela. C. ad leg. Cor. de fal. vbi amplè Accur. de tem. act. cri.
o l. mariti. in fi. ad l. Iul. de adul. l. qui cœtu. in fi. ad leg. Iul. de vi pub. Idem de apostatis statuitur. l. apostatarum. C. de apost.
p Vel continuum: l si non conuitij. C de iniur. vel vtilem: l. si cum exceptione. §. post annum. de eo quod met. & vtrobiq; Accur.
q l. si pœna. l. crimen paternum. de pœn. l. sancimus. C eod. Nam noxa caput sequitur. l. qui ex pluribus. de noxa. act. & inst. eod. in princ.
r l. iij. §. bonorum. de bo. possess.
s Videtur esse scholium. cæterum in hunc locum, vide instit. eod. in prin. & §. j. & l. ij. ff. eod.
t l. j. §. si intra. & §. largius. de suc. edict. & §. cum igitur. instit. de bo. poss.

dies

dies, à descendentibus verò recta serie, intra annum. Non concluditur quinquennio[a], stuprum per vim vel mari vel fœminæ illatum. Sed sine vlla temporis præfinitione accusari potest, qui per vim stuprum intulit, cùm & publicam vim eum committere nulla dubitatio sit. Actio[b] de eo quod vi metúsue causa gestum, in id quod interest quadruplatur. Ac si intra annum quidem intendatur, quadruplum recipiet is cui vim passo res non est restituta, ipso tamen pretio si quod fortè aut ipse aut ille, cuius est hæres rei venditæ nomine accepit, reddito: post annum verò in simplum dũtaxat ei actio dabitur. Siquidem de vi actio intra annum ferè moueri solet.

a *Hoc & paulò antè dictum est sub titu. de fur.*
b *l. si cum exceptione. §. j. §. post annũ. & §. Labeo. de eo quod met.*

* *In illum locum,* ἡ περὶ βίας ἀγωγὴ ἐντὸς μὲν ἐνιαυτοῦ κινουμένη *&c.*

Non dubium, quin hoc loco nominatiuus, qui quo referatur non habet, in genitiuum absolutum sit commutandus, vt ita legas: τῆς περὶ βίας ἀγωγῆς ἐντὸς μὲν ἐνιαυτοῦ κινουμένης. *Cæterùm verba illa* ἀπολήψεται ἀναδιδοὺς, *duplicem habent sensum, vel eum quem in nostra versione expressimus, qui per l. si vi. C. de eo quod met. & l. j. C. de rescind. vendit. firmari videtur, vel paulò alium cui & libenter accederem, si* ἀναδιδόναι *liceret pro* ἀναλογίζεσθαι *sumptum dicere: vt locum ita intelligas, eum qui vim passus est quadruplum à raptore accipere, computato tamẽ in illud quadruplum rei pretio seu æstimatione. In quadrupli enim condemnatione res quidem omnino continetur & rei restitutio, pœna autem vsque ad triplum stat. d. l. si cum exceptione. §. quatenus. & §. sed & si quis. & §. ex maleficiis. vers. vi autem. instit. de actio.[c] Adde quòd dictæ leges, si vi. de eo quod met. & l. j. de rescind. vendit. C. loquuntur cum is qui alteri successerit rem ab eo metu venditam reuocare voluerit. Tunc enim pretium quod in defuncti vtilitatem versum sit, refundere cogitur. Alioqui autem si quis rem suam vendere vi coactus fuerit, aut etiam vi ablatam, alij distraxerint, profectò nulla ei soluendi pretij necessitas imponitur. Quod satis docent l. si per impressionem. C. quod metus. l. si mancipium. C. de rei vend. cum similibus. Vide glo. in d. l si vi. ad verb. reddito.*

c *Eodẽ spectat l. hoc edicto. in fi. de pub. & vect.*

DE FVRTO ITERVM.

FVRTI actio ad duplum[d] consequendum intenditur. Actio, qua quis se in integrum restitui[e] petit, & ea quæ aduersus negotiis gerendis præfectum, institorem[f] Latini dicunt, datur perpetuò, & in hæredibus & in hæredes competunt. In bonæ fidei[g] iudiciis, ex mora vsuræ debentur. Actio, qua quis rem suam vindicat, non in venditorem sed in emptorem qui rem ipsam possidet[h], competit. Conuentus autẽ emptor non rectè à rei domino postulat, vt à venditore rẽ suã vindicet. Ipse siquidẽ possessor est, non vẽditor.

d *§. pœna. institut de oblig. quæ ex delic. nascun. & §. in duplum. de actio.*
e *l. minor. §. si. cum l. seq. de minor. l. non solum. de in integr. rest. l. ij. l. ex persona. & per tot. penè tit. de temp. in inte. rest. C. Petitur autẽ in integrum restitutio iudicis officio, non propria actione. l. in causæ. ij. in princ. & ibi glos. l. quod si minor. §. vltimo. de minor.*
f *l. nouißimè. de institor. actio.*
g *l. mora. §. in bonæ fidei. de vsur.*
h *l. officiũ. de rei vindicatione. l. actionũ genera de actio. & obli. §. j. institut. de act. §. vli. institu. de oblig. quæ ex delic. nas. l j. vbi hæc eadem species est. C. vbi in rem actio.*

DE SPONSIONE, QVAM NOSTRI CONSTITVTAM PECVNIAM DICVNT.

ACTIO quæ ob sponsionem seu constitutum[i] datur, non in te solùm, sed & in hæredes tuos perpetuò competit.

* *Hìc vbi in Græco contextu habes,* Ἐπὶ τῇ ἀντιφωνούσῃ ἀγωγῇ, *lege,* Ἐπὶ

i *l. j. C. de consti. pec.*




τῇ ἀντιφωνήσει ἀγωγῇ, &c. Quod vel sensus ipse satis ostendit.

Crimina [a] vicennio extinguuntur.

DE MVTVO.

IN personalibus actionibus [b], si posterior creditor quod mutuo dederat receperit, tacitéque effluxerit triennium, quo id prior creditor compertum non habuerit, ius eius qui debitum recipere anteuertit, nihil quicquam immutat nec violat.

DE FINIBVS.

VVLT constitutio finali quæstioni [c] nec triennij nec decennij sed triginta duntaxat annorum præscriptionem obstare. In finalibus [d] quæstionibus iudicem oportet vetera monumenta, aut publicam professionem ac censum ante litem inchoatam ordinatum sequi, si modò non varia possessorum successione & arbitrio eorum, qui diuersis temporibus agros tenuerunt, fines permutati probentur. Tunc enim iis standum finibus, qui sint à possessoribus præfiniti, non item vetustioribus.

DE ECCLESIASTICIS.

OMNIS actio [e] venerandæ domui competens, siue personalis est, siue in rem hypothecaria, quadraginta annos non transgreditur: ita tamen vt quæcunque temporariæ exceptiones cuique sacræ domui conueniunt, propria seruent tempora, atque in suo durent robore.

SCHOL.

Cum vellet legislator optimè de ecclesiis sacrisque domibus mereri, easque ampliori beneficio & auxilio ornare ac prosequi [f], illud in earum fauorem statuit, actionem omnem quæ ipsis competeret, siue ea sit in rē hypothecaria, vt si cui personę ecclesia quid mutuū dederit, & ab eo hypothecæ nomine rē immobilem, vt fundum prædiúmve acceperit: siue in personam, vt in eadem specie, si nulla accepta hypotheca mutuauerit: sic enim eum qui est mutuatus, personali duntaxat actione [g], vtpote certi seu mutui condictione obligatum obuinctúmque habet, sola annorum quadraginta præscriptione excludi. Quanquam alioqui iure communi [h] personalis actio annis triginta concludi soleat. Si ergo ecclesia vel quælibet sacra domus in eum qui rem sibi iure hypothecæ obligatam detinet, actione experiatur, vel hypothecaria in rem, vel personali, exceptione decennij *, vicennij ac tricennij neutiquam repellitur, sed quadraginta annorum præscriptione, eaque sola. Sin ab aliqua persona conueniatur ecclesia aut domus venerabilis, non prohibetur, actori decem, viginti trigintáve annorum, & si quæ aliæ sunt temporariæ, præscriptiones obiicere. Vt enim agentibus ipsis sacris domibus actionum tempus legislator prorogauit, ne iis contractis lædantur, suoque iure spolientur, sic conuentis iisdem, actionis eius qui controuersiam mouet, tempus arctauit, quò exceptione decem, viginti, triginta annorum, & reliquis huiusmodi temporariis exceptionibus actorem summoueāt, actionem excludant, tutoque res quas possident, teneant. Id enim est quod sibi vult dictum illud constitutionis suprà positæ: ita tamen vt quæcunque temporariæ exceptiones cuique sacræ domui

a Idem & antè dictum est ex l. querela. C. ad leg. Cor. de fals. itaque hoc loco non sat opportunè repetitur.

b Huc faciunt l. si expedierit. §. j. de bon. aut. iu pos. l. qui autem. §. sciendum. et l. pupillus. vbi monet Scæuola ius ciuile vigilātibus scriptum esse. ff. quæ in fraud. cre. Vide & quæ notat Accur. in l. priuilegia. in gl. ad verbū, ex causa. de pri. cred. & l. in operis. loc. Vnde facilè colliges præferri eum qui occupauit, etsi non trāscurrerit triennium.

c l. fi. C. fi. reg. & ibi vide Accur.

d l in finalibus. cum seq. fi. reg. l. j. & ij. C. eodem.

e No. de eccl. ti. §. pro tēporalibus. coll. ix. vnde authent. quas actiones. C. de sacr. eccles. & §. quas actiones. in ca. placuit. xvj. q. iij. sumpta sunt. Idem statuitur Nouella, cuius titulus est, Hæc constitutio innouat constituit.

f Ex mera siquidem principis liberalitate beneficiū hoc est ecclesiæ indultum: vt not. Accur. locis iam dictis. Vnde & aduersus priuatum se tuens ecclesia iure vtitur priuati. Nec repugnat illud iuris axioma, quod quisque iuris. Hoc enim quo modo sit intelligendum docet Vlpianus l. iij. quod quisque iuris. Vide ibidem Accur.

g Glos. rub. ad tit. de reb. cred. si cert. pet. l. certi condictio. & per totum tit.

h l. sicut. C. de præscript. xxx vel xl annor. Hypothecaria autem xl annorum vtitur curriculis. l. j. §. ad hæc. C. de annali except.

* δεκαετίας ita in Græco exemplari legendum non διετίας. Nam & ita legitur aliquantò pòst.

con

conueniunt, propria seruent tempora, atque in suo durent robore. Ac ita quidem nonnulli Nouellam hanc interpretantur, & rectè sanè meo iudicio. At alij verba tantùm apprehendentes, quo scilicet loco temporariarum exceptionum fit mentio, exceptiones temporarias in hac Nouella intelligi putant, quæ decennio includuntur, cuiusmodi est non numeratæ pecuniæ, quę intra biennium [a] duntaxat, vsucapionis, quæ intra triennium [b] afferri opponíque solet, & cæteræ id genus [c]. Instantésque asserunt eiusmodi exceptiones, siue se sacræ domus aduersus eos à quibus conueniuntur, tueantur, siue qui ab ecclesiis in ius trahuntur, propria & accommodata seruare tempora, nec in quadraginta annos protendi. Et profectò non rectè eos sentire existimo, quod quidem ad personas attinet, quibus ab ecclesia aut venerabili domo controuersia fit. Porrò illud ex canonum præscripto aduerte, ecclesiam aduersus ecclesiam, venerabilem domum aduersus alteram venerabilem domum triginta [d] annorum præscriptione repelli.

Qui de re soli [e] cum aliquo qui eam non ex iusta causa possideat, experitur, si nondum triginta annorum pręscriptione summotus sit, nec propriam amiserit actionem in ius suum restituitur. Actio [f] quæ triginta annorum interuallo non tollitur, quadraginta annis prorsus expirat. Neque status [g] controuersia expleto anno quadragesimo, vltrà moueri potest. De publicis [h] præteriti temporis retróque non exactis tributis nemo post elapsos annos quadraginta ampliùs conuenitur. Nulla temporis præscriptio aut ciuilem tollit canonem [i], aliámve quampiam publicam collationem: aut amplius quàm debeatur exigendi facultatem confirmat. Qui post actionem [k] in iudicium deductam, per quadraginta annos siluit, iam actionis intendendæ iudicióque experiundi facultatem non habet, sed ne hæres quidem ipsius. Actio de rei [l] venditæ pretio aut debito, triginta annis extinguitur. In iis qui publicas [m] accipiunt aut interuertunt pecunias, tempus agendi potestatem non tollit. Si quid enim ex bonis publicis detineant, tempore non adiuuantur, nec actores excludunt. Quin & ipsis defunctis, eorum liberi etsi nihilo ditiores ex his euaserint, nihílve ex hæreditate acceperint, detēti causam dicere atque actoribus respondere compelluntur.

RVRSVM DE MVTVO.

CERTI mutuíve condictio, si personaliter [n] ab initio mota agitatáque fuerit triginta annorum exceptione tollitur.

DE HYPOTHECA.

HYPOTHECARVM persecutio [o] quæ rerū mouetur gratia, vel apud debitores consistentiū, vel apud debitorum hæredes, non

a *l. in cōtractibus. C. de non nu. pe. instit. de lit. obl. §. fi.*

b *l. j. C. de vsuc. trāsf. instit de vsucap. in prin. Trienniū porrò continuū. l. nunquam. §. j. ff. eo. cuius vltimum diem satis sit attigisse. l. in vsucapionibus. cum l. seq. eod.*

c *Vt redhibitoria quæ sex mēses vtiles habet, & quantò minoris quæ annū. l. sciēdum. §. vlti. l. ædiles aiunt. de ædilit. edicto. & l. ij. C. de ædil. act. Item quadriēnij præscriptio aduersus fiscū: per totum ti. C. de quadrien præscript.*

d *c. placuit. vers in canonibus verò. xvj. q. iij. Hodie autem quadragenaria dūtaxat præscriptio tā in ecclesiis quam monasteriis locū habet c. de quarta extrà de præscrip.*

e *Vide dict. l. j. § ad hæc. C. de an. excep.*

f *l. omnes. C. de præscript. xxx vel xl an. Confer l. fin. de fun. pa. lib. xj. C. Et vide quæ not. Accur. in l. vt inter diuinū. in gl. ad verb. cētum annorum. C. de sacros. eccl.*

g *d. l. omnes. Huc facit l. scimus. §. illud. etsi repugnare videatur, de agri. & censit. xj. lib. C. Cæterùm si per xx annos seruus bona fide in libertate manserit, præscribit libertatem. l. ij C. de long. temp. præscrip. quæ pro lib. Aduersus libertatem autem nulla præscribit temporis longinquitas. l. fina. C. eod.*

h *Potest tamen fiscus ob tributa præteriti temporis non soluta prædium iure pignoris distrahere. l. cum possessor. §. fi. de censi. vide & l. vlt. §. si quis professus. de publ. & vect.*

i *l. comperit. C de præscrip. xxx vel xl anno. confer l. in omnibus. de di. & temp. præscrip. vbi aduersus fiscum annis xx præscribitur. Porro quibus casibus cesset præscriptio vide glo. not. in c. cùm non liceat. extra de præscrip.*

k *l. fi. C de præscrip. xxx vel xl anno & l. j. §. ad hæc. de ann. excep.*

l *d. l. sicut. & d. §. ad hæc. vide l. empti. & ibi Accur. C. de euict.*

m *l. ij. ad legem Iul. repet. l. vlt. ad leg. Iul. pec. l. ex iudiciorum. de accu. l. in senatusconsultum. §. si propter. versi idem. ad senatuscon. Turpil.*

n *d. l. j. §. ad hæc. C. de anna. excep.*

o *l. cum notissimi. §. j. & ij. & per totam legem. C. de præscrip. xxx vel xl annorum.*

vltra xl annos ex quo cõpetere cœpit, prorogatur. Quòd si posterior creditor in anteriorem egerit, soli xl annorũ præscriptioni locus est, donec communis viuit debitor. Ex quo autẽ decesserit, licet ei proprio nomine agere, repelletur autem decennio [a] ac vicennio. Qui fundum [b] quemlibet per continuum quadraginta annorum curriculum possedit, super eo vltrà conueniri non potest, nisi vt impositum soluat canonem. Si quis intra [c] annum, rei possessione à se translata aliíque tradita, sese offerens, litem suscipere voluerit, recepta possessione facultatem habet experiundi. Prohibere dominum quominus ad proprij montis saltúsve arbores cædendas accedat, possessionem [d] neutiquam aufert, sed hoc per totos annos triginta fecisse.

DE FRVCTIBVS QVI EX PRAEDIIS PERCIPIVNTVR.

FRVCTVS [e] prædiorum in quorum possessionem quispiam decreto iudicis est missus non repetuntur. Sed si quidem intra annum [f] experiatur is qui in ius vocatus ob contumaciam, cum sui copiam non faceret, rei suæ possessionem amisit, agenti possessio restituetur, túmque re propria recepta iudicium suscipere suámque causam probare ac prosequi cogetur. Si verò post annum demum sui potestatem fecerit, possessio quidem nequaquam ei restituitur, verùm proprium prosequitur certamen ac causam. Porrò de tempore quo possessio autoritate iudicis decreta in dominium transeat [g] & cum proprietate consolidetur, nihil apertè legibus statutum est. Ac propterea benignè, ex æquóque ac bono dicebat patritius huic rei satis esse perpetui temporis quadragenariam nimirum præscriptionem. Enimuerò [h] si ex mora aut quauis alia causa quis in possessionem missus sit, & fructus quos eo nomine ceperit restituit, ac ne ex his quidem alitur.

DE ADVLTERIO.

ACTIO de adulterio intra quinquennium [i] mouetur. Iunctum adulterio [k] incestum quinque annorum præscriptione nequaquam extinguitur.

* *Ad sequentem titulum pertinet.*

Intra [l] continuum biennium actio de dolo mouetur.

DE DOLO.

DOLI exceptio [m] perpetuò competit, nec vt actio de dolo, certo finitur tempore.

a Imoverò sola xxx ann præscrip. vt d. l. monet. Possessor quidem bonæ fidei aduersus hypothecariã annis x vel xx ex l. j. & ij. C. si aduer. cre. præscribit. Ad quod forsitan hic autor respexit. Quatuor enim tempora habet hypothecaria x vel xx annos si extraneus cum titulo bonáque fide: xxx si mala fide vel sine titulo: xl, si debitor eiúsve hæres aut alter ex creditoribus possideat. Not. Accur. d. l. cum notissimi. in gl. ad verb. spatiis.

b l. si. de fun. patr. xj. lib. C. & d. l. comperit.

c l. si quis emptionis. §. pen. de præscript. xxx vel xl ann. C.

d Quæ & solo retinetur animo. l. peregre. in fi. l. quãuis. in fi. l. iij. §. saltus. cum multis aliis. de acquir. poss.

e l. Fulcinius. §. fi. ex quib. cau. in pos. ea.

f l. ij. C. vbi in rem actio. facit d. l. si quis emptionis. §. pe. & No. de exhi. reis §. si verò semel. colla. v. vnde sumpta est auth & qui iurat. C. de bon. autho iud. poss. Huc attinet c quoniam frequenter. §. in aliis verò extra vt lit. non contest.

g De tota hac re vide d. c. quoniam frequenter. Sed amplè per Accur. in l. si finita. §. si plures. in gl. ad verbum, prius. vbi in personalibus actionibus dicit secundum interponi decretum, non item in rei vendic. cuius rei obseruandam in primis rationem tradit. ff. de dam. infe.

h l. prætor ait. de bo. aut. iud. poss. & d. l. Fulcinius. statim initio.

i l. mariti. §. præterea. & hoc continuũ. l. quinquẽniũ. ad l. Iul. de adul. l. adulter. C. eo.

k l. vim passam. §. præscriptione. eo.

l l. fi. C. de do. ma. quo tamen elapso perpetuò in hæredem datur, si quid lucri perceperit, l. itaque. §. j cum l sequen. ff. eodem.

m l. pure. §. fina. de doli ma. & me. excep. & §. appellantur. instit. de except. Sed hoc si ante sententiam opponatur, vt eo loco docet Accur. facit l. si pactum. C. de excep.

SCHOL.

De dolo actio huiuscemodi est, verbi gratia: Inescatū [a] me, forsan inebriatum, aut quouis alio modo illectum ac deceptum eò impulisti, vt rem tibi meam traderem. Ego verò ad me tandem rediens re cognita tecum de dolo ago. Si itaque ante latam sententiam rem meam restitueris, & condemnationem effugis, & damno [b] tete liberas quod inde inuehitur.

Iubet constitutio [c] & incipere & finiri iudicium de dolo intra continuum biennium, ex quo asseritur commissus dolus, siue absfuerit, siue præsto sit is qui sibi dolum fucúmque factum esse queritur.

Cauet constitutio, actionem omnem [d] quę ob prauam vel fortuitam vel excogitatam quorundam interpretationem tricennio non est extincta, quadraginta annorum lapsu prorsus interire ac sopiri, nulla persona ab hac exceptione eximenda, siue priuata sit, siue publica: si tamen publicas hinc collationes seu pensitationes seiunxeris, quibus nulla cuiuscunque temporis præscriptio opposita admittitur.

ABROGATIO QVADRAGENARIAE PRAESCRIPTIONIS.

DE POTENTATV.

CAETERVM Nouella lex Cæsaris Basilij Porphyrogennetæ in his quadraginta annorum præscriptionem tollit: nihil scilicet quadragenaria [e] exceptione præpotentes iuuari, si inopes iniuria affectos circumuenerint, vsque ab ipsis quippiam extorserint. Neque rursum inopes, si potentiorum iniuriis oppresi fuerint, quadraginta annorum præscriptione repelli. Neque vllas prorsus valere præscriptiones, etsi aureis orationibus insertæ sint, quæ iniustè & fraudulenter inductæ fuerint. Neque ipsum etiam fiscum [f] vllo temporis excludi interuallo, sed ab Augusto principe ius suum reuocare, probationésque & documenta sua ad illud recuperādum afferre.

Neque hoc alienum duximus statuere, vt qui ob delictū aliquod, loco aliquo circunscripti detinentur [g], idque vel domi suæ, nulla circunscribantur aut lædantur temporis præscriptione. Sed neque iis ratio subducatur [h] temporis, qui ob ministerium aliquod principis obsequiúm ve publicum absunt, quandiu in ipso ministerij loco versantur, atque id quoad reuersi fuerint. Nam & Cæsar inquit: Eius absentia [i] qui reipublicæ causa abest neque ei, neque alij damnosa esse debet.

SCHOL.

Perspicuum est præsentis capitis institutum. Vult enim eum qui functionis publicæ causa peregrinetur, forsan pro populo Romano legationem [k] obiens, nihil inde detrimenti capere, neque ideo ius suum perdere, neque rursum eos qui aduersus illum actiones habent, nec ob eius absentiam eas possunt intendere, ea lædi absentia actionésque suas perdere. Sed si legatus rem alienam detinet, idque vel à fisco ipso possidens, nequaquam eam amittet verus eius dominus, etiamsi longum tempus effluxerit, vt qui non posit detinentem legatum iure ipso absentiæ scilicet nomine excusatum, in iudicium trahere. Rursum si quis absentis legati agrum possidet, nullum ex eo hic absens incommodum feret, sed eo reuer-

a *Confer scholium hoc cum Theophilo in §. præterea. insti. de act. & simile quippiam vide apud Accur. in l. dolum. C. de do. ma.*

b *Theophilus d. §. pro ζημίαν habet ἀτιμίαν, infamiam.*

c *d. l. fin C. de do. vbi notatu dignū, cùm generaliter lite contestata actio omnis sit perpetua, soli penè de dolo actioni hoc non competere. Quod etiamnū firmat l. quæsitum. §. vlt. de pec.*

d *Hæc & antè dicta sunt ex l omnes. cū seq. C. de præscript. xxx vel xl annor.*

e *Abrogatur dicta l. omnes.*

f *Abrogatur l. in omnibus. quæ fiscū xx annorum præscriptione repellit, vbi & gl. Accur. vide. de di. & tēpo. præscrip.*

g *Hnc iura seq. fac. l. si idcirco. quibus ex cau. ma. C. l succurritur. cum seq. l. & l. necnon. §. item. ff. eod. quibus idem pene statuitur tametsi non ob delictū quis ita captus sit, vt recedere non possit.*

h *l. ij. quib. non obstat long. tempo præscr. C. & l. inter eos. in fi. ex quib. cau ma.*

i *l. absentia. de regul. iur. l. j. & l. videlicet. ex quib. cau. ma 10. ff. & l. j. C. eod.*

k *vt d. l. j. C. quib. ex cau. maio.*

so,& ei aduersus alium quemuis,& vicissim aliis in eum integra ac salua iura exercebuntur ac promentur. Ille autem Reipub.[a] causa abesse dicitur, qui ad legationem obeundam, aut ad extruendum castrum, aut ad similia peragenda missus est. Iudex autem, rerum administratores, duces & quibuscunque populi munera sunt commissa non videntur Reipub. causa abesse, neque quicquam absentia eis aut ad acquirendam aut amittendam possessionem confert: propterea quòd hi omnes huiusmodi ministeria sponte sua subeunt, aliquem etiamsi visum fuerit in locum suum substituentes.

Surdus, mutus, furiosus & imprudens, ac mente captus & captiuus, temporis non subiacent præscriptioni. Tum autem ipsis tempus currere incipit, cum hic quidem [b] postliminio reuersus, illi verò morbo vitióque soluti fuerint.

a Quinam Reipubl. causa abesse dicantur, vide l. Reipub. causa. l. nõ verè. & l. abesse. & alias plerasque. ex quib. cau. maior.

b Facit l. ait prætor. §. pe. & l. ab hostibus. in princip. cum similib. eod.

DE IVDICIARIO CALCVLO ET SENTENTIA. TIT. IIII.



IVDEX Esse[c] non potest, qui nec iurisdictioni præest, neque à principe potestate aliqua præditus est, neque ab eo qui ius dandorum iudicum habet, datus est, nec ex aliqua lege confirmatus, vel ex cõpromisso sumptus. Nemo sibi iudex [d] esto, aut sibi ius dicat. Id siquidem periniquum est.

SCHOL.

Verbi gratia, proponatur hæc facti species. Expertus sum cum Petro, ac domum quæ ab illo detinebatur, euici, vtpote ad me spectantem. Porrò nondum dirempta controuersia, fato concedens Petrus iudicem qui de eo negotio cognoscebat, hæredem scribit. A causæ itaque cognitione vlteriori desistit iudex. mihi enim iam aduersarius factus, iudicium in propria causa ferre non potest. Datur ergo alius qui inter me & iudicem sententiam ferat. Atque hoc est quod dicitur: Nemo sibi iudex esto. Quod verò subsequitur, neque ius sibi dicat, eiusmodi est. Idem qui iudex sedebat in lite quæ mihi cum Petro intercessit, à Petro defuncto hæres est institutus. Hic priùs quàm rerum hæreditariarũ possessionem nanciscatur, ac hæreditatem ipsam adeat, anteuertit quispiam Petro forsan propinquus. Non debet in hac causa iudex eum qui hæreditatem detinet autoritate propria è possessione deiicere, seque ipse in rerum hæreditariarũ possessionem mittere. Nemo enim (vt iam statutum est) sibi ius dicit. Bonorum[e] enim possessionem dare iurisdictionis est. Debes igitur magistratum alium quempiam adire, atque apud illum acta causa, in possessionem tandem hæreditariarum rerum mitti.

Minor [f] vigintiquinque annis, iudicandi munere fungi non potest. Messium [g] vindemiarúmque tempore nemo ad iudicium venire compellitur. Die dominico[h] cæterísque festis diebus tam iudices, quàm reliqui quiescant, solis exemptis agricolis. Nouella[i] autem Cęsaris Leonis cauetur, vt die dominico ipsi quoque agricolæ ab omni vacent opere. Quadraginta [k] diebus qui Paschæ ferias antecedunt, omnis apud quemlibet magistratum inhibeatur criminalium quæstionum cognitio. Constitutio [l] tamen latrones vult & isauros etiam quadragesimæ tempore, quin & Paschę quouis die exquiri, tormentisque subiici.

c Ad verbum ex l. pen. de iud. facit l. priuatoru. C. de iurisd. om. iudic. item c. significasti. extra de foro compet.

d l. vnic. C. ne quis in sua cau. iu. Qui enim sibi ius dicit, vim facere creditur. l. extat. de eo quod met. cau. secus in arbitrio. l. si libertus. ij. de oper. lib.

e l. j. & ij de iurisdi. omnium iud.

f l. spurij. §. j. & l. nõ tantum. de decur. l. ad rempub. de muner. & honor. Huc confer l. quidã consulebant. de re iud. & l. cum prætor. de iud. & l. cum lege. de rec. arb.

g l. j. de feriis. Estq; id tempus pro cuiusq; loci cõsuetudine statuẽdũ. l. præsides. eo.

h l. omnes iudices. C. de fer. l. ij. & l. omnes dies C. eodem.

i Hanc habes l. vlti. C. eod. consonat c. j. & vlt. extra eod.

k l. quadraginta. C. e.

l Honor. & Theodo. Impp. quam habes l. prouinciarũ. C. eo.

* *In illum locum,* καὶ τοὺς ἰσαύρους.

Isaurorum, quos latrones insignes atq; infames intelligimus, fit etiam

men

mentio l.fin.C.ad leg.Iul.de vi pub. Vbi & aliud latronum genus, quos buccellarios vocat, commemoratur. Cæterùm nostrorum exemplarium margini ascribuntur dictiones hæ, ἅρπαγας φονεῖς καὶ οὓς χοσιαρίους φασίν, raptores siccarios, & quos chosiarios appellant. Quæ verba in aliis exemplaribus contextui inseruntur. Porrò chosiariorum nomen & etymon ignotum nobis est. Id tantùm licet coniicere, infamatissimum genus latronum fuisse.

EIVSDEM.

Vbi primus [a] ex diebus Paschalibus extiterit, etiam principis iussa hac in re non expectata, omnes quotquot in custodia sunt dimittantur, nisi quis forsan aut sacrilegus est, aut adulter, aut virginum raptor, aut sepulchrorum violator, aut præstigiator, aut veneficus, aut siccarius, aut parricida, aut aliquid in principẽ vel ciuitatem molitus deprehenditur. Quæstionem [b] de aliquo habiturum, aut aliàs cogniturum oportet ante diem palam id facere, vt ne qui accusandi sunt, subito terrore ac turba opprimantur. Per interuallum [c] non minùs decem dierum edictum præceptúmve iudicis proponi debet aduersus eum qui iam accepto iudicio tergiuersatur, idque tertiò. Cæterùm nouella [d] lex post Codicem promulgata triginta dierum spatium cuique edicto ad tertium vsque, quod & peremptorium dici solet, tribuit. Quæ certo [e] non præfinitur tempore enuntiatio, decem dierum spatio præstituta intelligitur. Actio [f] omnis quæ in eos intenditur præsides, qui prouincia potestatéque decesserunt, siue criminosa sit siue pecuniaria, intra viginti dierum spatium postquàm orta fuerit, terminari debet. Quòd si segnem se atque ignauum in ea decidenda iudex exhibuerit, ipse quidem mulctatur: causa verò iam in iudicium deducta legitimè terminatur. Omnis [g] causa pecuniaria iis duntaxat exceptis quę ad ius fiscale publicásve functiones petinent, non vltra triennij metas post litem contestatam est protrahenda. Iudicis [h] à se dati sententiam magistratus qui eum dedit, exequatur.

SCHOL.

Vt dedit magnus [i] Drungarius, aut alius quispiam iurisdictonem habens ac imperium, iudicem qui inter duos aliquos cognosceret. Sententiam tulit iudex, qua alter ex litigantibus est condẽnatus, finge verbi causa in quingenta [k] sestertia. Huius sententiæ executionem, vt scilicet hæc pecuniæ summa exigatur, procurare debet qui iudicem dedit.

Quæcunque [l] aut à litigatoribus, aut causarum patronis prætermittuntur, ea à iudicibus suppleantur.

SCHOL.

Plana est atque aperta hæc lex [m]. Iubet enim, vt si quid à litigatoribus vel iis qui negotiis assistunt minus dictum fuerit, id iudex suppleat. Vt si fortè legem quæ sibi auxilio sit, altera pars ex litigantibus prætermiserit, iudicem statuit eam

a l. nemo deinceps.C. de episc.aud. Cæterùm sacrũ Pascha septeno numero dies vel præcedunt, vel sequuntur. l.omnes dies.C.de feriis.

b l.vnius.§.cognitorum.de quæst.facit l. custodias. de public.iudic.

c l.per interuallum. de iud. l.properandum.§.j. C.eodem. Quod tamẽ iudex pro conditione causæ moderatur.l.nõnunquam.ff.eo. cui quadrat c. cõsuluit. in fin. de off.deleg.

d No.scilicet de litig. §.omnem. vnde authent. qui semel.C. quomo. & quando iud. sumpta est. de qua re & suprà actum est.

e l. promissor Stichi. §.j.de constit.pecu.

f l.vni.§.vlt.vt omnes iud.C.

g l. properandum. in princ.C.de iud.criminalis verò nõ vltra biennium. ea.l. & l.fin.C.vt intra cer.temp.cri.quæst. term.

h l.à diuo Pio. j.resp. de re iud. & cap. si quis.sub fi.extra de foro compet.

i Drungariorũ munus & etymon nobis planè est ignotum, sicut & aliorum quorundam in hoc opere, eius regionis atque ætatis peculiarium.

k Notam hãc quæ in Græco exẽplari est frequentissima nescio an eandem cum sestertio dicere liceat, etsi eius nota paulò alia est HS de cuius æstimatione, vide Volusium Mætianum in fragmento de asse & partibus eius, quod C.Theodosiano subnectitur.

l l.vnic. C.vt quæ des. aduoc. part. iud.suppl.

m pro νεάδον quod in Græco codice est νόμιμον substituo, vt paulò pòst subiungitur.

proferre

proferre & litigantis defectum supplere. Factum[a] verò seu negotium non item. Non enim id à iudice postulatur, vt quæ per se ipsi transegerunt litigatores, cognita perspectaque habeat. Verbi gratia, si Petrus cum Paulo apud Marcum iudicem litigans transactionem de libro iniit, aliquanto verò pòst tempore idem Petrus ab eodem Paulo de eodem libro apud Ioannem iudicem conuentus est, neque Paulo transactionis conuenta Petrus excipiens opposuit, nequaquam ex munere iudicis est, vt quod litiganti deest expleat, dicatque: At transegisti ò Paule. Leges enim, non facta iudex cognoscere cogitur.

Non oportet iudices[b], appellantibus aut moram impedimentúmque afferre, aut iniurios esse. Si quid enim horum fiat, patet ipsis ad principem aditus.

SCHOL.

Perspicua est lex præsens. Siquidem iniungit iudicibus, vt appellationes æquo admittant animo, atque eos qui appellant, nec impediant, nec contumelia[c] afficiant. Quòd si quid eiusmodi egerint, appellare prohibitis vel etiam iniuria affectis facultatem dat adeundi principis, atque ad eum totius negotij referendi. Is porrò cognita re iudicibus qui hæc admiserunt meritas pœnas irrogat. Quin & lege[d] Iulia de vi publica tenentur iudices, qui appellantes iniuria afficiunt. Vniuersis enim eorum bonis fisco adiudicatis, perpetua notantur infamia.

Militares magistratus ac iudices[e] inter milites de causis duntaxat seu controuersiis militaribus cognoscunt. At de cæteris causis, qui per singula loca publica tractāt negotia, aut aliàs locorum præpositi etiam inter milites iudicium cognitionémque interponunt.

Etiam[f] ante finem litis ferri sententiam par est, cum pergit reus iudicio contumaciter abesse. Non tamen eum simpliciter condemnabat Magister, qui ad extremam vsque litem iudicio sistere noluisset, sed sistendi tempus præstituebat, intra quod nisi copiam sui faceret, plenè atque absolutè sententiam ferebat condēnatoriam. Cum enim de causa alicuius cognoscens ad finem eam perduxisset, ac postea, qui damnatus erat, turpiter se subduceret nulla iudiciarij ordinis habita ratione, his in sua sententia verbis vtebatur: Iudicio statutum est vt Protospatharius Nicephorus[g] prædium hoc ratione possessionis[h] accipiat. Vt ita nimirum intelligens aduersarius nihil sibi profuisse quòd impudenter se iudicio substraxerit, aut quamprimum compareat, probationes suas ac iura ad quartum ab adiudicata possessione mensem allaturus, iurique suo restituendus, aut certè dum in eadem persistens contumacia, præfinita transgreditur tempora, planè condemnetur, vt pote ex altera tantùm parte causa agitata, quemadmodum cauetur legibus[i] super hac re latis. Absens nemo graui[k] crimine damnatur, sed literis annotatus requiritur. Ex

a Vide quæ per Accur. not. d. l. C. & l. age cum Geminiano. C. de trāsact. & l. si ff. de pet. hæred. Idem tradit l. eum quem. in fin. de iud. Facit & l. illicitas. §. veritas. quòd iudicē oporteat ex fide eorum quæ probantur non ex conscientia sententiam ferre. Qui scrupulus quia admodum cōtrouersus est, vide c. pastoralis. §. quia verò. cū glo. ad verbum, tenetur. extra de offic. & pot. iud. deleg. c. j. de sen. & re iud. in vj. c. iudicet. iij. q. vij. cum si.

b l. minimè fas. C. de appel. & l. Græca, αὐτοκράτωρ. ff. eodem. Et pœna statuitur. l. quoniā iudices. & tempus ad interponendā querimoniā. l. si appellationem. C. eod.

c à qua etiam facilè prouocatur. l. si quis C. eodem

d l. lege Iulia. ad leg. Iul. de vi publ.

e fac. l. j. & ij. de off. mil. iud. C. fac. & l. iij. in prin. ff. de re milit.

f l. properandum. §. sin autem reus. C. de iud. l. consentaneum. C. quomo. & quan. iud. His consonat cap. quoniam frequenter. extra vt lit. non contest & cap. prout nobis. de dol. & contumac. Obseruabis interim sententiam in absentem non ex contumacia rei iudicatæ vim non habere. l. ea quæ. & l. pe. C. quo. & quan. iu. De triplici autē cōtumaciæ genere vide c. certum est. xj. q. iij. & gl. in d. c. quoniam frequenter. §. porrò. ad verb. impedit. Cæterum vt planissimè quicquid est super hac re tenendum assequare, vide notandas imprimis gl. iu. ciui. d. l. properandum. §. sin autem reus. ad verbum, audiatur. iu canon. d. c. prout nobis. ad verbum, definitiua.

g νικηφόρος nomen esse proprium existimo, etsi victorem potest significare.

h in quam missio fit pro re petita, si in rem agitur. l. Fulcinius. sub fi. qui. ex cau. in poss. ea. pro modo debiti, si in personā. l. j. eo. auth. & qui iurat. C. de bo. auth. iud. poss. Proprietatis autē quæstio absenti salua manet. l. ij. C. vbi in rē act. d. c. quoniā frequenter. §. quod si super rebus vide sup. ad d gl.

i l. properādū. §. sin autē reus. & d. auth. & qui iurat. quod est cōtra præscriptū l. iudices. C. de iu. & c. iudicātē. xxx. q. v.

k l. j. & ij. C. de requir. re. l. j. & vl. ff. eo.

quo verò id cognouerit, annum habet ad se purgandum. Quòd si intra annum redierit, & vel se purgauerit, vel decesserit, bona eius fisco non vendicantur, sed ad hæredes transmittuntur. Quòd si intra anni spatium iudicio adesse noluerit, & res eius fisco adiudicantur, & ipse repertus seueriori sententiæ subiicitur. Sed etsi argumentis efficacibus & probatione dilucida innocentiam suam purgare studuerit, nihilominus facultates eius penes fiscũ maneant. Neq;[a] de suspicionibus, neque absens quisquam condemnari debet, sed is demum qui post multas denuntiationes atque edicta per contumaciam defuerit, & ipse quidem vsque ad pœnas pecuniarias, vel eas quę existimationem contingunt, vel etiam relegationem. Accusator autem absens condemnatur, & grauiùs interdum quàm quod in calumniatores est, Turpilianum inquam senatusconsultum[b], statuat. Magistratum non oportet[c] popularium acclamationibus morem gerere, quando aut noxium crimine absolui, aut innocentem condemnari desiderant. Ne facilè[d] ac temere iudex sententiam ferat capitalem, ni priùs aut propria cõfessione, aut testium interrogatione, aut per tormenta & quęstiones ita cõuictus fuerit reus, vt vix ipse etiam quæ commiserit negare sufficiat. Non semper[e], nec facilè ei fides habenda est, qui vltro de maleficio fateatur. Persæpe enim aut metu, aut aliqua alia de causa in se confingit.

DE SVMPTIBVS QVOS QVIS INIVSTE FACIT.

CONSTITVTIONE[f] cauetur, vt iudex omnis sententia sua iubeat eum qui succubuerit, sumptus omnes in iudicio factos pręstare. Id quod si iudex ipse non fecerit, damnum hoc victrici parti de suo resarcire cogitur. Licet iudici litis impensas in iudicium collatas, ei qui ex litigantibus victus fuerit imponere, ipsúmque ad eas refundendas compellere, quin & supra ea quæ expensa sunt, ad decimam[g] vsque sumptuum partem eum grauare. Hæc autem quę sumptus litis excedunt maxima ex parte fisco adiudicari solent. Raro autem si id ita iudici visum fuerit, etiam victori, pro eo quod litis sumptibus præter æquum ac ius est attritus, ex his datur quicquid dandum iudex decreuerit. Res[h] inter alios iudicatæ, absenti nec commodum nec damnum pręiudiciúmve afferunt. Id quod & in criminibus, & in hæreditatibus obtinet. Si quis[i] rem iudicatam sub computationis prætextu instaurare voluerit, non potest.

SCHOL.

Iudex quispiam de controuersia inter Petrum & Paulum, finge verbi causa, di-

a *l. absentem. de pœ. l. absentẽ. C. de accusat. Sola siquidem præsumptione quis non grauatur. arg. l. iij. §. idem tamen confitetur. de mino. l. si chirographum. de proba. & l. vlti. C. eo. Cæterùm absentem non damnari in criminalibus accipe. Nam secus in ciuilibus. l. properandum. §. j. & ij. vt & sup. dictũ est.*

b De cuius pœna vide l. iij. in fi. de præuar. l. ij. C. ad senatuscon. Turpil.

c *l. decurionum filij. C. de pœ. fac. l. diuo* Marco. *C. qui manu non poss. & l si priuatus. ff. qui & à quib. manu. Item cap. ij. extr. de elec. Est enim docendus populus nõ sequendus. can. docendus. lxij. distinct.*

d *l. qui sententiam. C. de pœ. fac. c. Epiphanium. v. quæst. vj.*

e *l. j. §. Diuus Seuerus. & § si quis vltro. de quæst. Adde quæ no. Accur. in l. vltim. C. eod. in glos. vltima.*

f *l. properandum. §. siue autem alterutra. C. de iud. l. omnes qui. §. vl. de episcop. & cler. l. eum quem temere. ff. de iud. §. hæc autẽ omnia. insti. de pœ. te. litig. consonat c. finem litibus. extra de dolo & contu. vbi est not. gl. ad vocem, expensas.*

g *Huius decimæ mentio fit, in Nou. de litig. §. ad excludendas. vnde auth. generaliter. C. de episc. & cler sumpta est, sed paulò alia ratione quàm hîc. Porrò abrogatur litis decima: in inst. §. hæc autem omnia. de pœn. teme. litig. vbi & Theoph. consule planè quicquid est huius rei more suo enodantem.*

h *l. sæpe. de re iud. l. j. & per totum tit. C. res int. al. act. & quib. res iud. non no. Conc. c. cum super. & cape. cum cæteris similibus. extra de sen. & re iud. Quibus autem hoc casibus fallat, vide no. gl. d. c. pen. extra de sen. & re iud. & gl. in l. ij. quib. res iud. non no. C.*

i *l. ij. C. de re iud. & l. vni. de err. cal. vbi & Acc. vide. fac. l. iudex posteaquam. de re iud. c. in literis. & c. venerabili. extra de off. & pot. iud. deleg. & c. si cõpromissarius. §. j. de elect. in vj. cũ si.*

sceptans, variis causæ propositis capitibus tandem sentētiam tulit. Cumque vnum esset caput de lapidibus aut margaritis, quod ad æstimationem ascenderet ducentûm nummorum, illud ipse centum æstimauit. Subducta posteà ratione deprehendens perperam à se hac pecuniæ summa caput æstimatum, iam latam sententiam vult retractare. Inquit igitur constitutio minimè id iudici licere. Hoc enim si detur, quando tandem litium [a] finis erit? cùm possit sententia iam lata iudex quiuis dicere se, quòd malè iudicârit, oportere sententiam reuocare. Aut etiam sic factum propone. Cum à reo nummos centum actor postularet, & is vicissim tantundem reo deberet, non dixit cum damnaretur, reus, sibi ab actore quoque centum deberi, parque esse ac rationi consentaneum vt iis computatis, actione liberaretur. Cum itaque hoc conticuisset, condemnatus est. Deinceps secum ipse reputans quòd inducere compensationem [b] debuisset, iudicium instaurari volebat, quo ratio compensationis haberetur. Huic rei prospiciens constitutio fieri hoc non posse monet, vt ne inde insolubilia esse iudicia, atque implicita contingat. Sed primùm quidem centum illa persoluat, in quæ damnatus est. Deinde verò de centum quæ sibi deberi contendit experiatur, & ius suum consequetur.

Specie [c] nouorum instrumentorum posteà repertorum, instaurari innouaríque sententias exemplo graue est.

SCHOL.

Petrus quidam cum Marco de euictione domus experiebatur. Quam cùm ad se spectare probasset, secundum eum iudicatum est, ac sententia iudicis ei ascripta domus. Lata iam sententia Marcus transactionem inuenit, quam super ea domo Petrus cum patre suo inierat, qua quidem ius omne Petro eripiebatur. Ea prolata, rescindi sententiam postulabat. Id negotij ad principis aures emanauit. Is rescripsit nec transactionem admittendam, nec ideo sentētiam infringendam, quòd post eam nouum quoddam documētum toto primo iudicio nusquam productum, recèns inuentum esset, graue nimirum & à iudiciorum maiestate alienum arbitratus, occasionem condemnatis dare subuertendarum & conuellendarum prætextu recèns inuentorum documentorum, sententiarum.

Si is [d] qui sententia vicit, résque pignoris nomine cepit, emptorem ex compacto siue ambitione rei non inueniat, mittitur ipse in rerum possessionem, vt * earum dominus.

** Scholium esse videtur.*

Aduerte omni iudicato tempus petenti ad ea soluenda in quæ damnatus est, quadrimestre [e] concedi, sæpe & amplius spatium. Quòd si hoc elapso termino cessat adhuc nec iudicatum soluit, capiuntur ex eius bonis, autoritate iudicis, pignora quæ victori dantur. Si autem cùm post capta pignora bimestre effluxerit, nondum iudicatum soluerit qui damnatus fuerat, venduntur pignora, & ex eorum pretio debitum explet victor. Si ergo is secundum quem est pronuntiatum, quique cepit pignora, emptorem non inueniat ex circūcursatione condemnati (hic enim omnes fortè ambitiosè circuncursat, & ne pignora emant, adducit) iubet præsens constitutio, vt victoris dominio pignora adiudicentur atque addicantur.

Qui [f] ab accusatione citra abolitionem desistit, senatusconsulti Turpiliani pœna tenetur. Qualiscunque enim illata fuerit accusatio, iudicis autoritate, non voluntate accusatoris aboleri debet.

Iubet constitutio [g] ne sententiam aliam iam latam iudex sequatur, sed in pronuntiando & legum & iustitiæ vestigiis inhæreat.

Si dicta [h] duntaxat fuerit, non autem ex scripto recitata ac prolata sententia, irrita esto. Prolata [i] præter iudiciorum ordinem ac

a *In codice Græco nō δικαστῶν sed δικῶν lego, vt colligere licet ex d. l. ij. C. de re iud. Vnde huius rei materia sūpta est.*

b *Debiti ex causa iudicati, soluti cōpensatio non admittitur. Dū tamen quis iudicati cōuenitur, aut intra diē ad iudicati executionem datū cū eo agit qui & ipse pridem sibi iudicatus est, admittitur cōpēsatio. l. ex causa. C. de cōpens. & l. si cū militi. §. j. ff. eo. Adde l. ij. & l. quod in diem. §. si rationem. ff. eod.*

c *l. sub specie. C. de re iud. l. sub prætextu. j. C. de transac. Speciale est in negotio publico l. imperatores. ff. de re iud. & l. vni. de sen. ad. fis. la. retr. lib. x. C.*

d *l. à Diuo Pio. §. si pignora. de re iud. & l. ordo de exe. rei iu.*

* *In Græco pro ἵνα lego ὡς. Neq; enim ἵνα ita sumptū legi. Nisi fortè est adiiciendum verbū ᾖ, vt legas, ἵνα δεσπότης αὐτῶν ᾖ.*

e *l. ij. & iij. C. de vsu. rei iud. Adde l. debitoribus. de re iud. l. si debitori. de iud. Porrò quadruplici via potest hac in re victor vti, vt not. Acc. d. § si pignora. in glos. ad verb. addicantur. l. à Diuo Pio de re iud.*

f *l. j. §. accusationem. ad senatusc. Turp.*

g *Quam habes l. nemo. C. de sen. & interloc. om. iud. & l. ij. C. de leg. & constit. facit c. j. extra de constit. cum glo. ad verbum, suo sensu.* h *l. ij. & iij. de sent. ex breuic. recit. C. Secus in breuioribus aut etiam vilium personarum litibus. §. sit tibi. in No. de mand. princ.* i *l. prolatam. C. de sent. & interloc. omnium iud.*

form

formam sententia, vim autoritatémque rei iudicatæ non habeat. Quod extra [a] iurisdictionem fit à iudice iudicísve decreto, ratum non est. Prouocationes à iudiciis duorum mensium [b] ad fatale vsque tempus præfinitum, habent interuallum. Post biennium [c] non subsecuta appellatione, rata manet sententia, nisi [d] apertè iuri aduersatur. Post latam [e] à iudice sententiam plenámque restitutionem, nemo auditur noua proferre tentans instrumenta, vt qui tunc quidem ea non haberet, sed pòst inuenerit. Sed qui hoc vult efficere, planè est reiiciendus. Nisi fortè id velit quis in negotio publico facere. Hunc enim interdum [f] iubet lex admitti.

DE QVAESTIONIBVS AERIIS, VT OPORTET.

** In titulum illum Græcum, περὶ τῶν ζητουμένων ἀερικῶν ὡς χρή.*

Suprà in titulorum indice pro ζητουμένων legebatur ζημιῶν. Porrò locus hic cùm mutilus sit, diuinatione tantùm restitui potest, vt ἀερικὰς ζημίας intelligamus mulctas grauissimas, quæq; omnem ab aliquo substantiam tollant, ἀπὸ τοῦ ἀέρος. Sed neque hoc mihi satis arridet. Quamobrem candidi lectoris iudicio liberum relinquo.

QVI [g] pro facultatibus suis atque in id quod facere possunt damnantur, iis non totum quod habent extorquendum est, sed & eorũ habenda est ratio, ne egeant. In ciuilibus [h] rationibus calculi error rectè etiam post decennij & vicennij tempora retractatur. Ab omni [i] iudiciaria sententia postquam recitata fuerit, licet intra decem dies appellare. A principis [k] autẽ aut senatus placito nulla datur prouocatio. Non videtur [l] damnatus esse qui prouocauit, nec qui ab eo qui ius damnandi non habuit est damnatus. Si in absentem [m] aliquem lata sententia fuerit, is verò certior factus non appellauerit, non iam potest prætextu absentiæ suæ sententiam rescindere.

DE SPORTVLIS [n] NOVELLA CAESARIS CONSTANTINI.

SANCIMVS neminem [o] omnino ciuilium iudicum vlla ex causa quicquam accipere, sed puras mundásque habere manus, atque omne aurum contemnere. Iubemus [p] delegatos iudices ex vnaquaque auri libra non vltra tres aureos accipere, ab iis videlicet qui locupletiores ac soluendo fuerint, pro notariis & iis qui sibi ministrant, & nihil insuper aliud. Cæterùm ne sportularum exactio centum excedat aureos, quantacunque sit quæ exigitur pecuniæ summa, etiam si centum sit librarum aut vltrà, nisi quatenus viatici com-

a l. si de iuris. om. iud.
b §. appellationes autem. in No. de iudi. Cæterùm variè appellationum tempora fatalia statuuntur. l. ij. C. de temp. & repar. app.
c In No. de iis qui ingred. ad appel. §. j. Concord. c. cum sit Romana. ext. de ap.
d Sine appellatione enim non iure prolata sententia rescinditur. l. si expressim. de app. & l. ij. C. quando prouoca. non est nec.
e Appendix est ad nomothesiam paulò antè positã, specie nouorum &c. & ex causa, vt monet l. imperatores. de re iudic.
f l. in condemnatione. de reg iur. l. qui bonis. de ces. bon. & §. vlt. instit. de act. cum simil.
g l calculi. de admi. rer. ad ciuit. pert. l. in omnibus. de di. & temp. præsc.
h No. de app. §. j. Vnde authẽ. hodie. C. de app. sumpta est.
i l. j. in prin. à quib. app. non lic. Aduersus tamen rescriptum principis appellare licet. l. j. §. j. de appel.
k l. ij. sub fin. de pœnis. Prouocationis enim remedio condemnationis extinguitur pronuntiatum. l. j. in fin. ad Turp. fac. l. si se. §. condemnatum. de re iudic.
l ... m l. fin. C. quomodo & quando iudex. n Græcè ἐκβλητικὰ dicuntur, vel quòd extra ordinem à litigatoribus exigantur, vel fortè ἀπὸ τῆς ταγῆς, quòd scilicet pro imperio & iudiciaria iurisdictione pendantur. o Vide huc quæ dicuntur, in Nou. vt iud. sine quo. suffr. & Nou. de mand. princ. & No. iusiurand. quod præst. §. & primum. item l eadem. ad leg. Iul. repet. & c. non licet. cum seq. xj. quæst. iij. p Iure nouissimo in litis contestatione duo aurei, in fine totidem exiguntur, si centum aureos causa excedat. Alioqui nihil audientiæ causa exigitur. in No. de iud. §. ne autem circa hoc. Confer cap. cum ab omni. cum glos. ij. & iij. extra de vita & honest. cler. Porrò Θεματικοὶ κριταὶ sunt qui in C. Pedanei dicuntur.

meatúsque nomine peregre proficiscens executor[a] insumpsit.

DE RECEPTIS ARBITRIS.

SIVE[b] æqua siue iniqua est recepti arbitri sententia, ipsi stari oportet.

SCHOL.

Qui in arbitrum quempiam compromiserunt, coguntur eius disceptationi siue æqua siue iniqua sit acquiescere, & qui nõ acquiescit pœnam committit. Sibi enim imputet, qui huiuscemodi disceptatorem receperit. Atque hoc quidem locum habere intellige, si ex legum inscitia compromissarius iudex iniquam tulerit sententiam. Nam si cum legum præscripta nosset, in gratiã[c] tamẽ alterius partis aut sordibus corruptus, prudens sciénsque pronuntiauit, in pœnam ex stipulatu non incidit, qui damnatus sententiæ non acquiescit, si inquam in gratiam tuam aut propter tua munera damnatus est.

** In scholium hoc obseruatio.*

Scholium hoc duobus locis corruptum reperio. Primùm vbi appositus est asteriscus εἰ γὰρ ἢ * δει νόμους. *Qui facilè restitui poterit, si* δει *iungas cum* ἢ, *atque ita legas,* εἰ γὰρ ᾔδει νόμους. *Iterum sub finem scholij, vbi legitur,* εἰ μὴ πρὸς χάριν, *&c. Quo loco meo quidem iudicio* μὴ *negatio, vt quæ planè sensui obsit, est expungenda. Et nos locum eum vertentes omisimus. Nam quod pro* κατεδικάσθη *videntur nonnulli* κατεδικάσθης *legisse, mihi nulla potest ratione probari. Omnino enim si sordes vel euidens gratia eorum qui arbitrati sunt intercessit, aduersus agentem ex stipulatu exceptione doli mali vti licet, eúmque ex doli mali clausula conuenire, vt abundè monent suprà citatæ leges: Arbitrorum: & , ita demum: quibus cap. ij. extrà eodem, iuncta glos. ad verb. fauentes. non incommodè adnecti potest. Sine negatione itaque locum illum ita leges,* εἰ πρὸς χάριν σὴν, ἢ διὰ τὰ δῶρα κατεδικάσθη τὰ σά.

Arbitrorum[d] ex compromisso sententia damnnati ne appellãto.

Arbiter[e] etsi errauerit in sententia dicenda, corrigere eam non potest. Semel enim dicta sententia, arbiter esse desiit.

SCHOL.

Compromissarius arbiter si iam sententiam tulerit, hunc in modum: Paret Petrum hanc pecuniæ summam Paulo debere, itaque statuo vt eam Paulo persoluat: iam inde propriam sententiam nec immutare potest, nec corrigere, etiamsi fortè errârit, & Petrum quem debebat absoluere, condemnârit. Vbi enim semel pronuntiauit, desiit esse arbiter.

Qui relicto[f] arbitro, rem de qua compromissum fuerat in iudicium ordinarium deducit, pœnæ subiacet, lite interim apud iudicem suo ordine peragenda.

SCHOL.

Petrus & Paulus cum inter se controuersiam mutuásque actiones haberent, arbitrum delegerunt Marcum, conuenitque inter eos, vt apud eum vterque causæ suæ firmamenta afferret, ibidémque lis dirimeretur. Quin & pœnam inuicem stipulati sunt, si sententiæ à Marco latæ non staret alteruter, aut quippiam ex conuentis infringeret. Atque his conuentis ad Marcum accesserunt, apud quem cum lis agi cœpta esset, necdum decisa, vnus ex his Petrus compromissario iudice misso facto, ad ordinarium sese transtulit, vtpote præcipuum supremumque iudicium, fortè Iuridici aut Drungarij. Ibi libellum proposuit easdem res complectẽtem, de quibus & arbiter ex compromisso receptus cognoscebat. Itaque pœnam cogitur persoluere, vt qui neque propriis pactis, neq; arbitri apud quem dirimenda

a Ad hoc vide glos. ad verb. præter expensas. d. c. cum ab omni. extra de vita & honest. cleric.

b l. j. & per totum penè ti. C. de rec. ar. l. diem proferre. §. stari. ff. eodem.

c Huc fac. l. arbitrorum. C. & l. ita demũ. ff. eod. Ea enim conditione committitur stipulatio ne quis doli sui præmium ferat.

d l. j. C. eod. nec obst. l. arbitro qui sat. co. cum eo loco nomen arbitri iudicem delegatum notet, sicut & l. fi. C. de iud.

e l. quia arbiter. iuncto fin. l. præced. & princ. seq. eod.

f l. si quis rem. eod. §. & quia cognouimus. in No. de iud. vnde auth. C. sumpta est, decernit ius nouum. de arb.

da erat controuersia, disceptationi acquieuerit. Arbiter autem, vtpote iam exacta pœna, cognitione supersedet. Porrò controuersia apud ordinarium iudicem proprio ordine, natura ac ritu iurísque solennitate seruata, omnino peragitur ac deciditur, & ad legitimam deducitur sententiam.

Receptus [a] arbiter is est, qui iudicis partes suscepit, finémque[c] sententia sua controuersiæ impositurum pollicetur, non item qui hactenus interuenit, vt consilio suo litem discuteret. Arbiter [b] & per nuntium seu aliquem è ministris, & per epistolam seu tabellam iubere potest litigatores apud se hoc die adesse, aut conuenire, & causam peragere. Arbitrium[c] ex compromisso appellationi non subiacet, & neque ab altero retractatur, neque ab ipso quidem arbitro iterum examinari aut reuocari potest. Semel enim lata sententia, compromissarius arbiter desiit esse arbiter, nec sententiam quamuis errauerit, iam corrigit. Compromissum [d] iudiciorum formam atque ordinem imitatur, pertinétque ad componendas lites. Neque verò exceptio ex eo sed pœnæ petitio nascitur.

SCHOL.

Agit titulus hic de receptis arbitris. Est autem receptus arbiter, qui nec iudicio præsidet, nec iurisdictionem vllam habet, sed omnino priuatus est, siue senator patritiúsve sit, siue alioqui literarũ peritus. Agit & de intercessoribus, qui μεσιτεύοντες dicuntur. Ac μεσιτεύοντας nonnulli quidem eosdem cum arbitris existimant, inde nimirum dictos, quòd intercedant seséque medios interponant inter duos aliquos aut plures, inter quos cùm sit controuersia, polliciti sunt se eorum cognitioni ac disceptationi obtemperaturos. Vnde inscriptionem ita interpretãtur: De disceptatione intercessorum vel ex compromisso arbitrorum, vt &, pro vel sumatur. Alij verò inter hos discrimen statuunt, & μεσιτεύοντας quidem disceptatores [e] appellant: vt cum inter duos aliquos conuenerit de societate ineunda, aut construenda domo disceptatione atque arbitratu Petri. Differunt autem inter se disceptatores & arbitri, quòd iis quidem quę à disceptatoribus pronuntiata fuerint, ita demum parere cogamur, si vt viri boni pronuntiârint: at arbitrorũ sententiæ omnino sine vllo discrimine stare necesse sit, nisi pœnam velimus committere.

Arbiter [f] quod sibi videtur statuit, neque ad prætorem pertinet qualem dicat sentẽtiam. Arbitri sententia [g] ne ex rescripto quidem principis tollitur. Quæ apertè [h] legibus aduersatur sententia, & citra appellationem nulla est ac irrita, idque vel si intra tricennium reperta fuerit. At arbitri sententia appellationem non admittit, siue æqua est siue iniqua[i], sed prorsus ei stari oportet. Ne appellatione [k] opus habeto compromissarij iudicis sententia. Si cum in duos[l] compromissum fuerit, ij dissentiant, coguntur & certam tertiam eligere personam, cuius autoritati & cognitioni pareatur. Si in tres [m] fuerit compromissum, sufficit duorum consensus, si præsens fuerit & tertius. Si enim abest lõgè forsan, ratum non est quod à reliquis duobus statuitur. Idem enim & in iudicibus obtinet, vt id demum quod maior pars omnium iudicauit, ratum sit, cùm & omnes iudicasse palàm est. Si [n] non fuerit compromisso adiecta pœna, sed simpliciter sententiæ se staturum quis promiserit, incerti aduersus eum est actio. Plenum [o] autem illud est compromissum, quod doli clausulæ mentionem habet. Ne cum iurisiuran-

a *l. idem Pomponius. §. recepisse. et l. qualem. §. dicere. eod.*

b *l. sed interpellatur. §. j. & l. diem proferre. in princ. eod.*

c *Hæc & antè dicta sunt j. & ij. const.*

d *l. j. & ij eod. & l. penul. C. eod.*

e Hos *vulgus arbitratores nominat. Cæterùm de duplici arbitrorum genere vid. l. societatẽ. §. arbitrorum. pro so. Et omnino quòd huiusmodi disceptationem ad boni viri arbitratum redigi cõueniat. vide l. si libertus. de oper. lib. l. in personam. §. generaliter. de re. iur. & l. j. de leg. ij. fac. l. j. de rit. nu. & gl. not. ad verb. reuocetis. in c. exposita. extra de arb.*

f *l. qualem. eod.*

g *fac. l. j. C. eod.*

h *l. ij. C. quan. prouo. non est nec. cum si.*

i *Iure can. hoc hodie locum non habet: vt not. c. ij. & c. exposita. iuncta gl. ad verb. reuocetis. ext. de arb. no. & doct. in ca. quintauallis. extra de iur.*

k *hoc iam sæpius repetitum est.*

l *l. item si. §. vlti. eo.*

m *l. si in tres. cũ l. seq. l. itẽ si. §. item si plures. eo. fac. l. duo ex trib⁹. de re iu. Annecte c. prudẽtiam. vbi gl. no. ad ver. teneatur. ex. de of. de.*

n *l. diem proferre. in fin. eodem.*

o *l. ita demũ. in fi. ff. eo. vbi & Acc. vide quot modis plenũ dicatur cõpromissũ.*

di cautione [a] statuatur arbiter, sed adiecta pœna à litigantibus eligatur, qui quidem necesse habeant aut sententiæ acquiescere, aut pœnam soluere, quantacunque vtrinque conuenta fuerit. In famosa [b] ex delicto actione ne sententiam ferat arbiter, neque item de liberali causa, neque ingenuitate. Adde & ex abundanti nec de pupillari [c] actione. Semel appellatis [d], in quocunque tandem prouocatorio iudicio deinceps irrita est cuiuslibet iudicis, quin & arbitri sententia. LEGES. Non cogitur [e] interim arbiter sententiam dicere, putà si fuit infamatus à litigatoribus, aut si cum altero ex his inimicitiæ capitales intercesserint, aut senio posteà aut valetudine oppressus fuerit, si denique contigerit ei vel occupatio negotiorum propriorum, vel profectio vrgens, vel munus aliquod Reip. causa.

SCHOL.

Diximus compromissarium arbitrum, vbi semel [f] in se receperit, & pollicitus fuerit sua se disceptatione controuersias quæ inter litigantes sunt dirempturum ac compositurum, non iam inde posse ductum pœnitudine à cognitione desistere, sed autoritate prætoris, aut quisquis est qui iurisdictionem habet, & pro tribunali sedet, compelli, vt officium quod in se receperit, impleat, ac litem inter partes decîdat. Quòd si sæpe eum litigatores atrocibus affecerunt iniuriis, aut cum eorum altero capitalem exercere cœpit simultatem, quia fortè sibi crimen intenderit, bonorum publicationem, infamiamque secum trahens, aut iam ad senectutem redactus est, aut valetudine correptus, aut à locuplete quopiam & illustri viro hæres scriptus, rerum hæreditariarum administratione impeditur, aut peregrinatus est, aut denique ad publicum aliquod munus mittendus, vt ad coëmendum frumentum in commeatum militarem, non cogitur vtique his omnibus superuenientibus controuersiarum decisioni vacare, sed eius excusatio accipitur.

Potest [g] ob solam vnius partis actionem absque aduersa alterius partis actione arbitrium statui.

SCHOL.

Finge hunc in modum speciem. Competebat mihi in te mutui actio, & rursum tibi in me depositi. Pacisci possumus de adeundo Petro ea lege scilicet, vt de ea tantùm quam in te habeo mutui actione, cognoscat, & pœnam quoque stipulari, si ab arbitro pronuntiandis non statum fuerit. Et haud dubiè valet huiusmodi pactio. Quòd si cum secundum me arbiter vt mutuum recipiam statuerit, tu eius sententiæ non acquiescis, sed contendis etiamnum, & causam ad iudicium ordinarium deducis, vt ea deintegrò iudicetur, pœnam cogêris persoluere, neque vt eam effugias, id satis erit, quòd non tua quoque quam ex aduerso habebas depositi actio iudicio discussa fuerit. Potest siquidem, vt iam dictum est, & ex sola actione [h] compromissarium statui arbitrium.

LEX. Potest arbiter [i] eum qui per contumaciam absfuerit, pœna aduersario persoluenda damnare, nô item eum qui sibi in testium nominibus exhibendis non paruerit.

SCHOL.

Datur facultas arbitro ex legum præscripto mulctæ dicendæ ac irrogandæ alteri litigatorum per contumaciam absenti, eiúsque exigendæ, partique adstanti dandæ. Hoc autem legum lator statuit, vt ne tergiuersentur, ac moram commit-

tant

a *No. de iu. §. & quia cognouimus. vnde authē. decernit ius nouum. C. de arbit. sumpta est. Quòd si interuenit iusiurandum, seruari, æquū modò sit ac licitū, debet. c. ij. iunct. gl. ad verb. sacramentum. c. cum tempore. extra eodem.*

b *l. nō distinguemus. §. Iulianus. & seq. & l. si pupillus. eo.*

c *præterquam si fideiussorem dederit, à quo pœna peti possit. d. l. si pupillus.*

d *Appellatione siquidē interposita, medio tempore nil nouari oportet. l. vni. nil noua. appel. interp. fac. l. j. in fi. ad Turpil. & l. qui cū natu maior. §. accusasse. de bon. libert. cum simil.*

e *l. licet. cum sequen. de arb.*

f *l. iij. §. j. & l. si cum dies. in prin. de ar. facit c. significantibus. iuncta glos. ad verb. negligētibus. extra de off. & po. iud. deleg.*

g *fac. l. idem Pomponius. & l. si cum dies. §. j. eod. Porrò ἀντεναγωγὴ quid sit sat indicat sequens scholium: actio nimirū quam quis ex aduerso in aliquem à quo iam est cōuentus, habet.*

h *Hoc est quod d. l. idē Pomponius. dicit Vlpianus, de vnius cōtrouersiis solum compromissum esse posse. & l. si cum dies. §. j. id venire in compromissum, de quo actum sit vt veniret. Et sentētiam esse debere de re compromissa. l. non distinguemus. §. item si iubeat. §. de officio & §. vlt*

i *l. non ex omnibus. §. j. & confer l. ij. in fin. de iud. & glo. ad verb. si subdelegatus. in cap. ex literis. extra de offic. delega.*

tant litigantes, vnde impedimentum disceptationi arbitri afferatur. Cæterùm si sæpe interlocutus arbiter alteri litigatorum instrumentum ad actionem suam constituendam proferenti præceperit, vt testium qui sese in eo subscripserunt instrumēto nomina edat, & is non paruerit, indemnis seruabitur: sique ab arbitro mulcta ei dicta fuerit, eam nequaquam præstabit. Neminem enim lex cogit [a] tempus quo confecta sint instrumenta, aut testium nomina exhibere, vt ne hoc cognito aduersarius quid subdolè moliatur, fortè testes corrumpat, aut posteriorem comminiscatur scripturam, qua prior conuellatur & subuertatur.

a l.j.§. editiones. vbi not.glo de eden.l.ij. §.diem. quemad.te. aper. & l.iij. C. eo. Est enim malitiæ hominum occurrēdum, l.ij. de iud. & l.vlt.C.de fideic.

DE QVADRIMESTRI, QVOD DEBITORIBVS CONCEDITVR.

SATISDATIO [b] iudicatum solui, statim quidem à lata sententia confirmatur, sed ad exemplum rei principalis, quadrimestre habet spatium, in quod differatur.

b l.j.iudic.sol. & l.ij. C.de vsur.rei iudic.

SCHOL.

Patritius dicebat [c] tum debitori ad soluendum debitum dari oportere quadrimestre tempus, cū diues sit, prędiisque ac rebus aliis permultis affluens, vt hæc liberè ac per otium non autem importunitate creditoris oppressus, intereà vendere posit, aut fortè etiā pignori opponere, atque ita pecuniā conflare ac cōficere. Cum verò inops est ac tenuis debitor, nihil est necesse concedi quadrimestre. Id enim nec debitori, nec creditori vtile fuerit, nisi fortè & deinceps dānosum: quippe cùm posit interim qui nunc conuenitur, omnia quæ habet absumere. Modicum itaque temporis [d] ei dandum censebat interuallum, & nihilominus intereà litem decidendam, vt ne rursus ob nullius penè momenti res controuersia exuscitaretur, cuius cognitionem in tempus vlterius differri necesse esset.

c Explanatio capitis præcedentis.

d Quod sufficere pro facultate cuiusque videbitur: vt docet l.debitoribus. de re iud. Facitq; l.ij. eo. & c. quod ad consultationem. extrà de sent. & re iud.

** In hoc scholium adnotatio.*

Vbi in contextu Græco legitur, οὐδεμία γὰρ οὔτε τῷ χρεώστῃ, οὔτε τῷ ὀφειλέτῃ, &c. pro ὀφειλέτῃ legendum puto δανειστῇ, præsertim quum significatione nihil omnino differant χρεώστης & ὀφειλέτης. Deinde quod sequitur, εἰ μὴ καὶ μέλλον βλάβῃ, subobscurum est, Latinè ita verti debet, nisi & posteà detrimentum potius afferat, vt μέλλον idem valeat quod εἰς τὸ μέλλον. Vel potius lege μᾶλλον, vt infrà libro tertio, vbi hoc idem repetitur sub finem tituli quinti.

Si in metallum datis [e] imperitia iudicis tempus præfinitum non sit, decennij tempora condemnationi præfinita videntur.

e l.sine præfinito. de pœnis.

* Οἱ εἰς μέταλλον ἀποδιδόμενοι.

Obserua hoc loco nominatiuum qui à nullo verbo pendeat, quod aliquoties apud hunc autorem fit. Alioqui libentiùs legerem τοῖς εἰς μέταλλον ἀποδιδομένοις, &c.

LEX. Iubet constitutio [f] etiam in priuatis, eum qui condemnati solutionem pecuniariam vltra quatuor menses distulerit, centesimam persoluere vsuram, quatuor autem menses computari vel à lata sententia [g] vel si appellatio subsecuta sit, ex quo ea est cōfirmata.

f l.ij.C.de vsuris rei iudic.

g ead.l.cum qua confer l. in fideicommissi.ff.de vsur.

SCHOL.

Ne cui existimandi locus detur, quòd legislator docuit post quadrimestre à condemnatione exigi posse per fiscum vsuram centesimam, hoc est ex centenis duodena, fisci eiusque solius priuilegium esse, mox subiunxit priuatum quoque ab aduersario suo si supra quadrimeste solutionem prorogârit: huiuscemodi vsurām exigere. Enimuerò explanat etiam à quo tempore incipiat quadrimestre tempus cedere, vtpote post iam latam sentētiam, aut si postulata fuerit appellatio, atque ita suspensa sententia, ex quo confirmata appellatio fuerit.

** In locum illum, τόκον ἑκατοστιαῖον ἤτοι ιβ ῑ ι ἐδίδαξεν ὁ νομοθέτης, breuis de vsurarum generibus obseruatio.*

Quia centesimæ hoc loco mentio incidit, operæpretium fuerit vsurarum genera in iure celebratiora commemorare, si priùs illud admonuerimus, vbi in contextu Græco legitur, ἐδίδαξεν ὁ νομοθέτης, ante ἐδίδαξεν quippiam desiderari, aut ὡς, aut ὅ, quod libentiùs adderem. Celebrantur in iure nostro quatuor maximè vsurarum genera, centesima, bessis, semissis & trientis. Et quoniam quid esset vsura centesima, pauci ex nostris legum interpretibus intellexerunt, ne ipse quidem qui nihil ignorare visus est Accursius, qui alicubi centesimam esse tradit, quæ sorti in anno æquiparatur, breuiter harum omnium rationem exponam. Vsuræ ergò centesimæ dicuntur, cum centesimo mense vsuræ sortem æquant. Hoc est illud vsuræ genus, quod nummulariis & argyramœbis nostris adeò vsitatum vulgò nominatur, douze pour cent. *Quod & facilè & breuiter noster Constantinus infrà libro tertio sub titulo. περὶ τόκου his verbis explicat.* Ἑκατοστιαῖος *inquiens,* τόκος ἐστὶν τὸ ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν νομίσμασι ιβ ῑ ι ὑπὲρ ὅλου δίδοσθαι ἐνιαυτοῦ, *&c. Besses vsuræ sunt quas vulgus dicit,* huit pour cent. *Semisses seu dimidiæ centesimæ,* six pour cent. *Trientes,* quatre pour cent.. *Quæ omnia vsurarum genera habes in l. eos. §. j. C. de vsur. His non immeritò quadrantes vsuræ seu quartæ centesimæ addi possunt, quarum & in auth. hoc ius porrectum. C. de sacrosanctis eccles. fit mentio. & sunt quas vulgus appellat,* trois pour cent.

LEX. Etsi [a] in condemnatum, ante tempus quadrimestre iudicati agi non possit, potest tamen is si vult ante hoc tempus liberari. Pro eo [b] siquidem constitutorum dierum spatium per legem constitutum est.

a l. intra dies. de re iudic. & l. quod in diem. de sol.

b Adiectio enim pro reo est non pro stipulatore. l. eum qui calendis. sub fin. de verb. oblig. Facit l. cum tempus. de regulis iur.

SCHOL.

Cuiuis condemnato concedit lex subsidij fomentique causa quatuor menses, ad inducias & suspensionem petitionis: vt toto hoc tempore pecuniæ conquirendę vnde debitum possit exoluere curam habeat. Hoc verò in condemnatorum gratiam institutum est, ne inde scilicet detenti & ea ad quæ damnati sunt dare coacti damno afficiantur, dum quæ magni sunt pretij, vili distrahunt. Quòd si, vt sæpe fit, iudicatus soluendo est, vultque ac paratus est debitam ex condemnatione pecuniam etiam ante constitutum quadrimestre soluere, nimirum ære alieno liberari studens, non potest victor dicere se oblata non accepturum, donec quadrimestre effluxerit: idque propterea quòd quadrimestre illud spatium non pro victore, sed pro condemnato excogitatum est & introductum. Licet verò vnicuique [c] ea quæ pro se introducta sunt negligere.

c l. si quis in conscribendo. C. de epis. & cler. & de pact. l. si iudex. ff. de minor. cum similib. quæ his legibus ab Accur. citantur. Adnecte c. statuimus. extrà de regu. Facit & c. quàm periculosum. vij. q. j. & c. si diligenti. iuncta glos. j. extrà de so. compet.

LEX. Eum qui solutioni [d] dilationem quærit sententiæ, acquiescere apertè ostenditur, sicut & eum qui quouis modo sententiæ acquieuerit. Neque enim instaurari iudicio iam decisa, constitutionum patitur autoritas.

d Ad verb. ex l. ad solutionem. C. de re iud. Facit l. tale pactum. §. j. ff. de pac.

SCHOL.

Iam id ex multis cognouimus capitibus, cuicunque damnato qui sibi ex lata sententia iniuriam fieri existimet, licere appellationis vti beneficio, quo & sententiam & iudicati petitionem suspendat ac differat, si modò intra decem dies appellationem postulauerit. Inquit igitur constitutio hæc, si quis damnatus non prouocârit, aut prouocârit quidem, sed postmodùm dilationem petierit quæ damnatis dari

dari solet, vtpote quadrimestre tempus ad ea persoluenda, in quæ sit damnatus, videri eum sententiam probare, nec iam ad appellationis remedium confugere. Itaque ex eo tempore vtpote post lapsos quatuor menses cogitur condemnationis pecuniam persoluere, neque appellationem volens prosequi auditur. Ex eo enim quod tempus ad persoluendum debitum petiit, videtur ratam iustámque habuisse sententiam. Idem obtinet in condemnatis qui pignora dant aut fideiussores, interimque se spondent condemnatum soluturos. Nam & ab his iudicatum exigitur, neque si ad prouocationis auxilium confugere voluerint, admittuntur: quippe qui datis pignoribus aut fideiussoribus visi sint sententiam vt æquam admisisse. Quæ igitur admissa postulatione quadrimestris spatij, aut pignorum fideiussorúmve datione firmârunt, innouari ac subuerti constitutionum non sinit autoritas.

DE DELATORIBVS.

TITVLVS V.



DELATOR [a] dicitur dux & autor rei alicuius aut facti cognoscendi, quæ quidem cum priùs ignoraretur, postea ab ipso indicatur. Exigitur autē id necessariò à delatore, vt probet [b] ea nimirum quæ delatus admisit. Mandator [c] verò is dicitur, qui delatori ad rem nuntiandam prodendámque subseruit. Deferre [d] non possunt mulieres, nec clarissimi viri, nec damnati post latam sententiam. Quin & emeriti seu veterani, ipsi quoque milites deferre prohibentur. Neque item ij qui tutores aliquorum aut curatores aut etiam negotiorum ac rerum administratores fuerint, eos deferunt. Sed nec is qui rem aliquam vendit eandem deferre debet, vel per se vel per subiectam personam, ne scilicet pœnam patiatur suæ personæ dignam. Delator [e] probationibus oneratur, non item qui delatus est, vt probet vnde habeat. Delatores [f] si à se delata conuicerint, octauam eorum quæ denuntiârunt partem auferant. Omnis delator [g] qui non probârit, per præsidem ferro puniatur.

DE TESTIBVS.

TITVLVS VI.



FIDE Digni sint [h] testes, ac non ignobiles quidam & vilissimi abiectissimíque artifices, nec prorsus obscuri. Ignoti testes [i] etiam quæstioni si opus fuerit, subiiciatur. Qui de [k] perscriptis debitis testimonium ferunt, dicant se solutioni interfuisse, aut legitimè alioqui ipsis debitis esse satisfactum, in hoc dūtaxat producti, nimirum si quinque numero fuerint. Cum testes [l] aut sibiipsi, aut etiam aliis repugnant testibus, tum deligat iudex eos qui maiori sint autoritate dignitatéque præditi, in suspectos autem animaduertat, si eos deprehēderit compositò mali aliquid moliri. Potest [m] iudex etiam ex ciuitate in aliam ciuita-

a *De delatoribus multa in tit. de iur. fisc. Et est peculiaris li. xj. C. ti. de delat. & in li x. Cod. Theod. ti. de petition. & vltro dat. & delat.*
b *l. extat decretū. ff. de iur. fis cum simi.*
c *quem etiam vt delatorem si nō probauerit puniēdum esse monet. l. nō tantum. eod. & l. j. §. pen. ad Turp.*
d *Quæ personæ deferre non possint, vide l. deferre. de iure fis. Adde l. qui iudicio. & l. qui accusare. cum tribus sequen. C. de accu. & inscrip. & totū tit. C de iis qui accusa. non possunt.*
e *d. l. extat decretum. eo. facitq; l. cogi. C. de petit. hæred. cum multis simil.*
f Hoc de iis intelligas *qui alios deferunt. Nam qui se deferunt ij interdū dimidiā, interdum tertiam, interdum semissem dodrātis, nonnunquam vulgare duntaxat præmium consequuntur. l. senatus. §. senatus. l. cum tacitum. l edicto. §. extat. de iur. fisc. & l. vnic. C. de iis qui se deferunt.*
g *l. omnes. de dela. x. libro Cod. quæ ex Theodosiano sumpta est dicto tit. const. i. fac. l. nostris. C. de calumniat.*
h *in No. de test. §. j.*
i *ead. Nou. §. si verò ignoti. fac. l. ob carmen. §. j. eo. ff.* k *l. testium facilitatem. cum authen. seq. C. eodem.* l *d. No. §. & licet. ver. si verò quidam apertē.* m *l. iij. §. vlt. eod. & l. iudices. cum authen. sequen. C. de fide instrumen. & Nou. dicta. §. & quoniam.*

tem testimonij gratia aliquos per interlocutionem euocare, obseruato quidem legum ordine ac ratione, in prouinciis quidem apud præsidem, in vrbe autem Constantinopolitana apud sacros iudices.

In criminibus[a] necesse omnino est testes quoq; produci, non eorũ dũtaxat voces. In testibus[b] spectatur dignitas, fides, mores & grauitas. Vnde nõ audiuntur qui aduersus testationis suæ fidẽ vacillant.

In quoq; teste[c] diligẽter examinandũ est, an honestę sit & inculpatę vitę, an verò notatus quis & reprehẽsibilis: locuples an egens, vt lucri causa quid facilè admittat: amicus ei pro quo testimoniũ dat, vel inimicus ei aduersus quem testimoniũ fert. Nam si omni suspicione caruerit, tum demum testimoniũ dicere poterit. Porrò quæ ad hoc negotium spectant discernit iudex, an simpliciter testimonium ferant: vtrum vnum eundémque ac præmeditatum sermonem afferant, an ad ea quæ rogati fuerint verisimilia respondeant, quæque argumenta admittenda sint. In emptione[d] quidem & venditione, & reliquis eiusmodi quæ bona fide ac studio ineuntur conuentionibus, & fides & testium quæritur existimatio, iisque tanquam minùs idoneis conuictis infirmatur scriptum. At in iis testibus qui de vi, aut iniuria similibúsque circunstantiis testimonium dicunt, omnino nec mores spectantur nec vita, vt dicebat Magister. Histriones[e], gladiatores, saltatores, & qui in scena versantur, item qui aut vt calumniatores, aut adulterij, aut furti, alteriúsve criminis damnati fuerint, insuper & admodum egeni, mulieres[f] ac pupilli[g] testimonium ferre prohibentur. Cæterùm mulieres ibi testimonium ferre possunt, vbi virorum prohibetur violentia. Sunt porrò & aliæ quædam personæ, quibus libera est dicendi testimonij facultas, neque inuitę huc pertrahi possunt: verbi gratia protospatharius, & qui hoc eminentiores sunt, item & sacerdotes *, ac omnes denique qui diuino ministerio addicti sunt & destinati. Pontifices[h] verò neque sponte sua, neque inuiti testimonium ferre possunt, sed si omnino eorum opus sit testimonio, propositis sacris oraculis domi interrogantur. Hæreticus[i] aut Hebræus in orthodoxum testificari non potest. At in se inuicem possunt. Mercenarius testis productus pro eo à quo est conductus, iure sanè reiectus est. Dixit etenim iudex vacare suspicione oportere testimonium dicturos, amicum[k] verò suspicione immunem non esse, itaque mercenarium grauiter ea laborare, atque ideo repudiandum. Omnes[l] qui in testimonium vocantur de coniuratione in principem & maiestatis crimine, si res postulet quæstioni adhibentur, & minores[m] quatuordecim annis & maiores. De finali quæstione[n] & noui operis nuntiatione etiam eos admittimus testes, qui ex auditu testificãtur. Testibus[o] oportet non testimoniis credere. Ipsimet enim à iudicibus in causis cri-

a d No. §. & quoniã. sub fi. vnde authen. apud. C. de fide instrumẽ. sumpta est. fac. l. ij. §. idem diuus. ff. eod.

b l. ij. de test.

c l. iij. eod. & consonant quæ not. c. v. extra de test. c. si testes. iiij. q. iij. vbi multa sunt ex pandectis trãscripta. et c. quatuor. xj. q. iij.

d Vide huc quæ dicuntur circa initia. No. de instru. caut. & fid. Romanum.

e l. iij. §. lege Iulia. l. quæsitum, cum duabus sequen.

f Mulier in testamẽto dicere testimonium non potest, alijs potest. l. qui testamento. §. mulier. de testamẽ. & l. ex eo. de test.

g l. inuiti. ij. in fi. eod. idem de minore iudicium. l. sequen.

** Vide c. vlt. xiiij. q. ij. & gl. vlt. in can. statuimus. ij. q. vj.*

h Id per l. nec honore. C. de epis. & cleric. primùm planè vetitum erat. Sed explicauit pòst Iustin. in Nou de sanctiss. epis. §. nulli verò iudicum. vnde authẽ. sed iudex. C. eodem. sumpta est. Quin et quosdã propter reuerẽtiam personarum admittendos non esse ad testimonij fidem monet. l. iij. §. lege Iulia. sub fi. de test.

i l. pen. C. de hæret.

k Iure siquidẽ ciuili domestici testimonij fides improbatur. l. ij. C. de testi. & fa. l. vl. ff. eo. *l l. de minore. ff. de quæst. l. nullus. C. ad leg. Iul. maiest.* *m quibus alioqui parcitur. d. l. de minore. & l. ex libero. §. j. eo.* *n Huc vide quæ dicit Paulus l. in summa. §. idem Labeo ait. j. de aq. plu. arc. & Iabolenus l. si arbiter. de prob.* *o l. iij. §. idem diuus. de test.*

minalibus

minalibus interrogantur, & nisi quis quod intendit impleat, relegatur. Alia est [a] autoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quę recitari solent. Qui ergo eos retinere vult, det eis impendia [b].

Testes, [c] quindecim duntaxat dies iudicio vbi causæ ciuiles sunt, assistere cogantur. Pater [d] & filius qui in potestate eius est, item duo fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, testes eodem in negotio fieri possunt: quoniam nihil nocet ex vna domo plures alieno negotio testes adhiberi. Si ea [e] rei conditio sit, vt testem admittat arenarium, vel eiusmodi homines, sine tormentis, eorum testimonio non creditur. Si testes [f] omnes eiusdem honestatis & existimationis sint, & sibi inuicem aduersentur, non omnino maiori parti credendum, sed id demum quod & naturæ negotij conuenit, & inimicitiæ aut gratiæ suspicione caret, quódque ex iudicis animo & argumentis confirmatur. Neq; enim ad multitudinem respiciendum, sed ad synceram incorruptámque testimoniorum fidem. Iurisiurandi religione [g] priùs oportet obstringi testes, quàm testimonium perhibeant. Estque honestioribus potiùs fides habenda. Porrò vnius [h] in quacunque causa nunquam admittitur testimonium, etiamsi senatoria dignitate præfulgeat. Ad triginta auri libras, & duo ferendo testimonio sufficiunt. Quin & ad quinquaginta tres [i] satis sunt.

Sciendum solum sufficere tabellionem [k], qui instrumentum conscripsit, ad ferendum testimonium super eorum, quæ proferuntur, instrumentorum comparatione. Similiter & in nummulariis rationibus satis est is qui scripsit, etsi vnus consideretur. Sed & in emphyteusibus vnicus admittitur testis. Qui in lite aliqua [l] testes profert, si postea in altera lite aduersus eum producantur, ne eorum recusandorum facultatem habeat, fortè quòd viles sint, aut aliquid eiusmodi. Quòd si ostendat sibi intereà cum iis inimicitias intercessisse, quæ & legibus admittuntur, & testes suspectos faciunt, aut sæpe conuicti apertissimè fuerint quæstus gratia testimonium dixisse, liceat ipsi testes eiuscemodi renuere. Quòd si potest insuper falsa quæ ab iis dicuntur monstrare, & id faciat. Qui tertiò [m] testes produxit, post editas exceptiones non iam proferre potest. Quòd si non excepit, nec per se ipse, aut per proprium patronum testimoniis interfuit, tum potest ante editas exceptiones & quartò testes proferre, si tamen iurârit non se dolo quartam testium productionem quærere. Vana [n] ac velut per transennam sumpta testimonia nulla prorsus ratione obtinere volumus, neque eiusmodi confingi testimonia, quòd aliqua alia de causa fortè præteriens hunc dicentem audierit se ab hoc pecuniam accepisse, aut huic debere. Hæc enim apertè nobis suspecta sunt, neq; vllius pretij. Ad rei gestæ [o] fidem, etiam non vocatus testimonium dicit. Verùm id non [p] in con-

a eadem l. §. sabino quoque.

b fac. & l. quoniam. C. eodem.

c l. si quando. C. eod.

d l. pater. eod. §. pater. inst. de testa. & l. ad testium. eod.

e l. ob carmen. §. si ea. eodem.

f Ad verbum ex §. vlt. d. l. ob carmen. fac. cap. in nostra. extra eodem.

g l. iurisiurandi. C. eo. facit c. nuper. extra eod. & can. hortamur. iij. q. ix.

h ead. l. concor. c. veniens j. & ca. licet vniuersis. extr. eod. & vide no glo. d. c. nuper. ad verb. nisi iuratus deposuerit. extra eodem.

i Nam in ore duorũ vel trium testium stat omne verbum. cap. licet vniuersis. extr. eo. vbi autem testiũ numerus non adiicitur, etiã duo sufficiunt. l. vbi numerus. ff. eodem.

k l. si quis decurio. C. ad leg. Corn. de fal. & § si verò moriãtur. No. de fi. instr.

l l. si quis testibus. C. eodem.

m Nou. de test. §. quia verò multi. vnde authẽ. at qui semel. C. de proba sumpta est. concor c. in causis. extra eod.

n Nou. ea §. & licet. versi. hæc autẽ inania. Vnde auth. rogati. C. eod. sumpta est.

o l. ad fidem ff. eodẽ. vbi quid dicat Accur. videto.

p Accur. quatuor casus eximi dicit ab hac lege. Alij correctam esse omnino legem hanc per authen. rogati, existimant. Ego interpretationi huius autoris potiùs accesserim. περιστατικὰ appellat τὰ ἐκ περιστάσεως τοῦτ' ἔστι ἐκ τῆς συμβάσεως γινόμενα.

uentione intellige, sed in fortuitis & iis quæ casu contingunt. Qui semel [a], aut bis testes produxit, si iam renuntiârit, editásque in testes exceptiones discusserit, ac proinde testimonia ipsa comperta habuerit, non iam potest ne ex rescripto quidem principis alios testes producere. Si per contumaciam[b] quis ad testes audiendos iudicio non astiterit, etiam ex vna parte admittantur testes. Verùm postea omnes eas saluas ac integras habet exceptiones, quas in eos testes si iudicio adfuisset erat habiturus, sed eo solo succumbit, quòd postulare vltrà non posit vt reuocentur testes, atque in conspectu suo testimonium ferât. Qui de re[c] aliqua testimonium dicit, eum oportet ante rem ipsam, siquidem criminalis est, xx annos explesse: si pecuniaria, octodecim. Neque enim minori ætate præscripta fides est habenda, vt qui necdum maturi sit firmíque iudicij, nec sua, tantum abest, vt proxima & aliena facilè adhuc assequi posit. Qui criminis [d] quempiam accusauit, non potest deinceps in eundem testificari. Nam si quis ciuiliter cum aliquo litem instituerit, testimonium quidem in eum ferre, ni probabilis aliqua & iusta causa subsit, non prohibetur.

DE IIS QVIBVS TESTIMONII DICENDI FACVLTAS NEGATVR.

QVI intermedium [e] se ac velut intercessorem aliquibus in re aliqua exhibuit, non potest ipsis eodem in negotio testimonium ferre, apud alium scilicet iudicem, nisi vtraq; pars in eius testimonium consenserit. Pauperes[f] testimoniũ non dicunt. Est autem pauper [g], qui in bonis quinquaginta aureos non habet. Non cogitur libertus [h] aduersus patronum, aut eius liberos testimonium dicere. Ne ei testimonium dicere liceat, qui minor [i] erit viginti-quinque annis, quíve iudicio publico damnatus nec in integrum restitutus, aut qui in vinculis custodiáve publica detinetur, neque item ei qui ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse conuictus erit. Non est idoneus [l] testis, cui imperari potest vt testis fiat. Adulterij [m] damnato, testimonij officio interdictum est. Filius [n] patri, aut pater filio testis idoneus non est, nec quisquam omnino in re propria. Serui [o] testimonium nullum est.

Mulier [p] testis aduocari testamento non potest. in aliis testimonij particeps est, vbi viri non aduocantur.

** Scholium esse videtur aut epexegesis.*

Mulieres etiamsi spectatæ sint grauitatis & pietatis, aliis quidem in negotiis testimonium ferre [q] non possunt, quibus ne docere quidem permittitur, sed ex audientium duntaxat numero esse. Cæterùm quod ad partum [r] attinet, licet his dum ea morum integritate sint præditæ quam iam diximus, testimonium dicere. Por-

a No. d. §. illud tamẽ indubium est.
b d. No. §. pen.
c facit l. in testimonium. ff. eodem.
d d. No. §. si verò quis dicat.
e No. §. quoniam verò legem. Quos autem μεσάζοντας vocet, docet glos. ad verb. prohibitione. hos mediatores nominãs. Vide & gl. vnic. in c. di. ectorum. extra de test. cog. quæ amplissimè totum hoc negotiũ quãdo cogi vel non cogi queant testes, pertractat.
f l. iij. in princip. eod. Interim tamen nõ tã ex facultatibus quàm ex fide testis æstimatur idone⁹. §. si. inst. de susp. tu. Paupertati interdũ faueri, interdũ non not. Accur. instit. quib. ex caus. man. non lic. §. j. ad verbum, egentes.
g l. nonnulli. de accusa.
h sicut nec patronus aduersus libertum. l. lege Iulia. de test. l. libertorũ. C. eodẽ.
i l. in testimonium. eodẽ. vbi de minore tantum xx annis fit mentio. itáque hoc loco legendum puto τῶν κ' ἐτῶν, non κ' ε cũ & ante idem dixerit.
k l. iij. §. lege Iulia. e.
l l. idonei. eodem.
m l. scio. eodem.
n l. testis idoneus. cũ l. seq eo. l. omnibus. C. eodem.
o nisi vbi alia probatio ad eruendam veritatem non est. l. serui responso. eod. fac. §. si verò dicatur. dicta Nou. vnde authen. si testis. C. eodem. est transcripta. p l. qui testamento. §. mulier. de testamen. q can. mulierem. distinct. v. c. mulier. de consecra. distinct. iiij. can. mulier. xxiij. dist. Paul. j. ad Corinth. xj. r fac. l. j. & totus titul. de vent. inspic.

rò vetustiores leges à commendatoriis quidem testimoniis mulieres repellunt, at[a] demonstratoriis adhiberi permittunt: commendatoria quidem appellantes testamentum, codicillum[*] & mortis causa donationem: demonstratoria autem cætera contractuum conuentionúmve aut eorum quæ inter homines geruntur genera.

In maiestatis[b] crimine & vir in vxorem, & vxor in virum, & seruus in dominum, & filius in patrem testis admittitur, neque hic vlla potestatis ratio habetur, cum ad principis potestatem nihil sit paterfamilias, quin & qui in huius potestate sunt, simul etiam cum eo in principis recidant potestatem. Qui iam antè in aliquem[c] testimonium dixit, non potest iterum pro eo testis produci. Qui alicui causæ[d] patrocinium præstitit, aut in ea executor fuit, non fert in ea testimonium. Nemo aduersum se[e] testes producere cogitur. Sed actorē oportet arbitratu suo proprias nectere probationes. Domestica testimonia[f] reprobantur, vbi scilicet aliquid negotij geritur, per quod ei qui testimonium profert acquiratur. Prohibetur in testamento testis esse[g] qui cùm se alicuius testamento subscripserit, testimonium tamen ferre non sustinuerit, qui ne lege quidem vt testimonium ferat, compellitur, sed tamen prohibetur in altero testamento ferre testimonium, quin & testari, & ex alieno testamento quicquam percipere.

* *In locum illum contextus Græci, qui habet, οὐδ' ἀναγκάζεται παρὰ τοῦ νόμου μαρτυρῆσαι.*

Ita quidem in nostris exemplaribus legitur, lege compelli non posse eum qui sese in alicuius testamēto subsignârit, vt subscriptionem signumq́ suum agnoscat. Et sanè si nulla ratione euidenti ostendi possit id eius signum esse, aliàs cogi non poterit. Nihilo secius testimonio ei posthac in testamentis ferendo interdicetur. Sed vide num fortè pro, οὐδὲ ἀναγκάζεται, sit legendum καὶ ἀναγκάζεται, vt & quosdam ante nos legisse video. Quam lectionem omnino firmare videtur l. cùm ab initio. quemadmod. testament. aperiant. quæ quidem monet id prætoris officium esse, vt cogat signatores conuenire, & sigilla sua recognoscere, vel negare se signasse.

Socius pro socio[h] testimonium dicens non recipitur, quoad dirempta fuerit societas. In testium numerum adhiberi non possunt[i], impubes, surdus, seruus, mutus, furiosus, prodigus[k], filius qui in potestate[l] patris est, cum eius pater ab alio scriptus hæres fuerit. Neque[m] qui in potestate eiusdem patris est pro eo qui in testamento hæres scriptus est. Neque item testante eo qui in potestate patris est, de castrensi peculio[n], is qui in eiusdem patris est potestate. Potenti aduersus tenuiores[o] ex non scripto testimonio de-

a Accur. tamen existimat posse mulierē codicillis testem adhiberi d. l. qui testamento. §. mulier. ad verbum, non poterit. idq́; quia non vetatur, iuxta id quod notatur l. j. de test. Commendatoria forsan hæc dicebant quòd in his cōmendare multa soleamus post mortem peragēda. Demonstratoria reliqua quòd præsentē cuiusque indicent voluntatem.

b l. famosi. ad legem Iul. maiest. & l. vl. C. eo. Quibus autem casibus seruis aduersus dominos cōsistere permissum sit, vide l. vix. de iudic. & ibi Accur. Quibus item filio in patrem, eundem Acc. l. lis nulla. eo.

c Hinc collige verum intellectum. l. produci. de test. reiectis Accur. diuinationibus.

d l. vlt. eod. Concord. can. statutum est. ij. quæst. vj.

e l. nimis graue. C. eo. fac. c. si testes. § qui intendit. iiij. q. iij. item cap. j. extra de probat.

f l. qui testamento. §. quæcunque. de test. l. testes eos. de test. & l. ij. C. eod. §. sed etsi filiusfamiliàs. instit. de testamen.

g Hūc improbum intestabilémque Theophilus esse dicit §. testes. institu. de testa. *h Hoc enim domestici testimonij speciem habet, de quo suprà.* *i dicto §. testes. instit. eod. confer l. qui testamento. ff. eodem per totum.* k *Is cui lege bonis interdictum est. l. is cui. eodem.* *l §. in testibus. institut. eodem.* *m dicto §. in testibus. institu. eodem.* *n Post missionem. §. sed & si filiusfamiliàs. institu. Nam antè missionem potest. dicta l. qui testamento. versicu. per contrarium.* *o* Pauperi *enim sæpe fauetur, vt suprà dictum est.*

monstrare quippiam non permittitur. Si quis vnius hominis depositionem in sigillo proferat[a], non iam tale testimonium admittitur.

DE NON SCRIPTO TESTIMONIO.

PERINDE valet testimonium [b], quo res gesta sine scripturæ attestatione comprobatur, ac scriptura ipsa, nec ideo minoris est autoritatis, quòd nullum ea de re instrumentum intercessit.

Testimonium non scriptum aduersus instrumenti fidem [c] vim habere non potest. Cùm [d] aliud literarum collatio, aliud testimonia asserunt, tum nos existimamus longè maiorem esse fidem atque autoritatem eorum quæ à viua voce cum iurisiurandi religione dicuntur, quàm ipsius scripturæ. Hoc tamen iudicis solertiæ & religioni permittatur, vt iis quæ veriora putârit, potiùs quàm suspectis fidem habeat.

SCHOL.

Iusiurandum in litem huiuscemodi est: Cum quis conuictus fuerit [e] vi bonorum raptorum, aut inuasæ domus, aut furti, aut damni iniustè illati, tum iurat aduersarius se tot tantisque damnis affectum esse, tantumque sibi in illo aduersum se impetu, aut vi, aut furto, aut tali quod omnem pudorem superet damno, iacturæ factum esse, atque hæc in simplum à reo accipit. Enimuerò non protinus absque illa examinatione quicquid iurârit consequitur, sed cum taxatione, hoc est iusta iudicis æstimatione. Definit [f] enim iudex & animo suo informat, ac quanta potest maxima diligentia, actoris dispendium peruestigat, & locum vbi iactura facta fuerit, sicque in certam redigit quantitatem. Tum deinde actorem monet, iuret se tot tantaque nec minora ex ea sibi facta iniuria, detrimenta percepisse.

Qui falsò [g], vel variè, vel vtrique parti causa prodita testimonia dixerint, à competentibus iudicibus [h] puniuntur.

DE IVREIVRANDO.
TIT. VII.



IVSIVRANDVM [i] Inopia probationum à iudicibus defertur, ídque in actionibus iis quæ aliunde veritatem apertam certámque non habent. Solent [k] sæpe iudices in dubiis causis exacto iureiurando secundum eum iudicare qui iurauerit. Si itaque is in quem sententia lata est sese postea dicat noua inuenisse instrumenta, quibus solis vti velit, ei ex integro causam agere permittitur. Quòd si iusiurandum ab aduersario delatum præstiterit, non iam causam retractare conceditur. Iusiurandum [l] vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex

a Suspectũ enim est quod depositionem testis sigillo tenus factam afferat, nõ item viuam eius vocem, cuius in criminibus præcipuè facultas est (vt antè diximus) necessaria. Hoc in quibusdam codicibus prætermittitur. Porrò & huc vide l. ij. de fide instrument. & cano. si ad scripturas. nona distinctione.

b l. antepenultima et penulti. de fide instrumentor. l. contrahitur. de pignor. facit l. proprietatis. C. de probation. & l. pactum quod bona fide. C. de pact.

c Multa etenim sunt quæ ex sua substantia scripturam postulant, quæ gloss. ponit abundè cap. j. de cens. in sexto. Vide & l. census. de probationib. Confer & l. in exercendis. C. de fide instrumentorum. quæ pugnare videtur.

d Hæc sumpta sunt ex §. si verò tale aliquid. Nouel. de instrumentorum cau. Concordat cap. tertio loco. cum glossa ad verbum, testiũ. extrà de probatio. & cap. cum Ioannes. § porrò. de fide instrum. Eleganter Cicero in Oratione pro Archia testium talularumq; fidem confert.

e Idem habes l. si quando. C. vnde vi. & c. vlt. extrà de iis quæ vi metúsve cau. fi.

f l. in actionibus. & l. videamus. §. iurare autem. de in litem iuran.

g l. qui falsò. de testib.

h Hi pœna falsi tenentur. l. eos qui. ad legem Cornel. de fals. Aliàs pro delicti qualitate iudicibus in eos animaduertendi potestas datur. l. nullum. C. de test.

i l. admonendi. de iureiurando. l. in bonæ fidei. C. eodem. cap. ij. in fin. extrà de probationib. cum multis similibus.

k l. admonendi. eodem.

l l. j. hoc titulo.

autoritate iudicis admissum, controuersiam decidit. Nam & speciem [a] transactionis continet, & maiorem habet re iudicata autoritatem. Iusiurandum me deferente præstitum non retractatur [b], etiamsi manifestum ostendatur periurium. Iusiurandum etenim solutionem naturalis [c] obligationis, transactionémque, vt dictum est, imitatur. Qui nemine [d] iusiurandum deferente iurat, nihil quicquam eo iuuatur. Delato iureiurando [e], debet reus aut iurare, aut soluere, aut iusiurandum referre, nisi fortè per actorem stat, qui iuramentum nolit de calumnia subire, nimirum quòd non calumniæ causa [f] ab eo iusiurandum præstari velit, sed quòd iustam se fouere causam existimet. Si quis litigatorum [g] se non dedisse, aut promisisse iurauerit, & intra quatuor menses post latam sententiam computandos conuincatur datum aut promissum, triplum præstare cogitur. At post quadrimestre tempus non iam huic pœnæ obnoxius est. Si quis [h] cum iusiurandum alicui detulerit, necdum eo præstito pœnitudine ductus non iam deferri voluerit iusiurandum, vtpote cum ei aliæ suppetant probationes, non vltrà ei liceat secundò iusiurandum deferre, quando semel ei renuntiauit. Qui iusiurandum [i] defert, priùs de calumnia iurare debet. Qui iusiurandum [k] detulit, nec de calumnia iurat, similis est remittendi iusiurandum, & ei actio denegatur.

DE PVPILLIS.

Pupillus [l] iurisiurandi gratiam facere non potest. Pupillo [m] non defertur iusiurandum. Neque defensor neque procurator iurare compellitur. Prodigus [n] & ei similes iusiurandum deferre non possunt. Sed soli ij deferunt, qui ad hoc sunt habiles, siue pro pacto conuento, siue pro solutione, siue pro iudicio. Cuiuscunque [o] ætatis, aut sexus is sit qui iurauit, omni modo custodiri debet iusiurandum, quamuis pupillus non videatur peierare, quia sciens fallere non videtur. Si mihi [p] aliquid deberi iuràro ex ea actione quę inficiando crescit, simpli duntaxat persecutionem ex iureiurando mihi acquiro. Qui se dare [q] non oportere iurauerit, etiam solutam pecuniam repetere poterit. Nemo [r] qui per Deum peieràrit, periclitatur. Satis enim Deum vltorem habet, iurisiurandi per Deum præstiti contempta religio. Quòd si quis per principis venerationem calore quodam peieràrit, veniam consequitur. Si quis [s] iurauerit in re pecuniaria per genium principis, & peierauerit, fustibus castigatus dimittitur. Quisquis aut ex decreto iudicis [t], aut aduersario postulante iusiurandum in ecclesia receperit, sacris inuiolatísque contactis euangeliis, postea periurij conuicto lingua abscindatur. Idémque in testibus [v] obseruetur.

a *l. ij. eodem.*
b *l. j. C. eodem. & l. si quis iusiurandum.*
c *l. vlti. eodem. & l. Stichum. §. naturalis. de solut.*
d *l. iij. in princip. versicu. nam si reus iurauerit.*
e *l. iusiurandum & ad pecunias. §. ait prætor. eod. & l. delata. C. eod.*
f *dicta l. iusiurandum & ad pecunias. §. qui iusiurandum.*
g *Periurij pœna quænam sit iure ciuili, vide l. si duo patroni. in fi. & l. ij. C. iure can c. querelam. hoc titu.*
h *l. si quis iusiurandum. C. eod.*
i *dicta l. iusiurandū & ad pecunias. §. qui iusiurandum.*
k *l. si non fuerit. eodem.*
l *l. iurisiurandi.*
m *dicta l. iusiurandum & ad pecunias. §. pupillo.*
n *l. tutor pupilli. §. j.*
o *l. qui iurasse.*
p *l. eum qui iurauit.*
q *l. vltima. in princi. vers. nam si controuersia. eod.*
r *l. ij. C. eod.*
s *l. si duo patroni. §. vltimo.*
t *De periurij pœna nonnihil antè diximus.*
v *Quos iuratos debere esse antè monuimus, ex l. iurisiurādi. C. eod. Cæterùm seuerissimè animaduerti in testes pecunia corruptos iubet l. diuus. de re iud. Quin & lege Cornelia de sicariis teneri eum qui falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur. Porrò de pœna testis falsi ac periuri, vide Chassan. in rub.* des retraitz. *ad verba,* ou par le serment des contrahans, *nu. 39. qui & vltimus est: & de pœna periuri in vniuersum præced. numeris.*

DE

DE INSTRVMENTIS. TIT. VIII.



INSTRVMENTVM[a] Quod Greci Συμβόλαιον dicunt, est commentarius quidam ac descriptio pactorum ac conuentorum inter vtrũque eorum qui pacta contractúsque ineunt. Consiliorum enim communicatio conuentúsque personarum contrahentium Græco nomine συμβολὴ, quasi Latinè contractus vel conuentio dicitur. Vnde & commentarius qui ex huiuscemodi conscribitur conuentione, aptissimo nomine Græcis Συμβόλαιον appellatur. In contractibus[b], rei veritas potiùs quàm quod scriptum est perspiciatur. Instrumento[c] adesse oportet etiam testes tres, quò certum ratúmque sit, ac omnis contradictionis calumniæque expers. In omni[d] instrumento primùm ab eo qui protulerit, deinde verò & ab eo qui falsum arguat probationes exigimus. Si quis[e] in quopiam instrumento alterius mentionem faciat instrumenti, nihil omnino ex ea commemoratione exigatur, nisi & instrumentum illud alterum, cuius in secundo mentio fit, prolatum fuerit, aut allata aliqua alia legitima probatio, qua conuincatur reuera eam deberi quantitatem, cuius secundum instrumentum meminit. Qui actis professus est se instrumento non vsurum, non vltrà eo[f] vti potest. Actionem non tollit instrumentorum[g] amissio, vbi alia ratione veritas ostendi potest. Nemo ex domesticis[h] instrumentis, aut priuata attestatione plenam facit debiti fidem.

** Scholium esse videtur.*

Neque fiscus[i], neque priuatus ex propriis subnotationibus potest debiti probationem exhibere idoneam aduersus aliquem: vt quòd in fiscalibus chartis perscriptum sit, debere quempiam tot aureos, aut ex eo quòd priuatus quispiam suis rationibus intulerit sibi hanc vel illam pecuniæ summam deberi.

DE SCHEDIS PRIVATIS, PROPRIAQVE ALICVIVS MANV SCRIPTIS.

EX priuatis[k] scripturis nulla fiat comparatio, nisi trium testium subscriptiones ipsa chirographa habuerint, atque ipsi testes suas agnouerint subscriptiones, aut propriam manum abnegantes ex propriæ scripturæ collatione conuicti fuerint, sed ex solis forensibus. Quòd si eiusdem manus etiam aduersarius protulerit literas, tunc nullus sit calumniæ locus. Cui enim aduersarius ipse fidem accommodat, quódque protulit, & vnde propria confirmat, id nequaquam cauilletur. Quin[l] & id quod ex publicis monumentis profertur, publicíque testimonij fide subnixam chartam ad comparationes admitti volumus.

a Quid Latinè instrumenti nomine accipiendum sit, habes l.j. de fid. instr.

b l.j. atq; adeo tot. tit. C. plus valere quod agit. quàm quod simul. concip.

c Priuatæ scripturæ in No. de inst. caut. §. si quis igitur vult. At inter literarũ ignaros quinque testes exigit. §. oportet. ca. No. Confer l. fi. C. si cert. pet. & l. scripturas. C. qui potio. in pig. hab. cum authent. his legibus annexis, quæ ex d. No. sumptæ sunt.

d l. vlt. ad leg. Corne. de falsis. C. Quod si qui protulit amisisse se dicat, nec iam vltra proferre possit pro falso habetur. l. vlt. C. de fide instru. Si verò probare non poßit nefariæ scripturæ reus & falsarius habetur. l. iubemus. C. de probat.

e Ad verbum ex Nouel. vt sponsal. larg. §. & hoc insuper. vnde C. authẽ. si quis in aliquo, excepta est, sub tit. de edend. Concord. cap j. extra de fide instrumen. c. ex insinuatione. cum no. per glo. de rescr. & cap. cum in iure. de offic. deleg. fac. l. ij. ff de fid. instru.

f l si aduersarius. C. de fid instrumen.

g l. j. l. sicut iniquum. cum duabus sequẽ. C. eodem

h l. instrumenta. & l. exemplo. C. de prob. concord. cap. ij. cum glo. extra de fide instrumentor.

i Ex dicta l. exemplo.

k l. comparationes. C. de fide instrumentor. in Nouel. de iis qui ingred. ad appel. §. illud etiam iudicauimus. vnde authent. ad hæc. sumpta est.

l d. No. §. si verò etiam ex publicis archiuis. Concordat cap. cum causam. extra de probationib. & can. peruenit. xxx. quæstione prima.

DE IVREIVRANDO.

ETIAM [a] non præsentibus testibus iureiurando firmantur scripturæ priuatæ. Quæcunque [b] quis pro se in proprio dixerit, aut scripserit testamento, ea nec quicquam ei prosunt, nec creditoribus præiudicant, quò minùs ipsis liceat omnia quoquo voluerint modo perscrutari. In contractibus qui sine scriptura ineuntur, aut per testes aut per iusiurandum probationem admittimus, actore quidem testes producente, reo verò iurante, aut etiam iusiurandum referente [c], quemadmodum iudici causam instituere ac terminare visum fuerit. Qui propriam syngrapham [d], aut sibi solutam pecuniam abnegat, conuictus duplum pendet. Qui verò simul ac inficiatus est, delato iureiurando veritatem fatetur, dupli condemnationem effugiet: quòd si serò tandem fateatur, litis sumptus persoluet aduersarij iureiurando æstimandos.

DE PACTIS.
TIT. IX.



PACTIO Seu conuentio [e] est duorum, aut etiam plurium in idem placitum & consensus, ad contrahendum nimirum, aut agendum, aut transigendum quippiam. Sunt autem conuentiones [f] partim priuatæ, partim publicæ. priuatæ quidem quæ inter singulos particulatim homines ineuntur: publicæ verò quæ per principes fiunt, aut belli duces, ad pacem forsan componendam, aut quippiam aliud.

FINITIO PACTI ET TRANSACTIONIS.

Pactum est [g], cum quis donationis causa rem certam & indubitatam liberalitate remittit. Transactio, cum de re dubia & lite incerta, needum finita, partes inter se aliquo dato, retento, vel promisso conciliantur. Conuenire [h] quis potest & præsens, & absens, & per epistolam, & per nuntium, & tacito quodam consensu, vt si debitori cautionem reddiderit. Potest enim is si de debito interpelletur, hac se exceptione tueri. Potest [i] pactio & sine scriptura, & scripturis contrahi, parémque vtrouis ineatur modo, vim habet. Nullius est [k] momenti conuentio ita inter aliquos contracta, vt vnus lucrum tantùm sentiat, alter verò nihil ex ea conuentione commodi percipiat.

DE NVDO PACTO.

PACTORVM [l] quæcunque pœnam habent adiectam, implendíque necessitatem, ea valent, computatúrque in his tempus ex quo peracta sunt. Quibus verò pœna non est addita, neque proinde implendi necessitas in his, nec temporis ex quo inita fuere ratio subducitur. Nudum pactum [m] actionem non parit, sed exceptionem.

a *l. cum de indebito. §. vlt. de probat. §. si tamen. in Nouel. de instr. cau.*

b *In No. de iureiur. à mor. præst. & l. rationes. cum authen. subnexa. C. de probat. Nihil enim eorum quæ in testamento statuuntur, quantumuis legum autoritate subnixũ sit, debet nec creditoribus, nec fisco fraudi esse. l. filiusfamiliàs. §. diui. ij. de legatis primo.*

c *Cum enim nõ semper cõsonum sit per omnia referri iusiurandũ, ex diuersitate rerũ vel personarum, si quid tale inciderit officio iudicis conceptio huiusmodi iurisiurãdi terminanda est. l. iusiurandum & ad pecunias. §. ait prætor. in fine*

d *In Nouel. de tri. & sem. § studiũ verò. vnde authẽ. contra qui propriam. C. de non nu. pec. sumpta est. Concor c. dudũ. cum gl. ad verb. idone⁹. ext. de præsum.*

e *l. j. de pactis.*

f *l. conuentionũ. eodẽ.*

g *l. j. de transact. l. transactio. C. eod.*

h *l. ij. ff. de pactis.*

i *l. pactum quod bona fide. C. eod. cũ si.*

k *Hanc societatem, leoninam solitus erat appellare Cassi⁹. l. si nõ fuerint. §. Aristo ff. pro soc. facit l. si pacto quo pœnam. C. de pact.*

l *l. iurisgentiũ. §. sed cum nulla. & §. quinimo. eod.*

m

Nudum autem pactum est, cum non præcesserit datio, sed solùm de dando conuentum fuerit. Quòd si initio & ex continenti fiet, actionem informat, vt in bonæ fidei iudiciis: si verò ex interuallo pactum interpositum fuerit, actori quidem nihil confert, & reo parit exceptionem. Porrò tricesimaoctaua Cæsaris Leonis Nouella [a] paulò aliter statuit, his verbis: Sancimus itaque cuicunque pactioni spõsio diuini numinis auxilio, quò firmior sit, subnixa adfuerit, eam validissimam esse, planéque insolubilem, etsi ne verbum quidem de pœna factum fuerit. Inter patrem [b] & filium qui in potestate eius est, contrahi pactio non potest. Quod [c] extra naturam contractus inter aliquos conuenit, nisi simul & incontinenti appositum sit, actori nihil confert, reo verò exceptionem parit. At quęcunque [d] ex natura contractus etiam re non secuta pacta ineuntur, ea actori simul & reo, vt quæ insint [e], cõducunt. Præter [f] iura communia nec pacisci licet, nec legare, nec iusiurandum quod quis in ea re præstiterit se non acturum, ipso iure valet. Neque verò vllas habet vires stipulatio eiusmodi pacto interposita, quòd à iure communi remotum sit. Priuatorum [g] pacto ius publicum mutari non potest.

Quæcũque [h] aut legibus aut bonis moribus pacta aduersantur, ea nullam habere vim iuris est indubitati. Non potest [i] quis pœnam stipulari supra legitimum vsurarum modum. Priuatorum [k] conuentione non est de publico iure quicquam immutandum, etsi maximè ab initio, actionum & obligationum causæ pactione immutari possunt, aut iure ipso, aut per exceptionem.

EXPLANATIO.

Iurisconsulti mens est hoc loco & institutum, communia iura, hoc est quæ communiter & in rem omnium inducta sunt, nequaquam ex priuatis pactionibus subuerti, hoc est singulorum placitis & conuentis. Verbi gratia, quid dico? Lege cautum est, licere [l] cuique cum moritur, quęcunque voluerit hæredem scribere, hereditatemq; ac facultates suas pro arbitrio partiri, & quibus voluerit legare. Atque hoc publicè expedit. Si ergò cum aliquo paciscens, iureiurando me ipse astringam, fore vt eum moriens rerum omnium mearum hæredẽ instituam, neq; alterius cuiusquam præter eum hæredis instituendi facultatem habeam: quod si non fecero, præstiturum me aut hæredem meum hanc aut illam pecuniæ summam, aut quippiam acturum, certè moriens nequaquam hac pactione prohibebor, quò minus quem voluero hæredem scribam, meásque res pro arbitratu meo distribuam. Quod si obiecerit qui tale pactum suscepit se ex pactione hæredem esse, audiet non valere [m] eiusmodi pactum. Commune siquidem ius, quodque in vtilitatem publicam redundat, priuato pacto non tolli. Rursus ipso iure [n], quæ inter virum & vxorẽ donationis causa geruntur, nullius momenti sunt. Quod quidem communiter omnibus vtile est. Si ergò horum alter alteri se quippiam donaturum conuenerit, pœnamq; nisi [o] tradiderit, daturum, nihil agit. Eiusmodi nanque pactum, sicut dictum est, inualidum est. Ac cõmune quidem ius pactione non immutatur. Actiones verò pactis mutari queunt. Cumque lex actionis cuiuspiam, eiusmodi statuat formam, possunt qui contrahunt eam per pactionem

a *Cui sanè consonãt quæ per canon. traduntur. c. j. extra de pactis. c. quicunque suffragio. xij. q. ij. & can. iuramenti. xxij. q. v. quod nudũ scilicet pactum actionem pariat, nihilq; Deus esse discriminis voluerit inter iuramentum, & simplicem loquelam.*

b *facit l. lis nulla. de iud. & l. ij. de contrahend. empt.*

c *d. l. iurisgentium. §. item responsum.*

d *eadem l. §. adeò.*

e *adeò vt re nondum secuta possit à contractu abiri. vt l. ab emptione. ff. eod. & l. ij. C. quan lic. ab empt. disced.*

f *d. l. iurisgentium. §. & generaliter.*

g *ead. l. § si paciscar. & l. ius publicũ. eo.*

h *ead. l. §. prætor ait. & l. contra iuris ciuilis. eod. & l. pacta quæ contra. C. eod.*

i *l. cum allegas. C. de vsur. l. pœnã. ff. eod. vsurarum autẽ modum præscribit l. eos qui. §. j. C. eod*

k *l. nec ex prætorio. de reg. iur.*

l *Nouel. de nuptiis. §. disponat. l. j. C. de sacrosanct. eccle. l. iij. ff. de testamen. Concordat cap. tua nobis. cum glos. ij. extra eodem. & can. vltima voluntas. xiij. q. ij.*

m *Non valet pactum aut stipulatio liberam testandi facultatem tollens. l. stipulatio hoc modo concepta. de verborum obliga. & ambulatoria est defuncti voluntas vsque ad supremum vitæ exitum. l. iiij. de adimend. leg. Facit l. pactum quod dotali. C. de pactis. l. si quis in principio. de legat. ij. Facit quod scribitur in cap. cum Martha. extra de celebrat. missar. non valere testamentum dum vixerit qui testatur.*

n *l. j. ij. & iij. de do. inter vi. & vxo.*

o *Imò nec traditio ipsa quicquã valet. l. iij. §. sciendũ. eo.*

vax

variare. Vt autem quid dicatur, planiùs intelligas, hoc tibi exemplum propone. Dicit lex, in venditione duplam [a] necessariò consequi, hoc est illud per stipulationem à venditore impetrari, vt si res euicta fuerit, in duplum rei pretium persoluat. Rem itaque vendens, [b] possum ab initio actionem immutare, ipsamque venditionem his verbis concipere. Rem ea lege vendo, vt eius nomine nequaquam obstrictus sim, neque emptorem cogar defendere, aut si res euicta fuerit nihil omnino præstem, nec duplum nec simplum. Quòd si fortè cùm lex hanc venditionibus formam præscribat, vt sit nimirum in ipsis actio quæ venditorem astringat emptoris defensioni duplæque stipulationi, hæc omnia pactio mutauit interueniens, haud dubiè valet hìc plenumque huiusmodi transformatio & immutatio robur habet. Neque verò ab re constitutioni adiectum est, ab initio. Ita enim accurata & disquisita rei examinatio postulat. Si quid enim in ingressu, dumque actio informatur, conuentum fuerit, actionem [c] transformat. Vt si quis rem quampiam vendat, iure ipso, vt dixi, & ex actionis natura cogitur duplam ex stipulatu polliceri, sed non item [d] fideiussorem dare. Quòd si sponte sua ab initio fideiussorem dare voluerit, ac dederit, ratū est pactum, & obligatur ipse fideiussor. Quod non in venditione modò, sed & in bonæ fidei iudiciis [e] omnino locum habet: vt si vtendam seu commodatò rem cui dederim, aut apud quem deposuerim, lex ab ipso quidem depositario [f] exactam & absolutam diligentiam non postulat, eum verò qui rem accepit vtendam, seu commodatarium negat ob fortuita [g] teneri. At si conuenerit ab initio cum rem vtendam do, etiam ex fortuitis obstrictum iri commodatarium [h], obstringetur. Valet enim pactum, & actionem ipsam transformat. Ac pacta quidem initio apposita, ex ipso iuris habitu, denique ex ipsa lege transformatam immutatamque actionem agnoscente, hoc est quod significanter Romana voce exprimitur, ipso iure actionem immutant: Cum non initio, sed postea ex interuallo accesserit pactum, tum immutat quidem adhuc actionem, verùm actori quidem nihil confert [i], at reo dat exceptionem. Verbi gratia: Lex [k] est quæ iubet res dotis mobiles intra annum restitui. Si ergò posteaquàm solutum fuerit matrimonium, pacta fuerit mulier de rebus mobilibus illico accipiendis, nihil ei hoc pactum, vt quod initio contractus adiectum non fuerit, omnino proderit. Si verò contracto matrimonio mox conuenerit mulier, vt res quoque soli intra annum recipiat, hoc viro confert, ipsamque de dote actionem non secus immutat, ac si ab initio interposita fuisset conuentio contractus naturam immutans. Nonne enim matrimonij tempus, contractus initium est? Itaque si actionem de dote mulier iuxta naturam suam intendat, moxque soluto matrimonio res soli sibi restitui postulet, proculdubio petitione excludetur. Dicat enim vir: At non id conuenit vxor, vt res quoque soli intra annum restituerentur. Sic itaque constat actiones ipso iure mutari aut per exceptionem, hoc est si ab initio quidem contractus ipsa acciderit mutatio, hæc rata habere legem, conferréque tam actori quàm reo, vtpote lege ipsa seu iure ipso immutata actione, ac proinde ex æquo vtranque partem iuuante: si verò ex interuallo quid iam celebrato nimirum contractu, pactionis accesserit, actori quidem non prodesse, sed reo exceptionem parere: quo sanè modo actio per exceptionem immutatur.

Nec paciscendo [l] nec stipulando quisquam alteri cauere potest.

SCHOL.

* *Quod tamen ad sequens responsum magis pertinere videtur.*

Illud præuia cognitione accipe, quoties tegulæ domus meæ stillicidia per vicini aream vel subdialem locum emittunt, aut in vicini aream domus meæ fenestra prospectum habet, toties dici me per vicini domum seruitutem habere. Hoc cognito nunc deinceps ad institutum attende. Habebat Petrus quidam domos

a *l. ij. & l. emptori. in princip. de euictiion. Qua tamen in re sæpe est regionis consuetudo spectanda. l. si fundus eod.*

b *Facit l. si dictum. & l. si plus. eodem. Item l. emptorem. de act. emp.*

c *Nam pacta ex continēti subsecuta insunt bonæ fidei iudiciis. l. lecta. si cert. petatur. l. iuris gentium. §. quinimo. de pactis.*

d *Siquidem stipulatio duplæ repromissio tantum est, nisi conuenerit vt satisdetur. l. j. §. stipulatio de prætor. stipula facit l. emptori, supradicta. & l. illud quæritur. de euict.*

e *l. in bonæ fidei. C. de pactis.*

f *Nam depositum dolum duntaxat recipit, commodatum & dolum & culpam & diligentiam. l. contractus. de regul. iur. l. si vt certo. §. nunc videndum & l. in rebus. commoda item §. penul. & antepen. quib. mod. re contr. oblig. instit.*

g *Propter vim maiorem maioré sve casus. facit l. quæ fortuitis. C. de pignor. actione.*

h *Siquidem contractus legem ex conuentione accipiunt. l. j. §. si conueniat. deposi. Idem in deposito, si hoc ab initio conuenit, vt & culpam & periculum omne præstet is penes quem deponitur. d. §. nunc videndum. l. si vt certo. & l. iuris gentium. §. item si quis. de pactis.*

i *dicto §. quinimo. l. iuris gentium. de pactis. & dicta l. in bonæ fidei. C. eodem.*

k *l. vnic. §. exactio. C. de rei vxo. act.*

l *l. quo tutela. in fin. de regu. iur. §. si quis alij. & §. alteri. instit. de inut. stipul. vbi Accur. xvj modos eximit, quibus alteri stipulari quis posit.*

duas, quarum vtraque per alteram stillicidia mittebat, fenestrásque habebat in alteram prospicientes. Ex his vnam mihi vendidit, sibi alteram retinens, & in ipso venditionis contractu ita adscribi iussit: Stillicidia tegularum & fenestræ vt hodie sunt permaneant. Venditam itaque domum mihi tradit. Deinde verò conatur fenestras eius quam retinuit domus aperire, vt in me prospectum habeat. Eum ipse impedio. Is mihi actionem intendit, postulatque sibi iudicio concedi, vt suas aperiat fenestras, vtens in causæ suæ patrocinium verbis in venditione appositis, vti hodie sunt fenestræ & tegularum stillicidia, ita maneant. Excipio ego contendens ex venditionis verbis damnari potiùs venditorem, vt quæ planè ambigua sint, neque de vtris fenestris aut stillicidiis hæc conuenerint, apertè discernant, de iis'ne quæ in ædibus sunt à venditore ipso retentis, an verò in ædibus mihi diuenditis. Orta ergo huiusmodi ex verborum ambiguitate controuersia, interuenit legislator, statuitque aduersus venditorem [a] intelligendas atque interpretandas pactiones ambiguas. Atque ita cogitur venditor proprias fenestras occludere, meis interim apertis, vti erant, manentibus. Licebat enim ipsi, ni ad fraudem emptori faciendam respiceret, purè & apertè [b] venditionis legem conscribere, quòd nimirum & earum quas retinebat ædium fenestræ apertæ, vti erant, mansuræ essent. In potestate siquidem eius situm erat ad se spectantes ædes non abalienare. Ac in venditore quidem aduersus eum obscura pactio exponitur. Itidem & in locatore [c] ob eandem causam [d]. In actione verò seu intentione [e] secus dicimus, si ambiguitas inciderit, vt in eiusmodi specie. Habebat quidam seruos duos, quibus nomen erat Petri, hunc quidem medicum, illum verò nulla arte edoctum. Actionem aduersus eum institui, petens seruum Petrum. Cúmque iamiam secundum me sententia esset ferenda, & ipse medicum mihi habere vellem, alterum offerebat reus. Erat itaque ex ambiguo inter nos controuersia, quippe cùm ipse quidem me dicerem in actione intendenda de medico intellexisse, reus verò ex aduersum verba actionis proponeret simplicia, & quibus nullus de medico sermo haberetur. Dirimit ergò litem hanc iureconsultus, ac dicit ambiguam intentionem nihil actori obesse, sed pro eo potiùs intelligi, itaque in iudicio accipi, vt ab eo exposita fuerit. Nam & septimo [f] libro hunc in modum apertè dicit: Ambigua intentio & oratio pro eo exponenda est, qui ea vsus fuerit. Et meritò sanè intentionem ambiguam ex actoris interpretatione accipimus, vt ne iudicium confusum, certaque nulla forma aut fine constitutum permaneat. Si enim ad interpretationem reum admitteremus, planè accideret [g] vt hic condemnationem toto vitans studio diceret se non id intellexisse quod postulabat actor, vtque reo aliud offerente quàm quod actor petit, lis in nihilum rediret, vanaque ac inanis esset, nimirũ dum actor non id accipit quod à reo datur, neque reus id præstat quod ab actore petitur.

Ambiguum [h] & obscurum pactum aduersus venditorem & locatorem interpretandum est. Ambigua verò intentio ita est accipienda, vt actori res sua nõ pereat. Si pacto [i] subiecta sit pœnę stipulatio, optio stipulatori datur, vt aut stipulatione vtatur, aut exceptione, si modò accepto ferat pœnam, déque ea non petenda cautionem [k] interponat. Quæ contra [l] leges ineũtur pacta, rata non sunt.

** Scholium esse videtur.*

Nam turpia, legibúsque aut naturæ rerum aduersa pacta, lex infirmat, cum dicit: Pacta quæ contra leges ineuntur rata non sunt.

a l. veteribus. de pactis. l. si arborem. §. vltimo. & l. si seruitus. de seruit. vrbanorum prædior. & l. cum in lege. & l. Labeo. de contrahen. empt.

b Semper autem contra eum qui legem dicere potuit apertiùs est interpretatio facienda. c. contra eum. de regulis iuris. in vj.

c Dicta l. veteribus. de pactis. Nec obstat l. in lege. locati. vbi locatori faueatur, ne ab eo adiecta verba nihil operentur.

d Siquidem vbi eadem est ratio, ibi & idem ius statuendum. l. à Titio. de verborum obligat. & l. illud. ad legem Aquil.

e l. in contrahenda. de regul. iur.

f Non dubium quin vbi Græcè est ἑβδόμῳ, sit legẽdum έ, hoc est πέμπτῳ quinto Pandectarũ libro, vbi sub titulo de iudic. ita statuit Vlpianus: Si quis intẽtione ambigua vel oratione vsus sit, id quod vtilius ei est, accipiendum est. Vide & gl. not. in cap quoniam. ad verbũ, substitutum. extrà de offi. deleg.

g Periculosum est ex persona rei hoc metiri, qui semper ne condemnetur, hoc dicet non conuenisse. l. solemus. de iudic. & ideo potiùs actori credendum est. l. inter stipulantem. §. si Stichum. de verbo. obligatio.

h l. in contrahenda. de regul. iuris. & ibi Accur.

i l. si pacto quo pœnam. C. hoc titu. l. rescriptum. §. si pacto. ff. eo. Nam alterutro eum contentum esse oportet: vel exceptione pacti, & acceptam facere pœnæ obligationem, vel si ex stipulatu agat, deneganda ei exceptio. l. si pater. §. si mulier. de pact. do. Fac. l. iiij. §. Labeo ait si de homine. de do. excep.

k Hoc addo vt vim vocis Græcæ ἀποχὴ significẽ.

l l. pacta quæ contra. C. hoc tit. & l. contra iuris. ff. eo.

DE MVTVA SVCCESSIONE.

SI qui ita inter se [a] couenerint, vt qui prior diem suum obierit, superstiti facultates omnes relinquat, facta conuentio planè inutilis est, vt quæ bonis moribus aduersetur. Neque enim pactio, neque stipulatio hoc modo concepta vllius est momenti. Licet autem de mutua successione inutiliter priuati paganíque homines paciscantur, ac ne mortis quidem causa donationem inducat eiusmodi pactum, militibus tamen vbi in aciem prodeũt, iure licet eiusmodi pacta contrahere.

DE PACTIS DOTALIBVS.

SI conuentum fuerit, non extantibus liberis [b] vt ad virum dos pertineret, naufragióque mulier vnà cum puero anniculo perierit, cum prior matre obiisse videatur filius, sanè vir dotem lucratur. Inquit [c] enim lex, si quidem pubes fuerit filius priorem videri matrem, si verò impubes, priùs intelligi decessisse filium. Si mulier [d] sublatis liberis à viro recesserit, hic autem velut venali concordia pactus fuerit ne dotem peteret si illa ad se redierit, non valet eiusmodi pactio. Si quis [e] cum socero paciscatur, vt si constante matrimonio superstitibus liberis sese decedere contigerit, dimidia duntaxat dos restituatur, inutile est pactum. Si vir cum vxore pactum inierit, vt ei mortuæ succedat, irritum est pactum illud. Neque enim fieri potest, vt pacto [f] de iis statuamus quæ ad nostram successionem pertinent. Siquidem externus homo absque testamento alteri heres esse haudquaquam potest. Testamento verò externis hereditas [g] dari potest. Si pactum fuerit [h], vt priore defuncta vxore dos apud virum permaneret, si modo à patre profecta est dos, valet pactum, & excluditur pater. Nihil enim prohibet pacto [i] deteriorem dotis causam, præsertim vbi ad solum patrem eius repetitio pertinet, fieri.

* *In contextum Græcum, vbi legitur,* ἐὰν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς διδομένη.

Non dubium quin vbi παρὰ τοῦ ἀνδρὸς *in nostris legitur exemplaribus, sit legendum,* παρὰ τοῦ πατρὸς, *cùm notanter &* διαῤῥήδην *profectitiæ dotis mentionem faciat l. illa, si conuenit. C. de pact. conuen. Vnde hæc constat excerpta esse.*

DE TRANSACTIONE.

TITVLVS X.



TRANSACTIO [k] Omnis vnum horum exigit, [i] aut vt transigenti aliquid detur, aut ab eo retineatur, aut etiam quippiam promittatur. Quòd si nihil horum adfuerit, transactio non est. Nullo siquidem dato, retẽto vel promisso, transactio minimè procedit. Et apud acta [l] & sine actis, & scriptura intercedente & non, inita transactio rata est ac stabilis. De iis quidẽ [m] criminibus transigere licet, quæ sanguinis pœnam irrogant, excepto adulterij crimine. Quæcunque verò sanguinariam pœnam non in-

a *l. licet. C. de pact. Et omnino pactum de futura successione cùm contra bonos mores sit, liberamq; testãdi facultatem tollat, non valet, iuxta ea quæ not. l. vlt. C. eod & l stipulatio hoc modo concepta. de verbo. oblig. Eximit duos casus Chass societatis nimirum & matrimonij, quos colligit ex l. ij. §. de illo. pro soc. & l hæreditas. C. de pactis conuent. Tale quoq; pactum iureiurando firmatum valere tradit Rom. Põt. c. quamuis pactum. de pact. in vj.*

b *Eadem species refer fertur l. inter socerum. de pact. dot.*

c *Scholium quidam esse putãt sumptum ex ll. cum pubere. &, si mulier. de rebus dubiis.*

d *l. si liberis. hoc titul. de pact. dot.*

e *facit l. ij. eodẽ. & l. quamuis. C. de pact. conuent.*

f *l. vlt. C. de pact. l. ex eo inst. C. de inn. sti.*

g *l. hæreditas. C. de pactis conuen. l. extraneũ. C. de hære. inst.*

h *l. si conuenit. C. de pact. conuent.*

i *l. quoties. sol. matri.*

k *l. transactio. C. hoc ti. & c. super eo. extra eodem.*

l *l. siue apud acta. & l. cũ te trãsegisse. C. eo. fac. l. pactũ quod bona fide. C. de pac.*

m *l. transigere. C. eod.*

gerunt, in his transactio nulla est, præterquàm in crimine falsi. Qui transigit, sibi inde statim abunde prospicit & [a] cauet. Si quis igitur huiusmodi interueniente scriptura transegerit: Quoniam etiamnum inter nos controuersia est, tecum hodie transigo, ac fateor tibi me centum nummos aureos debere, sicque transactio absoluta fuerit, postea ex interuallo fiat & altera transactio, qua idem ille centum se aureos non debere significet, iure ipso nulla habetur secunda transactio, planéque in iudicio prolata subuertitur. Siquidem post sententiam latam, vtiliter nemo [b] transigit. Transactio porrò est rei controuersæ [c] decisio, & maiorem [d] habet vim re iudicata. At quomodo potest quis post iam firmatam [e] & stabilitam sententiam transigere? Et subiecta pœnali stipulatione[f], & citra eam solo pacto fit transactio. Neque post transactionem, neque post secundam conuentionem, cuiquam licet iam à se factam conuentionem immutare, etsi dolo [g] hoc est falsò ab initio facta fuerit. Si maior [h] annis vigintiquinque cum ingenuis transegerit quispiam, vt ab iis quędam acciperet, etsi maximè ij quibuscum est transactũ, necdum promissa persoluerint, sed ne nunc quidem conuenti ea offerant, rectè tamen pacti conuenti exceptione [i] nituntur, quæ sibi ex transactione competit. Qui de iniuriarum [k] actione pecuniis transigit, infamis est. Pecuniam enim conferens, delicti sibi conscius videtur. Transigere vxorẽ cum viro eo prętextu quòd sese adulterium admisisse atque ideo diuertere dictitet, lege [l] prohibitum est.

Causas [m] ipsas vel lites transactionibus legitimis finitas, ne imperatoris quidem rescripto subuerti atque ex integro instaurari oportet. Qui pacta [n], vel transactiones libero à se arbitrio confectas infirmare conatur, nõ solùm infamia notatur, sed & omni actione quæ sibi competebat decidit, insupérque pœnam præstat pacto aut transactioni adiectam, quin & eorum dominium amittit quæ ex pacto vel transactione consecutus fuerat. Ea verò consequitur & lucratur aduersarius. Non ideo rescindit [o] quis à se factam transactionem, quòd propria instrumenta quo tempore facta est non habuerit, nisi fortè aduersarius aut eius nomine alius quispiã ea apud se detinuerit. Non subuertit [p] quis factam interuenientibus amicis transactionem, quòd se vi eam fecisse asserat. Vbi enim amicitia est, vi non agitur. Qui transigit [q], quasi de re dubia & lite incerta necdum finita transigit: qui verò [r] paciscitur, donationis causa rem certam & indubitatam remittit. Qui maior [s] transegit, etsi ad eam transactionem infirmandam statim de dolo contestatus est,

a Facit l. causas. C. eodem.
b l. si causa. C. eodem. l. elegãter. §. si post. de condictio. indeb. & cap. exposita. extrà de arbit.
c Nam qui transigit, quasi de re dubia & lite incerta neque finita transigit. l. j. ff. hoc tit.
d Aut certè non minorem. l. non minorem. C. eod.
e Vt quæ scilicet appellationis vel in integrum restitutionis solennitate suspensa non sit. dicta l. si causa.
f l. pacto conuento. eodem.
g Quem ex parte sua interuenisse dicat. l. transactione finita. C. eodem. Aduersarius enim rescissionem eius petere potest. argu. l. cum posteaquam. C. de pactis.
h l. si maior annis vigintiquinque. C eo.
i Vt nihil ab eis amplius peti possit, quàm transactione decisũ fuit. Alioqui enim si nihil offerrent, actione pristina ageretur. l. cũ proponas. C. eod.
k l. non damnatos. C. ex quibus causis ir. infam. Et omnino quatuor in causis non damnati tantùm, sed & pacti notantur infamia, furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum & de dolo. Intelligitur enim crimen confiteri qui paciscitur. l. athletas. in fi. cum l. sequenti. de infam. & §. ex quibusdam. instit. de pœn. teme. litigan. *l In Nou. Neque virum quod ex dote est. § illud quoque. collat. vij.* *m l. causas. C. eodem.* *n l. si quis maior. C. eodem.* *o l. sub prætextu. C. eodem.* *p l. transactionem. C eodem. Alioqui huiusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes violentiæ opponere. l. non est verisimile. de eo quod met.* *q l j. ff. & l. præses. C. eodem.* *r In Græco contextu συγχωρῶν legitur sed ex dicta l. j satis apertè colligitur legendum συμφωνῶν.* *s l. si maior transegisti. C. eodem.*

de dolo contestatio non sufficit [a]. Quamuis [b] maximè eum qui pactus est statim pœnituerit, transactio tamen rescindi & lis instaurari non potest. Maior [c] vigintiquinque annis siue cum quo transigit, siue cui æs alienum absque vlla conditione remittit, non potest postmodum dicere se eo colore transegisse, aut debita remisisse, quòd futurum speraret, vt ab eo hæres [d] scriberetur. Qui de certa aliqua causa [e], instituta actione transigit, etsi pacto transactionis illud apertè expresserit nihil amplius peti, neque illud adiecerit, eo nomine, tamen saluas habet adhuc & integras quæcunque sibi aliis ex causis aduersus eum cum quo transegit, competebant actiones. Quid enim si de deposito transegit, mutui autem actionem habebat?

DE NECESSITATE ET VI.
TITVLVS XI.



VIS EST [f] maioris rei impetus, qui repelli non potest, hoc est quem quis à se propellere & auertere nequeat. Vis est non solum torquere [g] & in carcerem detrudere, verùm & præter animi sententiam quempiam, cum maximè propter ætatis fragile ac infirmum consilium voluntatis suæ dominus non est, ad contractum hortari & impellere. Quod vi metúsve causa [h] gestum erit, ratum non habetur. Si quis [i] rem quæ à quopiam possidetur absque iudiciario decreto vi abstulerit, si quidem eius est dominus, dominio excidit: sin aliena res est, non eam modò vim passo restituit, sed & eius æstimationem. Qui absque magistratus autoritate quippiam admisit, quod sine ea non licuit, intra annum damnatus pœnam solùm præstat, non item fructus, etsi [k] anni aliquot ab instituta actione ad condemnationem excurrerint. Qui vi [l] & rapina primùm aliquid abduxit, quamuis illud ipsum à domino postea redemerit, aut etiam donationis vel permutationis causa receperit, nihil facit, neque valet quod actum est. Etiam qui bona fide [m] ab eo qui vim intulit comparat, donóve aut legati nomine accepit, tenetur. Porrò in re restituenda [n] tale debet esse arbitrium iudicis, vt & eum qui vim admisit iubeat restituere, etiamsi ad aliũ res peruenit, & eum ad quem res vi ab alio ablata peruenit, etiamsi alius metum fecit. Quadruplatur [o] autẽ id quod interest, ídque simul cum fructibus [p] & omni causa. Vi possessione [q] pulsus, intra annum vtilem actione de vi eam recuperat. Cæterùm aduersus hæredes non competit, nisi quatenus ad eos peruenit. Ne [r] ex sacro quidem rescripto, vi ereptam

a Nisi probetur l. dolũ. c. de dol. l. metũ. C. de iis quæ vi me.
b l. quamuis. C. c. contingit. extr. eodem.
c l. si maiores. C.
d Ne si ea quidẽ trãsactioni adiecta fuerit conditio Nã ad implendum promissũ, hæreditatis propriæ pollicitatione nemo adstringitur. l. cum donationis. C. eodem.
e l. si de certa. C.
f l. ij de eo quod met. cau. cui consonũ est quod initio l. si ea res. de act. emp. dicitur, aduersus vim parum custodiam proficere.
g l. qui in carcerem. eod. & l j. §. persuadere. de ser. corr.
h l j. hoc titu.
i l. si quis in tantam. C. vnde vi. instit. vi bo. rap. § j. & concord c. placuit xvj. q. vj. Sic & ius crediti amittit qui sine iudice in rem debitoris inuadit. l. sed et. §. vlti. cum l. seq. extat. de eo quod met. & l. pe. ac vlt. ad l. Iul. de vi pri.
k Sunt qui nisi malint, vt pro καὶ quod in Græco exẽplari est substituas εἰ μὴ. Porrò quænã pœna sit ei irroganda, qui in l. Iuliam. de vi priuata incidit, docet l j. & vl. ad leg. Iul. de vi priuata, nempe vt infamis sit, tertiáque eius bonorum pars publicetur.
l l. fac. l. pen. vi bon. rapt. & l. j §. si rem. deposi. Confer l. ij & l. si per vim. C de iis quæ vi met. ve cau. quæ nisi sane intelligantur, è diametro pugnare videntur.
m l. si cum exceptione. §. aliquando. de eo quod me.
n d. l. §. Pedius.
o dicta l. §. hæc autem actio. & §. penult.
p dicta l. §. Labeo ait. versic. quadruplatur. & l. sed & partus. eod. & l. iiij. C. vnde vi.
q l. ij. C. vnde vi. & l. j. §. annus. ff. de vi & vi arma.
r l. meminerint. C. eodem.

poss

possessionem sibi quis firmare potest. Et is [a] qui rem detinet absentis, actione de vi conuenitur, nisi ex quo possessionem nactus est, iam triginta anni effluxerint. Actio de vi [b] plurimùm intra annum mouetur. Si de vi actio intra annum instituatur, præstatur solita pœna, nimirum in quadruplum [c]. At post annum res [d] tantùm ipsa vnà cum fructibus. Hæc [e] actio in id quod interest quadruplatur. Quisquis [f] vim omnino facit, aut in legem de vi publica, aut priuata incidit. Est autem criminis vis publicæ damnatio, perpetua in [g] metallum relegatio. Vim vi [h] & arma armis licet repellere.

DE IMPVBERIBVS ET MINORIBVS ET IN INTEGRVM RESTITVTIONE.
TITVLVS XII.



MPVBERES [i] In masculis quidem intra decimumquartum annum dicuntur, in fœminis verò intra duodecimum, & ad illud vsque tempus sub tutoribus sunt. At hinc ad vicesimum quintũ annum minores sunt [k], pérque id temporis, curatorum auxilio reguntur. Qui si quid intra hos annos egerint [l], eius postea rescindẽdi aut in rem suam commutandi, iure facultatem habent, quin & litium instaurandarum, permutationúmque & venditionum, & si quid his est simile. Cæterùm eodem iure vtuntur & ij à quibus [m] vi metúve quippiam gestum fuerit, & quotquot denique errore aut absentia in captionem inciderint. Pupillus [n] absque tutoris autoritate aliquid iubens, non tenetur. Si quis absque tutoris [o] autoritate ac mandato negotia pupilli gesserit, pupillum sibi habet obligatum, si modò litis contestatæ [p] tempore locupletior sit ex ea re factus, cuius patitur actionem.

Si pupillo [q] absque tutoris autoritate solutum est, & is quo tempore lis contestatur inde locupletior est, doli mali exceptione excluditur, etiamsi ante [r] litem contestatam res perierit, quam vt sibi necessariam emit. Si quis pupillo soluerit [s] sine tutoris autoritate id quod debuit, competit aduersus eum exceptio, quatenus ex ea solutione locupletior factus est. Idémque & si mutuam acceperit pecuniã, vel alio quouis pacto contraxerit, vnde ditior euaserit. Idémque & in cæteris [t] erit dicendum, quibus non rectè soluitur. Si inter pupillos [v] paternæ hæreditatis diuisio consensu tutoris facta est,

a l. vlti. C. eodem.

b l. si cum. §. post annum. de eo quod metus causa. l. iij. vi bonorum raptor. insti. eod. in princ.

c Græcum exemplar habet, εἰς τὸ διπλάσιον. Sed dubium non est, quin sit legendum, εἰς τὸ τετραπλάσιον ex §. j. & ij. d. l. si cum.

d Id est quod Vlpianus d. l. si cũ. §. post annum. dicit prætorem post annum in simplum actionem polliceri. Porrò in quadruplo simplum inest. §. quatenus. d. l. si cum.

e d. l. si cum. §. Iulianus. & §. quadruplatur.

f l. hoc iure. de regul. iuris.

g Hanc pœnam statuit l. seruos. C. ad legem Iul. de vi. seruis qui hortatu dominorum in hoc crimẽ inciderint. At l. qui dolo. ff. eodem. damnato de vi publica, aqua & igni interdicit. Vis autẽ priuatæ quæ pœna sit, antè diximus ex l. j. & vlt. ad legem Iul. de vi pri. Vide & §. item l. Iulia. de vi publica. instit. de pub. iud.

h Vim vi defendere oẽs leges omniáque iura permittunt. l. scientiam. §. qui cũ aliter. ad legem Aquil. l. j. §. vim vi. de vi & vi arma. concord can. quia. lxiij. distinct. i l. indecoram. C. quando tut. vel curat. esse des. instit. quibus modis tut. fi. in princip. Porrò vtro modo sit æstimanda pubertas, ex numeróne annorum an corporis habitu, vide cap. puberes. iuncta glos. extrà de despon. impub. k l. j. de minor. xxv annis. instit. de cur. in princip. l d. l. j. de minor. & C. de restit. in integ. cum seq. tit. m l. j. & per totum tit. de restit. in integ. n l. j. § si pupillus. quod iussu. instit. de autor. tutor. per totum tit. o l. si pupilli. in princip. de negotiis gest. l. verùm. cum l. sequen. de instit. actio. p l. litis. de negot. gestis. q l. in pupillo. de solut. r idem in minore statuitur. l. verum. §. sciendum. versic. vide Marcellus. de minorib. s l. iij. §. si quis pupillo. de doli mali exceptio. l. pupillo. de solution. § penult. instit. quibus aliena. lic. t Vt furiosis & prodigis. v l. inter pupillos. de autor. & cons. tutor.

ei standum est, et si diuisioni non subscripserit. Porrò adultus[a] rectè conuenitur, si curator suum accommodet consensum. Minor mutua accepta [b] pecunia ac dissipata, non tenetur. Impuberes[c] absque tutoribus agentes, nihil posse aut scire videntur. Minor masculus vbi decimumquartum annum attigit[d], testamen-i faciendi ius habet, ratúmque est eius testamentum. Quin & post duodecimum annum [e] manumittere potest, neque ea manumissio rescinditur Quòd si minor per se ipse matrimonium contraxerit, in quo [f] circunscriptus sit, circumuētio quidē æstimatur, & vel à curatore [g] si diues sit, vel à puellæ parentibus resarcitur. Atque ita minor quidem satis accipit, connubium autem neutiquā dissoluitur. Quoties absque decreto [h] prædia minorum alienantur, ne adhibiti quidē fideiussores eo nomine tenentur, imò verò & absque restitutionis iure[i], minoribus subuenitur. Rectè minoris prædium iudicis interueniente sententia, aut propter [k] priuatum propriúmque eius, aut paternum aut etiā publicum debitum distrahitur. Rectè ea[l] rescindunt minores, quæ per dolum à suis curatoribus malè distracta sunt. Si res pupilli vendita[m] fuerit aut minoris, & post eius perfectam ætatem quinque anni continui effluxerint, quibus nec ille sit conquestus nec eius hæres, valet venditio. Quòd si cui ipse donârit, non antè plenum huiusmodi donatio robur habet, quàm post vigesimumquintum annū, prꝫterierint adhuc decem aut viginti anni, ídque siue viuente eo, siue defuncto. Minor ætatis [n] veniam consecutus, potest post vicesimum quintum annum, si quid malè vendiderit, intra annum [n] reuocare. Itidem etiam si quid malè aut emerit aut commutârit, potest & ipse rescindere, solutum pretium intra præfinitum tempus recipiens. Idémque priuilegij ad [o] hæredes eorum transmittitur. Si cui rem aliquam [p] minor largitus fuerit, potest exactis vigintiquinque annis intra quadriennium actionem instituere, qua rem propriam reuocet. Si minor ætatis [q] venia impetrata donârit, non valet donatio, nisi post annos vigintiquinque, decem alij aut viginti fluxerint. Porrò ætatis [r] veniam impetrant viri quidem à vicesimo anno ad quintum vsque & vicesimum: fœminæ verò à decimooctauo ad vicesimum quintum, cum scilicet id à principe postulant, vt ex potestate curatorum exeant, vt qui per se ipsi rebus suis superesse, solíque eas rectè gerere

a Sic & pupillus, etsi aliquod est discrimen, vt docet l.j.§. sufficit. de admi. & peric.tut.

b Facit §. quod si malè. instit. quib. alien. lic. vel non. l. quod si minor. §. restitutio. & l. patri. §. si pecuniam. de minor. & l. si verò non remunerandi. §. si adolescens luxuriosus. mandati.

c l. vlt. de iur. & fac. igno. l. pupilli. quod fal. tut. auto.

d l. iiij. C. qui testamē. fac. pos. l. qua ætate. ff. de testam. institu. quibus non est permissum fac. testam. §. præterea.

e Fortè pro δωδέκατον legendū δ' δέκατον, hoc est τεσσαρεσκαιδέκατον, vt consonet ei quod cauetur in Nouel. vt sponsal. largit. §. & hoc quoq;. vnde authē. sed hodie. C. qui manumit. non poss. vide & titu. instit. quibus ex cau. manu. non licet.

f Etsi aliàs dolus cōtractui causam dās eum vitiat. l. & eleganter. de dolo. matrimonium tamen dolo contractum nō rescinditur. glo. not. in c. pen. extrà de iis quæ vi met. ve cau.

g Hoc videtur infringi ex l. sciendum. de ritu nuptiar.

h Quod lex vetat toto titu. de præd. minor. sine dec. non alien. C. & ff. de rebus eorum qui sub tut. vel cura.

i Quæ enim contra ius fiunt, pro infectis habentur. l. non dubium. C. de legibus. c. quæ contra ius. de regulis iuris. in vj.

k l. j. in princ. versic. quòd si fortè. & l. magis puto. ff. d. tit. & l. ob æs. C. eodem. l. lex quæ tutores. C. de administ. tut.

l l. vltima. C. si aduersus vend.

m Sine decreto intellige, vt habes l. vlti. si ma. fact. alie. C.

n Eúmque vtilem iure antiquo. at Iustinianea constitutione hodie quadriennium. l. ea quæ. & l. vlti. C. de tempor. in integr. restit. Quando verò possint ætatis veniam minores impetrare, docet l. ij. C. de iis qui veniam ætatis impet.

o Id quemadmodum fiat, docet l. ea quæ. §. j. & ij. iunc. authen. si minor.

p Mobilem. De rebus enim soli intelligendum erat quod paulò antè ex l. vlt. C. si ma. fact. alie. dictum est. quod & iterum subiungitur.

q d. l. C.

r Dicta l. ij. C. de iis qui veniam ætat. impet.

posſint, & integræ exiſtimationis ac probitatis, de ſe teſtimonium afferant. Tum itaque veniam ætatis conſecuti, omnia legitimæ abſolutæque ætatis hominum munera obeunt, niſi quòd abſque decreto necdum res ſuas alienare [a] poſſunt. Solus princeps [b] & is quidem perrarò, rerum ſuarum adminiſtrationem minoribus indulget, non item conſules aut præſides. In delictis [c] minores non iuuantur, vt ſi dolum in re, aut furtum fecerint, aut damnum iniuria dederint. In his tamen [d] ſi non ex mala mente & inſtituto admittatur delictum, minoribus ſubuenitur. Rem à patre, minori emancipato donatam ne eo quidem conſentiente, poteſt [e] pater alteri donare. Tempus [f] minoribus non currit, niſi vigeſimumquintum annum expleuerint. De minore xiiij annis [g] quæſtionem haberi non oportet. Pupillus [h] iuriſiurandi gratiam facere non poteſt.

Pupillo [i] iuſiurandum non defertur. Pupillo cōceditur [k] rem ſuam à publico exactore diuenditam reuocare, ſi intra diem triceſimum vectigal intulerit. Siue pupilli, ſiue minoris [l] aut ſub curatorum poteſtate adhuc conſtituti, aut iam ætatis veniam conſecuti res alienata eſt, & is longo tempore conticuit, roboratur haud dubiè id quod actum eſt. Cæterùm conſtitutione præfinitum eſt huiuſmodi tempus, quo ſi minor poſt abſolutam legitimámque ætatem conticuerit, firmatur quod venditum aut pignori oppoſitum fuerit. Iubet enim, vt ſi intra quinquennium nec ipſe queratur, nec eius hæres, valeat ea venditio aut obligatio. At cum donationes à minoribus nec cum decreto celebrari poſsint, ſtatuit ſi minor iam impetrata ætatis venia quid cuiquam donârit, nullam eam eſſe donationem, niſi poſt vigeſimumquintum annum decennium præterierit aut vicennium. Quòd ſi intermedio tempore minor deceſſerit, volumus quod ei ſuperfuit temporis præfiniti interuallum, eius hæredi vel tacenti currere. Qui ſub tutela [m] vel cura ſunt minores, in quibus circumuenti ſunt etiamſi præſentibus tutoribus ſuis aut curatoribus, reſtituuntur. Si minor [n] agri venditi pretium acceperit, & vt circumuentus in integrum reſtitutione poſtulata agrum recuperârit, pretium reddere non cogitur, ni ex eo commodi quippiam perceperit, aut qui reſtitutionem concedit de pretio aliquid ſtatuerit. Nam ſi ex venditione locupletior factus ſit, eatenus emptori reſtituet. Itidémque ſi quis adoleſcenti pecuniam mutuam dederit, cogitur oſtendere inde ditiorem eum euaſiſſe. Si [o] abſque curatoris ſui conſenſu minor quicquam alienauerit, nihil videtur facere. Itaque in pupillo [p] quidem abſque tutoris autoritate, alienante oportet, vt is excludatur agentíque audientia negetur, triginta annos à pubertate prætercurriſſe. In minore verò abſque curatoris ſui conſenſu alienante, totidem eo tacente annos effluxiſſe ab alienationis tempore, non autem poſt perfectam legitimámque ætatem. Idem eſto & de eorum tranſactionibus iudicium.

a Nec pignoris aut hypothecæ nomine obligare. l. ij.
b l. ij. & iij. in princ. de minor.
c In his nemo ætate excuſatur. l. ij. C. ſi adu. del. l. auxiliū. §. in delictis. & l ſi ex cauſa. §. nūc videndum. de minor.
d l. j. C. d. tit.
e Sine decreto. l. vlti. C. ſi aduer. don.
f l. ea quæ. & l. vlti. C. de temp. in integ. reſtitut.
g Niſi in maieſtatis crimine. l. de minore. de quæſtionib.
h l. iuriſiurandi. de iureiurando.
i l. iuſiurandum & ad pecunias. §. pupillo.
k l. imperatores. in fi. de publ. At l. ſi ex cauſa. §. pe. in integrum reſtituitur.
l l. vlt. C. ſi maior fa. alie. ſup. citata.
m l. ij. C. ſi tut. vel cur. interuen.
n l. patri. §. j. de min. & C. ſi aduer. cred.
o l ſi curatorem. C de reſt. in int. c. conſtitutus. iuncta gl pe. extra eodem.
p l. ſicut. C. de præſcr. xxx vel xl annor.

DE REI

DE REI PVPILLARIS ALIENATIONE.

SI pater aut mater [a] filium habens, aliquid ex ei delatis bonis alienârit, eo defuncto si quidem est impubes filius, triginta annos post pubertatem habet: sin verò pubes elapsis vigintiquinque annis, decennium habet aut vicennium ad instruendam parandámque actionem. Agit porrò eorum nomine quorum sua intererat, vt si fortè paterna filij bona mater, aut materna pater vendiderit. Minor vigintiquinque annis in rerum alienarum curam [b], vt procurator sit, non vocatur. Minor vigintiquinque annis alterius negotia gerens rationes reddere [c] non cogitur, nec post annum vigesimumquintum. Pupillus [d] pubertati proximus, & furandi & iniuriæ faciendæ capax est. Neque velle [e], neque nolle pupillus nisi apposita tutoris autoritate, creditur. Si quas [f] res minor vigintiquinque annis congruenti moderatione, sponsaliorum tempore ipso curatore præsente, in sponsam donatione ante nuptias contulerit, nequaquam id reuocatur. Etiam aduersus [g] fiscum restituuntur minores. Etiam aduersus rem iudicatam [h], minoribus datur restitutio in integrum. Cæterùm iure [i] non licet iudicium in integrum restitutionis iteratò agitari, nisi nouæ prætendantur defensiones. Restituuntur minores vigintiquinque annis aduersus [k] pignorum suorum à proprijs creditoribus factas venditiones, nisi fortè eorum pater ipse creditoribus pignora obligauerit, non item ipsi. Et in dotis [l] æstimatione, circunscripto minori iure succurritur. Non passim [m] minoribus subuenitur, sed vbi vel sua facilitate decepti, vel ab aliis circumuenti perdiderint aliquid, aut non acquisierint, aut sese obligârint. Quæ alicui competebat in integrum [n] restitutio, transmittitur & ad eius hæredes. Si minor [o] errore lapsus sese maiorem dixerit, nihilò minùs restituitur. Si proprio aspectu [p] minor se maiorem probans, quenquam deceperit, non restituitur. Itidémque si corporaliter & reuera præstito iureiurando se maiorem esse firmârit, restitutionis priuatur auxilio. Quin etsi in instrumento per sacramenti religionē sese maiorē esse asseuerauerit, ne sic quidē restituitur, nisi apertè & palàm instrumentis à se prolatis nō ex testiū depositione se fuisse minorē ostenderit. Non solùm [q] vt ne ex bonis aliquid diminuatur, in integrū minor restituitur, sed & ob hoc ne litibus sumptibúsq; vexetur. Si quid [r] minor minori dederit, & is acceptū perdiderit, melior est causa eius qui accepit. Planè si minor annis filiofamiliâs maiori mutuū dederit, præter [s] senatusconsulti præscriptum restituitur.

Non omnia [t] quæ à minoribus gerūtur, rescindi par est, sed ita demū si aut manifesta sit circūscriptio, aut magna eorum negligentia.

a §. sed quod sancitū est. in Nou. de nup. vnde auth. Nisi tricennale. C. de bonis mat. sumpta est: etsi illic de nuptialibus tantùm lucris sermo sit. Adde l. j. C. eodem. Concord. ca. constitutus iuncta gl. ad verb. successores. extr. de restit. in integrum.

b l. exigēdi. C. de procu. Minorum enim interest litibus & sumptibus non vexari. l. minoribus. de minor.

c Cùm fragile sit & multis captionibus insidiísque expositum huiusmodi ætatum consilium. l. j. de minor.

d l. pupillum. de reg. iuris. l. impuberem. de furt.

e l. pupillus. eod.

f l. j. C. si aduer. don.

g tot. tit. C. si adu. fisc.

h C. si adu. rem iudic.

i l. j. & vlt. C. si sæp. in int. rest. post. concord. c. auditis. iuncta gl. ad ver. restituimus. extra de in integ. rest.

k l. j. & ij. C. si aduer. vend. pign.

l l. si ex causa. §. in dotis. de minor. l. vnic. C. si adu. dot. Confer l. iure succursum. sub fi. quæ idē priuilegij maiori quoque concedere videtur. ff. de iure dot.

m l. verùm. §. sciendū. & l. non omnia. de minor. fac. l. vlti. C. de rest. in integ.

n l. non solùm. de restit. in inte. & l. minor. autē magistratus. in fi. de mino.

o l. j. & toto tit. C. si min. se maio. dix.

p l. pe. C. eo.

q l. minoribus. de min.

r l. verū. sub fi. eo.

s Macedoniani, de quo peculiaris tit. ad sen. Mace.

t d. l. nō omnia. de min. & l. ꝙ si minor. §. j. eo.

Vetus[a] est constitutionis huius regula, quæ monet non videri[b] circunscriptum esse minorem, vbi iure communi sit vsus.

Minoribus[c] ętas in damnis confert, non item in rebus fato quodam actis aduersari consueuit.

SCHOL.

Hoc est fortuitò contingentibus, cuiusmodi sunt mors, incendia, aquarum inundationes. Si enim rectè alioqui res omnes pupilli aut minoris tutor curatórve administrârit, & in ipsis fortuitò[d] quid acciderit, non ideo tenetur.

In integrum restitutis minoribus, tenentur[e] nihilo minùs qui eorum nomine fideiusserunt. Aduersus propriam venditione etiam delato[f] iureiurando, restituuntur minores. Non restituuntur minores[g], si diligentes patresfamiliàs fuerint, & maximè quod ad munia publica spectat, aut si in patrem vel patronum querelam moueant. Et per mandatorem[h] seu procuratorem potest adultus restitutionem in integrum postulare. Qui per vim[i] metúsve causa quid egit, restituitur, & quod actum est, irritum habetur. Siue ætate[k], siue metu, siue calliditate, siue absentia inciderit quis in captionem, ei subuenitur, siue etiam per status mutationem, nimirum quòd relegatus aut deportatus fuerit, aut in adoptionem datus, aut quòd cùm sui iuris esset, in alterius potestatem venerit. Soluta enim adoptione restituitur. Subuenitur & ei qui per iustum errorē, aut[l] facti ignorantiam circunscriptus fuerit. Quòd si quis ob accusationem aut iam in se institutam, aut quam alius instituere minatus fuerit, quippiam accusatori vendiderit, aut ex stipulatu promiserit, non potest hæc vt per metum[m] acta rescindere. Imò verò impudens quippiam facere videtur, dum ea conatur rescindere. Generaliter omnes[n] qui ex iusta & necessaria causa absunt restituuntur, non in iis modò in quibus detrimentum accipiunt, sed & in quibus non lucrantur. Filius qui in potestate patris est, simul cum patre profectitia vendens, posteaquàm sui iuris est factus non[o] restituitur. Sunt autem profectitia, quæ ex re patris fortè filio obueniunt. In contractibus[p] mala fide initis, etiam minoribus subuenitur. Qui aduersus[q] rem aliquam à se actam in integrum restituuntur, neque inde damnum aliquod, neque commodum referre debent. Restitutoria[r] actio, quæque in eum qui institorem rebus suis præposuerit competit, perpetuæ sunt, & hæredibus scilicet & aduersus hæredes competentes. Restitutionis[s] verbo & fructus continentur, etsi hoc expresśim adiectum non fuerit. Restituere[t] videtur non tantùm qui corpus quod petitur, sed & omnem corporis causam conditionémq; pręstat. Omnis enim restitutio nō corporis solùm est, sed & iuris. Is restituere[v] intelligitur, qui rem ita pręstat actori, vt is eā habiturus erat, si iudicij accepti tēpore protinus reddita fuisset.

a *Scholium esse videtur.*
b *d.l.vlt.C.de in int. restitut.*
c *l.nō eo minus.C.de procurat.*
d *l.si res. de admi. & peric.tu.l.tutoribus. C.eod. Adde l.quæ fortuitis.C.de pignoratitia actio.*
e *l.j.& ij.C. de fideiuss. minor. & l.in causæ.j.in princ.& §.j.de minor.*
f *Si in deferendo es captum se dicat. l. nam posteà.§.si minor.de iureiur.*
g *l.j.& ij.C.qui aduers.quos. Facit l. nō debet.de dol.ma.*
h *l.vnic.C.etiam per procura. l.j.C.si tut. vel cur.interue.*
i *Toto titu.ff.& C.de eo quod vi metúsve causa.*
k *l.j.& ij.de restitu. in integ.*
l *Cuius interpretatio plerunque etiā prudentissimos fallit. l. ij. de iuris & facti ignorantia.*
m *Neque enim est iustus ille metus, vt docent l. metū. cum ij. sequē. de eo quod met.& l.accusationis.C.eo.Confer l.nō est verisimile.§.si iusto. qui aduersari videtur.ff eo.*
n *l.vlt.de rest.in inte. l.etsi.in fi. cum l.sequenti.de minor.*
o *Vide l.cum oportet. C.de bo. quæ lib.& §.sancitū.instit. per quas pers. nob.acq.*
p *l.in cōtractibus. C. quib.ex cau.maior. in inte.*
q *l.vni.C. de reput.quæ fi.l.intra vtile.in fi.de mino.Concord.c.j.sub fi.iuncta gl.fi.extrà de rest.*
r *d.l.minor.§.vlt.de min.& l.non solum.de rest.in inte.Quanquam ex hoc edicto nulla propria actio proficiscatur.l.ꝙ si minor.in fi.de mino.*
s *l.videamus.ij.§.in Fauiana.de vsu.l.ꝙ si minor.§.restitutio.de mino.Conc.c.accedens.in fi.ext.vt li.nō cont.& c.nullus potest.ij.q.ij.*
t *l.vlt.§.vlt.de ver.& re.sig.*
v *l.restituere.j.& ij.eo.ti.*

DE MVLIERIBVS.

TITVLVS XIII.



OEMINAE [a] ab omnibus & ciuilibus & publicis officiis remouentur. Nec iudicant, nec magistratum gerunt, nec postulant, nec pro aliis interueniunt, nec denique procuratrices existunt.

Mulieres [b] vt ingenij lubrici & captionibus exposi ti lex à ciuilibus ac publicis officiis summoui . Neque ob id modò, sed & quod minimè æquum sit & consentaneum publica munera obire mulieres, iudiciis assidere, viris commisceri, quæque virorum sunt propria gerere. Ac propterea eas vetuit aut ciuile aut publicum tractare officium. Est autem [c] ciuile officium iudicare. publicum verò postulare, & similia quæ hac noua constitutione enumerantur. Deinceps ergo non possunt iudicare [d] mulieres iudicum more, nec postulare [e] in morem patronorum, nec magistratum [f] vllum gerere, neque etiam pro [g] altero fideiubere debiti aut cuiuscunque alterius rei nomine. Neque verò testimonium dicent, aut tutelam gerent, neque iudicio conuentum & absentem aliquem [h] defendent ac ne cautione quidem interposita aduersus eos actionem instituent ac prosequentur, aut eorum gerent [i] negotia, vt curatores aut tutores, & quæcunque præsens ille in rebus suis ageret, eorum nihil omnino hæ facient. Hæc enim omnia virilia sunt munera, & ab illis geri solita. Tu verò obserua esse & quando mulieribus testimonij dicendi facultas detur. Id verò quando, accipe. Si dum in balneis lauant [k] mulieres, qua fortè mulier vnam viderit ab altera iniuria affici, tum testimonium feret, quòd non liceat viro per id tempus illic adesse, & quæ fiunt, spectare. Gerunt & interdum tutelam [l]. Si enim ex viro iam amisso liberos habuerit, eorum suscipit tutelam, nisi ad secundum matrimonium transierit. Quin & alia quædam mulieri licet agere contra positam regulam, quæ sigillatim ex aliis atque aliis capitibus cognoscas, licebit. Debilis [m] enim est & inualida omnis quæ in iure generaliter præscribitur regula, quòd facilè possit euerti.

Mulier [n] crimen intendere, nisi in propria causa non potest.

Capitali [o] iudicio quenquam reum facere non est mulieri permissum, nisi vbi parentum, liberorum, patronorum, aut eorum filiorum aut nepoum cæterorúmque mortem exequitur, in quos inuita testimonium non dicit. Intendit & crimen ex lege Cornelia de falsis, & de testamentis paternorum maternorúmve libertorum.

Crimen [p] adulterij instituere mulier non potest, ne si se quidem peccasse fateatur, hoc est ne si ipsa quidem quæ actionem intendit in se admissum adulterium, séque eam esse dixerit cum qua illud patratum fuerit. Potest mulier etiam aduersus proprium [q] filium, crimen publicum intendere. Fœminæ [r] liberos in potestate non habent. Mulier in testamēto [s] esse testis non potest: in aliis potest, vbi scilicet viri non adhibentur. Nullam [t] mulierem ob pecuniariam causam fiscalem aut priuatam aut quodcunque crimen vel in carcerem detrudi, vel virorum custodiæ tradi permittimus.

Mulier in quam potest turpis [v] suspicio cadere, ne ex militari quidem testamento quicquam consequi valet. Non obligatur [x]

a l. fœminæ. de reg. iu.
b Scholium est.
c Paulus l. cum prætor. versi. mortuus. Idē tamē l. quippe. de iu. publicū mun⁹ esse dicit iudicare.
d d. l. cum prætor. versic. morbus.
e l. j. §. sexū. de postu.
f l. & qui originem. §. corporalia. de muner. & honor.
g l. j. ad sena. Velleia.
h l. neque fœmina. de procurat.
i Contra l. iij. §. j. de nego. g. st.
k Etiam mulieres in iudicio testimonij dicendi ius habere suprà docuimus, ex l. ex eo quod prohibet. de testi. & l. qui testamento. §. mulier. de testam.
l in No. de hæ. ab int. §. ex his. vnde sumpta est authē. matri & auiæ. quād. mu. tut. off. fung. C.
m l. omnis definitio. de reg. iur.
n l. de crimine. C. de iis qui acc. non poss. l. qui accusare. cū l. hi tamē. ff. de accu.
o l. j. & ij. ff. eodem.
p l. j. C. ad leg. Iuliam de adulter.
q Vitæ suæ insidias parātem. l. propter insidias. C. de iis qui accus. non poss.
r l. nulla. de su. & legit. hæred. instit. de adop. §. fœminæ.
s De hac re supra est dictum.
t No. vt nulli iud. li. §. necessarium. vnde est sumpta authent. C. cuius initium, hodie nouo iure. de custod. reor.
v Vt quia stupro cognita in contubernio militis fuit. l. mulierem. de iis quib. vt indign. l. miles ita. § mulier. de milit. testam.
x l. ij. ad senatusconsul. Velleia. l. j. & toto titul. C. ne vxor pro marito.

mulier ex viri contractibus, etiamsi pro eo fideiusserit, vt cui ex Velleiano senatusconsulto subueniatur. Cum primaria debitrix[a] est mulier, neque alterius nomine in se obligationem recepit, Velleiani exceptione non vtetur. Itidem & si pro suo creditore obligetur, exceptionem non habet. Tum demum enim senatusconsulto locus est, vbi nihil ipsa debens, alienæ sese interposuit obligationi. Hoc est neque aduersus proprium creditorem exceptionem habet, vtpote primariò ei debens, sed neque aduersus illum cui delegata est, vtpote à proprio delegata creditore. Mulier si acceptum ab aliquo argentum dederit, vt è custodia virum liberet, obligatur, neque ei subuenitur[b] quamuis intercessisse se causetur, aut in potestate esse. Mulier[c] etiamsi sæpius vel post quantumcunque tempus pro viro suo promiserit, senatusconsulto, vtpote cum intercesserit, subleuatur.

Si qua mulier[d] in crediti instrumento viro consenserit, aut se subscripserit, propriásque facultates aut se quoque ipsam obligârit, nihil eiusmodi ratum est ac validum, siue semel siue sæpius eadem de re actum fuerit, ac siue priuatum siue publicum sit debitum, sed ita planè erit, vt si nihil esset scriptum, nisi apertissimè ostensum fuerit creditas esse in proprios mulieris vsus pecunias. Si propter viri obligationem mulier in alieni contractus[e] vinculum sese coniecerit, propriísque facultatibus hunc obligatione liberare studuerit, si quidem pollicita, non soluerit, ne soluere quidem cogetur: quòd si soluerit, iam solutum condicere non potest, præsertim si absolutæ sit legitimæque ætatis. Si vir[f] quidem vxoris res præter eius voluntatem ac consensum pignori opposuerit, id ratum non est. Quòd si ea consentiente pignori obligârit, rursum obstat senatusconsultum, si id nôrat qui cum viro contraxit. Si verò mulier cum virum suum videret res proprias pignori opponentem, data opera reticuit, vt cum viro contrahenti fraudem factura, tum minimè iuuatur. Decipiētibus[g] enim nō calliditate vtentibus mulieribus subuenit Velleianum senatusconsultum. Mulieri[h] ius suum ignoranti succurritur, nec restituitur si nihil læsa fuerit, sed veniam duntaxat, quòd illud non cognouerit, impetrat. Vbi[i] simul & naturæ & iuri patratum facinus aduersatur, eandem cum viro pœnam subit mulier. Quòd si iure tantum prohibitum sit, venia mulieri datur. Est porrò quando mares incestu admisso humaniùs tractantur, quàm adulteri. Mulier dotem pollicita non iuuatur, sed eam præstare[k] cogitur. Si constante matrimonio mulier quippiam[l] vendiderit, ídque corporali apposito iureiurādo, vtcūque id actum fuerit, irritum est, reuocatúrque id quod est venditum. Quòd si fortè rem quam mulier vendidit emptor multis partibus meliorem & ornatiorem effecerit, damnatus vt restituat optionem habet aut pretij recipiendi ob ornamenta in rem collata, aut ipsorum ornamentorum, ipsum interea primigenium ac velut sortem nihil imminuens.

Quæcunque sibi mulier retinuerit[m], neque in dotem aut ea quę ad dotem

a l. aliquando. l. debitrix. & l. sed si cū. ad Velleia. & l. ij. C. eodem.

b Deceptis enim non decipientibus mulieribus opitulatur hoc senatusconsult. & fœminarū infirmitas non calliditas auxiliū sumit. l. ij. in fi. eod. & l. si sine voluntate. in fi. C eodem.

c Nou. vt nulli iudicum. §. & illud. Vnde sumpta est auth. si qua mulier. C. ad Velleianum.

d dicto §. & illud.

e l. iiij. C. eodem.

f l. v. C. eodem.

g Idem l. ij. ff. eodem. sub fin.

h l. regula. de iuris & fact. ignor.

i l. si adulterium. in prin. & §. j. ad leg. Iul. de adulter.

k Etsi falsò crediderat se pro dote obligatam. l. cum is. §. si in ea opinione. de cō dict. indeb. l. generaliter. & l. si dotare. C. ad Velleian. l. promittendo. ff. de iure dot.

l Ex rebus dotalibus intellige. siquidem dotis causa perpetua est, & cū voto eius qui dat ita contrahitur, vt semper apud maritum sit. l. j. & ij. de iur. dot. fac. l. vnic. §. & cū lex. C. de rei vxor. actione.

m l. si ego. §. vlt. de iure dot. & l. hac lege. C. de pactis conuent. tam super do.

ad dotem redeunt perſcripſerit, etiam conſtante matrimonio retenta, ea ſi à viro, ſciente & conſentiente vxore alienentur ſcriptura interpoſita, non poteſt diſtracto matrimonio repetere mulier, aut ius poteſtatis obtendere. Mulier [a] quæ ab accuſatione deſiſtit, hoc eſt iam inſtitutam accuſationem deſerit, aut in cauſa propoſita ſuccumbit, nec quod intenderat probat, lege in calumniatores lata non tenetur, neque calumniantium pœnis ſubiacet. At viri & ab accuſatione deſiſtentes, & in probatione deficientes, vt calumniatores damnantur. Mulier [b] omnis in iis quæ ſibi extra dotem data ſunt, & cæteris, modò dotis non ſint, poteſt & contrahere & concedere & donare, eáque omnia rata ſunt. Præferatur [c] mulier in dote anterioribus viri creditoribus. Si quo tempore [d] connubialis initur contractus, interueniens debitor mulieri denuntiârit virum ære alieno aſtrictum, aut eius ędes ſibi pignoris nomine obligatas, quóve alio modo ſibi obligatũ eſſe, itáque cum eo contracturos huius rei certiores fecerit, non ſunt hi poſtea ius dotis aduerſus eum, qui iam denuntiârit & præmonuerit, habituri. Cum enim iam id illis notum eſſet, ſanè poterant non contrahere.

Non [e] præfertur prioribus creditoribus mulier in donatione ante nuptias. Mulier in dote [f], fiſcali debito præfertur, ſi modò id [g] dotis cauſam non præuenerit. Etiam [h] pro filio intercedens ac fideiubens mulier, ſenatuſconſulti exceptione tuta eſt. At ſi dotem [i] ſit pollicita, minimè iuuatur. Si in fraudem creditorum [k] mulier viro debitori, acceptilatione quod is debebat remiſerit dotis nomine, totum debitum cogitur vir perſoluere, quin & dos ipſa extinguitur. Neque enim dos in fraudem creditorum conſtituenda eſt.

a *l.j.§.accuſationem ad ſena.Turp.*

b *d.l.ſi ego.§.vlti.*

c *l.in rebus. C.de iure dotiũ. l. aſsiduis. qui potior.in pign. & l. vnica. §. & vt pleniùs. de rei vxor. actio.*

d *Non caret fraude qui vendente debitore teſtatò conuentus à creditoribus perſeuerat. l. ait prætor. §.ſi quis particeps. quæ in fraud.credito & l. ſi fundum. C. de rei vendic.facit c. vlti. xj.q.j.*

e *d.l.aſsiduis.ſub fin. C.qui potior.*

f *l.j.C de priuil.fiſ.*

g *l.ij.C.eod.*

h *l.ſi cum ipſe. C. ad Velleian.*

i *l.ſi dotare.C.eod.*

k *l.ij.C. de reuocand. iis quæ in fraudem credit.& l.ait prætor.§.ſi cum mulier. ac l.vlt. §. j.ff.eod.*

FACTI SPECIES.

Habebat mulier quædam varios creditores, vir quoque Petrus quadringentos ei nummos aureos debebat. Cum ergò proprios creditores fraudare vellet, ſuáſque facultates imminuere, & veteribus nouum adiungere creditorem, dolum & commentum Petro debitori & coniugi retexit, fecítque ei acceptilationem ſeu liberationem quadringentorum, qui ſibi ab eo debebantur aureorum, hac verborum conceptione: Quadringentos illos quos mihi ex mutuo debebas aureos, tibi Petre accepto fero, atque hos penes te [l] volo eſſe dotis cauſa. Hoc autem egit ideo, vt vir neque amplius debitor ſit ſed creditor, & ſimul dotem debeat: quadringenti ſiquidem quos accepit aurei, vt dos debentur. Agentibus itaque cæteris creditoribus, vincit maritus, & eos inanes ſummouet: At enim, inquiens, eram ego quoque creditor, vt cui dos deberetur. Cumque [m] vigilârim vt proprium debitũ reciperem, & potentiori iure quàm vos fultus ſim, nihil mirum ſi potior ſit mihi cauſa. Dicit ergò Iureconſultus, quoniam vir fraudem hanc nôrat, vxoríque de dolo conſcius fuit, nihil eum ex dolo ſuo lucri relaturum, ſed acceptilatione pro nulla habita, dotéque propter fraudem ac dolum non conſtituta (neque enim in fraudem creditorum dos conſtituitur) futurum rurſus debitorem, vniuerſoſque quadringentos aureos perſoluturum: cum illud prætendere nequeat, ſe virum quidem eſſe & dotem debere, itaque [n] in id quod facere poſsit damnandum, nõ autem exigendam à ſe integram ſummam.

l *Quod fieri licet. l.licet.in princip.& l. promittendo. §. acceptilatione. de iure dotium.*

m *Quia ius ciuile vigilãtibus ſcriptum eſt. l. pupillus.in fi. quæ in fraud.credi. l.non enim negligentibus. ex quibus cau.maio. Concor.c. nuntiatũ. lxxxiiij. diſtinct.*

n *l.maritum.ſol.mat.*

Mulieribus [o] vt defendantur, ſuccurrimus, non item calumniantibus.

o *d. l.ij.ſub fin. C.ad Velle. l.in eo quod. in fi.de reg.iur.*

DE INVENTARIO SEV RERVM RECENSARVM INDICE AC COMMENTARIO.

MVLIER quæ repertoriũ non fecit, excidit ab iis quæ non apparuerint rebus dotalibus, hoc est eas repetere non potest. Nec verò vlla est lex [a] quæ de hac re quicquam statuat. Sed ita vsus obtinuit. Si itaque mulier aut tutrix à viro relicta, aut etiam huius rebus gerendis præposita, has retinens in libellum non retulerit, sed res quidem viri abligurierit ac disipârit, suas verò seu dotis res diligẽter asseruârit, ac postea cum res ab ea patrias postulet filius, nihil quod dicat habuerit, non solùm nullam ei actionem competere dicebat Magister de non extantibus dotalibus rebus, quin & filij iusiurandum præferri. Filium siquidem dicebat iurare oportere, quid decedens pater posidebat, eáque omnia matrem vel ex dote propria damno suo supplere ac præstare.

NOVELLA.

Et sanè centesima decima Leonis Cæsaris Nouella de muliere dicit, cuius vir defunctus est, vt intra trimestre [b] tempus inuentarium concinnet, & rerum dotalium, & donatorum ante nuptias, & reliquorum quæ in viri facultatibus fuerint, símúlque dum conficiendo inuentario animum adiungit inquirat, posítne dicere aliquid esse innouatum, aut à marito in res ad se spectantes tentatum. Cæterùm absque inuentario aut apertissima probatione nihil inquirere, aut etiamsi perquirat auferre valebit.

Si quidem [c] intra vrbem est mulier, debet intra tres mẽses inuentarium conficere, & viri creditores exceptione summouere. Si verò extra vrbis cõtinentia, intra annum. Quòd si intra hæc legibus præfinita tempora inuentarium non concinnârit, præferuntur creditores.

Si mulier cui post viri decessum nondum de dote factum est satis, creditoribus soluerit, quòd sese his præferri ignoraret, postmodum sua repetenti & condicenti venia datur. Quòd si lucrum fuerit, quod post solutionem velut indebitum condicit, verbi gratia munus aliquod aut donatio propter nuptias, quæ antiquitate crediti vincitur, veniam non meretur. Si enim de rebus propriis mulier experiatur, cum præstituto tempore inuentarium non fecerit, iuris errore subleuatur. Ius siquidem ignoranti, inquit lex [d], mulieri subuenitur, in lucro verò minimé. Illud itaque relinquitur super dote quidem à virò [e] consumpta, post præstitum de accurata [f] perquisitione iusiurandum, omnino eam ius suum consecuturam. At super donatione ante nuptias non item. Id enim lucrum [g] est.

DE SERVIS. TIT. XIIII.



SERVVS [h] Neq; ex vllo contractu tenetur, neque obligatur. Seruus [i] nulla prorsus actione conueniri potest. Qui [k] in seruitute est, vsu rei dominium non acquirit, quia posidere non videtur. Per seruos melior [l] fit dominorum conditio, non item deterior. In delictis

a *Libelli quidem qui marito ab vxore datur rerum quas in vsu habet in domo mariti neque in dotem dat, meminit l. si ego. §. planè. de iur. dot. De confectione autem inuentarij agit l. tutor, qui repertoriũ. de admi. tut. l. tutores vel curatores. C. eod. & l. vlti. C. de iur. delib. & No. de hæred. & Falcid. §. sancimus igitur.*

b *De hoc tẽpore vide nonnulla d. l. vlt. §. sin autem dubius. C. de iur. deliber.*

c *Videtur esse σχόλιον, aut ἐξήγησις superioris constitutionis. vide d. l. vlti. d. §. & sequ. item §. donec. & §. sin verò postquam. C. eod.*

d *l. error facti. & seq. de iur. & fact. ign.*

e *d. l. asiduis. C. qui pot. in pig.*

f *In contextu Græco pro ἀποκριβῆς lego ἀπακριβῆς.*

g *Non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suísque rebus fraudẽtur, curamus. dicta l. asiduis. in fine.*

h *l. in personã. de reg. iuris. Huc annecte l. serui. de act. & obl. quæ quãdo obligetur quando non obligetur seruus, apertè distinguit.*

i *l. quoties. in fin. si quis cautio.*

k *l. qui in seruitute. de reg. iur.*

l *l. melior. de reg. iur.*

ctis[a] non atrocibus aut execrandis, ſeruis venia datur, ſi dominis aut iis qui vice ſunt dominorum veluti tutoribus & curatoribus obtemperârint. Seruitus ferè[b] morti comparatur. Seruus[c] iudicio non interſit, neque lata aduerſus eum ſententia valeat.

Seruus[d] ſiue ipſe ab alio ſtipulatus fuerit, ſiue promiſerit iudicio ſiſti, tanquam ipſe litigaturus, nec id ratum eſt, neque tenentur eius fideiuſſores. Seruus quippe nec conuenit nec cõuenitur. Non poteſt aduerſus dominum ſeruus iudicio conſiſtere. Neque enim id lege ſtatuitur. Nomine tamen libertatis[e] ad eum accuſandum admittitur, ſi ſuppreſſas ab eo dicat teſtamenti tabulas, quibus ſibi libertas relicta fuerit. Seruus in dominum non torquetur, niſi ſolùm vbi quæſtio incidit[f] adulterij, & in crimine[g] maieſtatis.

Seruus, tutor aut curator dari[h] non poteſt. Iure ciuili ſeruus[i] nec debet, nec quicquam ei debetur. Quæ etenim verbo abutentes ei deberi dicimus, ea dominus repetit. Quæ verò ſeruus ipſe debet, eo nomine dominus actione de peculio, vel de in rem verſo conuenitur. Ex ſerui[k] fideiuſsione non tenetur nec conuenitur dominus, niſi in rem dominicam aut peculiarem fideiuſſerit. Seruum in cleri[l] ordinem cooptatum licet domino intra annum duntaxat, ſtatu eius & conditione probata, recipere. Poſteaquam[m] in monaſterio ſeruus toto triennio, vt in monachum cooptetur, permanſerit, ſacrúmque induerit amictum, non iam poterit eius dominus in ſeruitutem eum retrahere, niſi ſemel monaſtica vita electa monaſterio excedere, & ad aliud vitæ genus tranſire conatus fuerit.

Seruum inſcio domino[n] in ſacros cooptatum ordines, etſi epiſcopus ſit, in priſtinam ſeruilem nimirum conditionem reduci, tanto ſplẽdore & dignitate ſpoliatum ſtatuimus. Itidem & inter monachos relatum clam domino ſeruum, ſacro veſtitu exui, rurſúſque in ſeruitutem detrudi. Qui[o] ſeruum redimit captiuum, etſi eius ſtatum, vtpote alienum eſſe nôrat, fit eius dominus. Cæterùm priſtinus eius dominus oblato pretio quod pro eo datum fuerat, ipſum recipit, niſi tempus effluxerit intra quod vſu dominium quæritur. Quòd ſi emptor eum manumiſerit, aut alius qui bona fide ab eo cõparârit, non iam poteſt vetus dominus recipere.

DE HAEREDITATE.

SI[p] ſeruus qui cognatum haberet liberum prædiuitem inteſtatò defunctum, ei ſuccedere conatus ſit, non auditur ſiue frater ſit, ſiue pater, ſiue mater. Sed nec ſerui dominus vllam habet in liberi res actionem. Ingenua[q] hoc eſt libera mulier non propterea ſeruitute aſtringitur, quòd cum ſeruo contubernium habuerit, ſiue

a *l. ſeruus. j. de actio. & oblig. l. ad ea. de regul. iur. Quæ ſatis indicant in Græco contextu ante* περιθαρχοῦντες *expungẽdam negationem. Quòd ſi atrocius ſit crimen, damnatur in metallum. l. ſeruos C. ad legem Iuliam de vi.*

b *l. ſeruitutem. de reg. iuris. & l. quod attinet. eod.*

c *l. ſeruus. cum l. ſeq. C. de iud.*

d *l. ſi ſeruus. & d. l. quoties. ſi quis caut.*

e *l. nullo modo. ad legem Corn. de falſ. l. vix certis. de iudic. vbi caſus octo connumerãtur, quibus poßit cum domino ſeruus conſiſtere. Addit verò & tres alios Accurſ. & tres inſuper, quibus in externum.*

f *l. extraneo. de quæſtionibus.*

g *l. meminiſſe. ad leg. Iul. maieſt. C.*

h *A præſide. l. in ſeruili. C. qui da. tutor. vel cur. At teſtamento poteſt, ſed cũ libertate. inſtit. qui teſt. tut. da. §. j.*

i *Ad verbum ex l. nec ſeruus. de pecul.*

k *l. ſeruus inſcio. cum l. ſeq. de fideiuſ.*

l *Super hac re vide totum titu. extrà de ſer. non ordi. & diſtinctionẽ liiij.*

m *Sumptum ex Nou. de monachis.*

n *c. frequẽs. d. diſt. liiij. item dicto tit. extrà de ſeruis non ordin.*

o *Rem hanc amplißimè tractat Triphonius in l. in bello. §. ſi quis ſeruum. de capti. & poſtli. reuer. Meminit & l. ab hoſtibus. C. eod.*

p *l. j. §. pertinet. vnde cogna. l. ſeruus. & l. ancillæ dominus. C. communia de ſucceß. Cæterùm hæc reuocat Iuſtinianus tertio inſtit. lib. de ſerui. cog. quem vide.*

q *l. vnica. C. de ſenat. Claud. tol. l. libera. de lib. cau. Idem in libero homine qui alienæ ancillæ contubernium ſequatur, ſtatuit l. liber homo. C. eod.*

suapte sponte, siue inuita, siue viri conditionem ac statum ignorans, siue perspectum habens, vt cauet constitutio.

DE OBSCVRO ET AMBIGVO. TIT. XV.



SI Dubia [a] oratio in stipulationem inciderit, illud accipimus quod rem ipsam de qua est quæstio, tutissimo loco collocat. Cautionem [b] magna ex parte pro promissore interpretamur.

SCHOL.

Verbi gratia: Actionem aduersus Petrum hac verborum formula institui: si apparet solutos esse centũ nummos, condemna ò iudex. Vbi dubium illud existit, an ego Petro, an verò mihi ille soluerit. Cùm itaq; sit hæc actio ambigua, mihi actori potestas datur eius pro me interpretandę, vt nimirum me dicam ita actionem quã intendebam intellexisse, quòd ipse centum illos nummos soluissem. Itaque mihi iudex [c] assentitur. Aut cum sæpe in iudicio rem exponẽs, his vsus essem verbis: Ante annos quatuor venit ad me Petrus, & de mutuo habitus est sermo, & ducentos nummos numerauimus. Vbi cum ambiguum sit & incertum Petróne sint à me ducenti illi [d] solati aurei numerati, an verò mihi ab illo, admittar ego ad narrationem meam dubiam exponendam, quòd scilicet id intelligerem, numerasse me Petro pecuniam. itaque audiar ex hac lege: & meritò quidem. Posteaquam enim id quod sentiebam apertè ab initio non dixi, par est vt ad animi sensa exprimenda admittar. At obscurum pactum, vt antè [e] expositum est, aduersus venditorem & locatorem exponitur.

Vbi [f] in stipulatione dubium est quid actum sit, ambiguitas contra stipulatorem est. Quæ [g] obscurè adeò scripta sunt, vt quid significent intelligi non possit, pro non scriptis habentur. Reliqua autem per se ipsa valent. Semper [h] in obscuris quod minimum est sequimur. In re [i] obscura præstat repetitioni fauere, quàm aduentitio lucro.

SCHOL.

Exempli causa: Centum tibi nummos mutuos dedi, pactus vt mihi intra annum persoluantur, ídque cum vsuris conuentis, non adiecta [k] vsurarum quantitate. Post annum offerebas tu quidem mihi sortem ipsam, quæ centum nummorum erat. Ego verò vsuras quoque postulabam, vt quas vnà cum sorte dari inter nos conuenisset. Excipiebas pacti obscuritatem, quod & irritum asserebas, quòd eo non fuisset vsurarum modus præfinitus. Inquit ergò Iurisconsultus in huiusmodi obscura de vsuris pactione satius esse repetioni acquiescere, & opem ferre, vt detur scilicet efficax actio ad repetendam creditam sortem, quàm in id actori suppetiari, vt ascititium lucrum repetat: cuiusmodi sanè est vsura, vt quæ extrinsecus superueniat. Licebit & ita speciem fingere: Debebat mihi Petrus quidam centum quos mutuâram aureos, personali duntaxat actione mutui nimirum seu certi condictione mihi obligatus. Debebat & idem Paulo cuidam vsurarum nomine nummos quinquaginta. Experti sumus ambo cum Petro. Ac Paulus quidem contendebat prior, quæ sibi ex vsuris debebantur recipere, causæ suæ præsidium ac firmamentum inde afferens, quòd etiamsi in personalibus actionibus prerogatiua nulla esse solet, quia tamen prior [l] actionem in Petrum institui, & de vsuris expertus sum, potiorem habeo causam, ideóque priorem me æquum est, quæ mihi debentur, precipere, quòd nequaquam segnis fuerim, sed causam agere, iúsq; meum persequi anteuerterim. Obstabam ego, negabamque Pauli antiquiorem

a *l. vbi est. de rebus dub. Facit l. vnum ex familia. §. si rẽ. de leg. ij. & l. quoties idem sermo. de reg. iuris.*

b *l. cum quæritur. de reb. dub. l. stipulatio ista. §. in stipulationibus. de verb. oblig.*

c *In ambiguis siquidẽ orationibus maximè sententia spectanda eius est, qui eas protulisset. Metianus in l. in ambiguis. de reg. iuris. Concordat cap. intelligentia. extrà de verb. signific.*

d *Græcè legitur & σ'. ὑπέρπυρα. Genus nummi erat à splendore ignito.*

e *Sub titulo de pact. ex l. veteribus. de pactis.*

f *Dicta l. cum quæritur. de reb. dub.*

g *l. ij. de iis quæ pro non script. hab. & l j. de iis quæ in testamen. del.*

h *l. semper in obscuris. de regul. iur.*

i *l. non debet actori. in fi. de reg. iur.*

k *Quæ tum præstandæ non sunt, cũ certus earum modus non adiicitur. l. quod in stipulatione. & l. tutor. §. vlti. de vsur.*

l *Occupantis melior est conditio, nisi si quis priuilegiarius veniat. l. iij. quod cum eo qui in ali. potest. l. ex facto. §. j. de peculio. l. inter eos. de re iudic. Occupat autem interdum qui prior litem contestatur. l. si pluribus. de leg. j. & l. pluribus. de procur. interdum qui prior ad sententiam iudicis peruenit. l. si verò. de pecu.*

esse act

esse actionem. Proferebat ipse iudiciariam sententiam, verbi gratia[a] Calend. August. latam. Proferebam & ipse sententiam super debito quod petebam, eamq; Calend. Septemb. latam, insuperque anno DXCV. Concertabamus de sententiæ vetustate. Paulus à Calendis vetustatem firmare nitebatur, quòd Augustus Septembri prior sit. At obscuritatem apprehẽdebam ego & incertitudinem, quodq; non esset annus appositus Cal. Augusti, ad subsequentem annum referebam. Addebas potuisse eundem iudicem prioris anni Augusto, & rursum, subsequentis iudicem permansisse. Intercedit ergò Iurisconsultus, & quoniam exorta obscuritate hic quidem quod dederat & de suo alienarat repetit, ille verò de lucro contẽdit, potius esse statuit repetitioni seu debito fauere, quàm lucro. Accessorium siquidem, lucrum est vsura, vt quæ extrinsecus accedat. Præfertur itaque qui mutuum repetit, eique planè satisfit. Postea verò ei quoque qui vsuras persequebatur fiet satis, si soluendo fuerit reus. Alioqui expectandum ei est dum ad pinguiorem fortunam accesserit.

In ambiguis[b], quod benignius est præualet: sique idem sermo duas sententias exprimat, assumendum id quod iuri reique gerendæ est accommodatius. In rebus[c] dubiis, benigniorem & humaniorem interpretationem sequimur. In ambiguis[d] pro dote respondemus.

SCHOL.

Magna cura Iurisconsultus dotium statui prospexit. Ideòque præter ius summum, præfractamque & accuratam eius normam plurima reperies, quæ in dote locum habeant: cùm & hoc iura[e] ipsa apertè dicant. Saluis enim dotibus contrahentur connubia: vnde porrò & soboles & augmentum reip. sequitur, quod vel summo studio Iurisconsultus exoptat & procurat. Expẽde igitur quid illud sit quod dicit, in ambiguis esse pro dote respondendum. Nimirum si quid inter dotem, & quẽquam alium controuersiæ intercesserit, dotem præponi: vt in hac specie: Mulier quædam viro iuncta est xij annis minor aut[f] maior, cui & insuper dotẽ dedit. Redactus postea est ad inopiam vir, simulq; alios creditores habebat. Ac puella quidẽ vt quæ dotem attulisset, cęteris creditoribus præferri volebat. At hi excipiebant dotem eam non habere, ꝙ non constiterit[g] matrimonium, propterea ꝙ minor erat annis xij. Dubium est an sint ea dotis nomine appellanda quæ mulier viro dedit néc ne. Decîdit ergo & statuit caput hoc, exorta ambiguitate pro dotibus dicendum. Proinde & aliis creditoribus præferetur, quibus præferri solet. Cùm enim controuersum sit & incertum sit dos néc ne, dotem esse pronuntiamus.

In ambiguis[h] orationibus, eius est sententia spectanda qui eas protulerit. In obscuris[i] inspiciendum quod verisimilius est, aut quod plurimùm fieri solet. In obscuris benigniorem[k] sequimur interpretationem. Ambiguum pactum[l] contra venditorem est interpretandum. Ambigua verò actio ita est accipienda, vt res actori sua salua sit.

IN AMBIGVIS[m] HVMANIOR SENTENTIA PRAEVALET.

SCHOL.

Testatus fuerat[n] quis in scriptis, hæredésque tres aut quatuor instituerat, postea vni heredum infensus testamentum induxit, ascripsitque se in odium vnius ex hæredibus testamentum induxisse. Inuentum est testamentum signatum, linoque, vt moris erat, transfixum, ac proinde resignatum est ac apertum. Siquidem

a Nota quæ in Græco exemplari adscribitur νου, videtur νουμηνίων quæ in Græcorum mensibus, nostris Cal. respondet, signare. Porrò γ' & δ' tertium & quartum Græcorũ menses Augustum & Septembrem reddo, hoc est βοηδρομιῶνα καὶ μαιμακτηριῶνα, quòd illi à Iunio hoc est ἀπὸ τοῦ ἑκατομβαιῶνος anni sumant auspiciũ. Etsi illorum sicut & Hebræorum menses lunares potius quàm solares esse, compertum habeo.

b l. quoties idem sermo. de reg. iu. l. quoties in actionibus. de reb. dub.

c l. si ita fuerit. sub fi. & l. cum in testamento. de reb. dub. & l. proximè. de iis quæ in testa. del.

d l. in ambiguis pro dote. de reg. iur.

e l. j. & ij. de iur. dot. l. hoc modo. in fi. de cond. & demonst. l. j. solut. matrimon. & alibi sæpe.

f Pro ἢ μείζων videtur in Græco cõtex. legẽdum ἢ μείζων, quæ maior crederetur.

g Vbicũque enim matrimonij nomẽ non est, nec dos est. l. iij. de iur. dot.

h l. in ambiguis orationibus. de reg. iur.

i l. in obscuris. eod.

k d. l. proximè. de iis quæ in testa. delen.

l Hæc antea amplè sunt exposita ex l. veteribus. de pact. & l. in contrahenda. de regul. iur.

m l. ea quæ. §. in re dubia. eodem. l. si ita fuerit. sub fi. de reb. dub.

n Proponitur hæc eadem species l. ij. de iis quæ in testamen. delen. iunge si libet & l. iij.

solius illius hæredis nomen est inductum, & præstantur legata, & cæterorum hæredum valet institutio: quòd si & cæterorũ heredum inducta reperiantur nomina, tum quæstionis est, an eum duntaxat fraudare voluerit, & suis facultatibus pellere, an verò & cæteros, quòd eum offensum habuerit. Quod si est ambiguum, haud dubiè valent & legata, & cæterorum institutiones hæredum, propter humaniorem & benigniorem sententiam, quę in ambiguis potior esse debet.

DE MILITIBVS.

TITVLVS XVI.



DVLTERII [a] Crimine vel publico aliquo iudicio damnatus inter milites recipi non potest. Filius [b] qui parentes maleficos dixit, militia indignus iudicatur. Non potest miles esse nec rerum alienarum [c] conductor, nec fideiussor, nec conductoris mandator aut procurator. Vult constitutio [d] neminem eodem tempore duplici militia aut dignitate insignitum esse, & nec duplicem licere simul tractare militiam, nec dignitatem militiæ admiscere. Quicunque verò hoc conati fuerint, decem auri libris mulctari, nullo omnino ex ea re percipiendo commodo. Neq; dominium [e] quod longo vsu acquiritur, neque lõgi temporis præscriptione completum tempus militi obest, eíve qui reipubl. causa abest, si modò intra iure præfinitum [f] annum ex quo peregre rediit, de re illa agat super qua læsus absens fuerat. Etsi priuati [g] homines de mutua successione inutiliter omnino paciscuntur, & ne donationẽ quidẽ mortis causa inducit eiusmodi pactum, milites tamen in aciem prodeuntes si talia pacta inierint, rata sunt ac valida.

CONSTANTINI CAESARIS PRINCIPIS NOVELLA.

Sancimus [h] ne militibus liceat ea prædia distrahere, ex quibus militię subsidia & ministeria suppeditantur, sed ea in cuiusq; militię vsum seruari. Atque adeò equitum immobilia bona, quatuor libris, aut traiectitiis duabus æstimari iubemus. Neque aliter eorum dominio ac proprietati ascribi res militares, qui eas quoquo modo possident, nisi quadraginta annorum tempus iam omni vacans inuidia præterfluxerit. Propè enim malæ fidei possessoribus [i] hos quoque veterum vsus ac mos annumerabat: hoc tamen discrimine quòd qui ex contractu possidebant [k], damnum fructuum effugiebant. Malæ verò fidei possessores [l] & fructus, & prouentum omnem & vniuersa denique damna præstabant, quod & nobis placet.

EIVSDEM.

Si quis militem tanquam aduenam detinere deprehensus fuerit,

a *l. ij. §. miles. de iis qui infa. not. & l. qui cũ vno. § adulterij. de re milit.*
b *Hoc eleganter tractat Vlp l. j. de obse qu. a lib.*
c *l. vlti. & l. milites. C. de loca. & cond. Vnde sanè colligo hîc legendum non μισθωτὸς quæ vox mercenariũ signat, sed μισθωτής.*
d *Iustin. l. vlti. C. de assi. & l. v. qui mil. non poss. facit c. de multa. ext. de præbendis.*
e *tot. tit. C. de restitu. militis. & eo qui reip. cau. ab. maximè l. ij. iij. & vlti. fac. §. rursus ex diuerso. instit. de act.*
f *Vtilem quẽ postea Iustinianus tollẽs, quadriennium continuum subrogavit l. superuacuã. quæ & vltima est. C. de tempo. in integrum restitut.*
g *l. licet. C. de pactis. Nã militibus quoquo modo velint & quoquomodo possint testamentum facere cõcessum est. l. Lucius. & l. diuus. de mili. testament. & l. milites. C. eodem.*
h *Idem penè statuerunt Impp. Lotharius & Federicus in vsibus feudo. titul. de prohib. feud. alien. per Loth. & per Feder. Idem in castellis & limitaneis fundis statuitur. C. xj lib. titu. de fund. limitr.*
i *Vbi enim lex aliquid inhibet, nihil prodest bona fides. l. vbi lex. de vsucap. Imò malæ fidei possessor censetur qui contra legum interdicta mercatur. l. quemadmodum. in fin. de agric. & censi. xj lib. C.*
k *l. bonæ fidei. de acquirend. rerum domin.*
l *l. fructus. j. & l. non solùm. de rei vendic. & l. domum. C. eodem.*

si quidem ille ipse etiam res eas vnde militiæ præstatur ministerium, raptas habet, aureos nummos pœnę nomine persoluet, quorum partem alteram miles vt in pristinum statum redeat, alteram fiscus vt ministerium quo fraudatus est recuperet, consequetur. Quòd si res militares non rapuisse sed emisse inuentus fuerit, fisco quidem aureos nummos pendet. Cæterùm interim in militem actionem de pretio non habebit. Sin verò cum aut eos alij è rebus suis expulerint, aut ipsi etiam fortè [a] ex statione sua discesserint, humanitate ac [b] miseratione aliorum excepti fuerint, vel vt aduenæ vel vt mercenarij, sint omnis culpæ expertes. At quicunq; strenuos generosósque milites ad priuata [c] obeunda negotia tenere ausi fuerint, tentoriis eos & vallis [d] suis prohibentes, in singulos quotannis sex nummos præstare cogentur, excusatione vsi, nisi fortè à ducibus eos, aliísve militiæ præfectis acceperint, si modò hi ex eorum sint numero qui ad ministrandum duci aliísve præfectis selecti fuerant & destinati. Si enim de externorum & gregariorum numero extiterint, culpa nō vacabit quisquis eos detinuerit, quamlibet facilè ac promptè ostendere possit sibi à duce aut præfecto datam esse facultatem eo vtendi.

NOVELLA.

Si qui [e] militarium locorum prædia quædam aut partes teneant, si quidem bona fide, hoc est aut emptionis, aut donationis, aut permutationis, aut vendicationis nomine ea sibi pararint, neque ex his vllum habent temporis diuturnitate adiumentum, locis quidem solis priuentur, quæ & militibus ipsis agentibus gratuitò reddantur, mulcta verò ei qui tenuit nulla irrogetur. Quòd si qui rapina ac vi, militaris loci dominium tenent, tum habita loci occupati ratione, etiam mulcta raptori irrogetur. Miles [f] prædium, quo loco militat comparare non potest, nisi paternum à fisco. Filius militis maior, defuncto [g] parente protinus in locum eius succedit, easdémque accipit annonas. Qui alienum [h] currum surripuit, gradu militiæ pellitur. Qui vallum [i] transcendit, aut per murum castra ingressus est, capite punitur. Qui verò fossam duntaxat transilit, militia reijcitur. Qui atrocem concitat militum [k] seditionem, capite punitur. Quòd si intra vociferationem aut leuem querelam substiterit seditio, gradu militiæ reiicitur. Profugus [l] & desertor, tempore quidem belli capite punitur, in pace verò eques quidem gradu pellendus est, pedes militia pellitur. Contumacia [m] omnis aduersus ducem vel præsidem, militis, capitale supplicium inuehit.

a Ἐκ στάσιον, ni fallor, appellat, cùm è statione sua fortè miles discedit. Nam si destinatam stationem reliquerit, & viuus punitur. l. tertia. de re milit. in principio. & §. qui militiæ. & defuncti bona confiscantur. l. defunctorū. de re militari. duodecimo libro C.

b Idem monet l. doli verbum. in seruo, quem quis vel humanitate vel misericordia ductus vel alia probata atque iusta ratione receperit. ff. de seruo corrupto.

c Huc facit l. nemo miles. cum sequen. C. duodecimo lib. de re mil.

d Τῶν φωσσάτων. Barbara vox: Latinè fossæ dicuntur, vt in illo Modestini responso: Si quis fossam transilit, militia reiicitur. l. tertia. §. in bello. ff. eodem.

e Nonnihil huc faciunt suprà citatæ constitutiones Lotharij & Feder. de probib. feu. alien. in vsib. feud.

f l. milites prohibentur. de re militari. Idē in præside prouinciæ prohibetur. l. aufertur. §. quod à præside. de iure fis.

g l. prima & secunda. C. duodecimo libro. de fil official. milit. qui in bello mor. *h l. tertia. §. qui aliena. de re milit. vnde obseruabis quod Græcè ἅρμα legitur posse à Latino nomine arma deduci (quod sæpe ab hoc autore fit) cùm ibi ita legatur: qui aliena arma, &c.* *i Dicta l. iij. §. in bello. eod.* *k Ea. l. §. qui seditionem. vnde collige pro ἄξιν in contextu Græco legendum στάσιν.* *l l. non omnes. §. j. eodem.* *m l. omne delictum. §. j. & sequen. eodem.*

DE SOLVTIONE POTESTATIS.

TITVLVS XVII.



LLVD Eſt exploratum [a], nos poteſtatem habere & in ſeruos, & in liberos noſtros, & hos tam naturales quàm adoptiuos. Nunc verò illud diſpiciamus, quibus modis ſoluatur poteſtas. Ac de ſeruis quidem ſubſequenti agetur titulo, qui de libertate eſt. Hinc verò de liberis pertractemus.

Exit è poteſtate [b] patria filius per mortem parentis, non ſemper tamen. Nam ſi pater quidem ſit mortuus, haud dubiè filij ſui iuris fiunt. Sin auus, non omnino nepotes ſui iuris fiunt. Qua in re ſanè aduertendum eſt & ſpectandum tempus mortis aui. Et ſi quidem media inueniatur perſona, hoc eſt in aui poteſtate filius, nepotes qui quo tempore auus decedit, ſub eius ſunt poteſtate, erunt iidem & auo defuncto ſub patris poteſtate. Etſi enim moritur auus, ſub cuius erant poteſtate, ſunt tamen in proprij patris poteſtatem recaſuri. Si verò medius ille pater ante auum deceſſerit, aut per emancipationem eius poteſtate liberatus fuerit, tum nepotes vt qui in alterius poteſtatem deuenturi non ſint, vtique ſui iuris fiunt. Si quis morti [c] adiudicatus fuerit, ſimul cum ſententia fiunt ſui iuris eius filij.

Si qui [d] ſub poteſtate eſt, in patriciorum ordinem allectus fuerit, ſimul atque patriciatus codicillos acceperit, patria poteſtate liberatur. Si patrem [e] meum capi ab hoſtibus contigerit, intereà pendet ius patriæ poteſtatis. Et ſi quidem redierit, in eius poteſtatem recidam. Sin apud hoſtes deceſſerit, iam mei iuris meminero. Verùm quæſtionis eſt, ex quo tempore videar poteſtate patria liberatus, an ex quo captus eſt pater, an verò ex quo apud hoſtes eſt defunctus. Omnino enim intereſt, & quidem permagni.

* *Quæ ſequuntur in contextu Græco eadem omnino ſunt apud Theophilum. §. ſi ab hoſtibus. quib. mod. ius pat. po. ſol. paucis commutatis.*

Finge enim binos cuidam liberos eſſe, cuius facultates bis mille nummûm cenſeantur, & hunc ab hoſtibus captum. Ex his alter cùm diligens ac ſedulus eſſet, duoſque ex patriis opibus nummos accepiſſet, labore ſuo mille aureorum tractanda negotiatione quæſtum fecit. Alter ignarus & ſegnis nihil omnino parauit. Aliquanto pòſt tempore nuntiatum deceſsiſſe apud hoſtes patrem. Paternam hæreditatem partiri volunt filij. Dicebat itaque ſegnis ille, nunc ſeſe, cum reuera pater mortuus eſſet, primùm ſui iuris eſſe. Vnde quæcunque ſibi diligens alter quæſiiſſet, patri [f] eſſe quæſita, ac proinde inuicem eſſe partienda ter mille nummûm, oporteréque ſingulos, mille quingentos nummos ex diuiſione conſequi. At ex aduerſo diligens & frugi filius dicebat ſeſe ex eo tempore ſui fuiſſe iuris, quo patrem captiuum abduci contigiſſet. Videri enim [g] cum non rediiſſet, eo tempore defunctum. Itaque cum ſui iuris eſſet, ſibi ipſi quicquid quæſiiſſet, non alij paraſſe. Et hanc magis ſequimur ſententiam.

Qui eſt filium [h] emancipaturus, competentem adeat iudicem, apud quem hac vtatur verborum formula: Hunc ſui iuris eſſe patior, meáque manu mitto. Qua re peracta ſi filium nulla ſuſcepta prole teſtari contigerit, valet teſtamentum, dum legitima [i] portio patri

a *Theoph in prin. tit. quib. mod. ius patr. pot. ſol. & inſtit. de adop. in princ.*

b *Inſti. quib. mod ius pa po. ſol. §. j. et ibi Theoph. fac. l. nepotes. de iis qui ſui vel alie. iur.*

c *Vel naturali vel ciuili, qualis eſt deportatio. §. cum autem. inſti. eod. fac. l. ſi qua pœna. de iis qui ſui vel alie. iur. ſunt.*

d *l. vlti. xij libr. C. de conſul. in No. conſtitu. quæ de digni. colla. vj. & inſtitu. eod. §. filiusfamilias. verſicu. ſed ex conſtitutione.*

e *l. in bello. §. ſi quis capiatur. de capti. & poſtli. reuer. & inſt. d. tit. §. ſi ab hoſtibus. vbi & Theophilum vide.*

f *l. j. in prin verſicu. quippe. ſi à par. quis manu. fuer.*

g *Facit l. lege Cornelia. de teſta. & l. in omnibus. de capti. & poſtli. reuer.*

h *l. pen. & vlti. C. de emancipat. lib. & inſti. d. titul. §. præterea.*

i *Alioqui enim parens ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem admittitur. l. j. in fi. j reſpõ. & l. Pantonius. §. ſi filius. ſi à paren. quis manum. fuer. facit l. nam etſi. de inoff. & not. glo. j. ad can ſi qua mulier xix. q. iij.*

patri reseruata fuerit. At Nouella Cæsaris Leonis aliter statuit. Eius hęc sunt verba. Quoniam [a] inter varios modos quibus filius è potestate patria exit, hic quoq; cônumeratur, si cui tutela filij est commissa ac demãdata, siue pater siue auus ore proprio liberum eum ac sui iuris effecerit. nos illud insuper adiicimus, si filius duntaxat sibi constans & certum ac stabile vitæ genus instituerit ac delegerit, etsi non lingua sed alioqui tacito consensu pater filio priuatim res suas prudenter & studiosè gerenti minime aduersans, per se viuere concesserit, valere & hanc potestatis patriæ solutionem, quamuis ad eam necdum peruenerit ætatem, qua matrimonium cõtrahere possit. Liberum est cuique filium quidem de potestate dimittere, nepotem verò in potestate retinere, & ex diuerso nepotem manumittere, filium in potestate [b] retinere. Quæ eadem & in pronepote locum habent. Habebat quis [c] in potestate filium, qui prægnantem vxorem habebat. Is filium sui iuris efficit, aut adoptandum eum alij dedit. Editus est postmodum nepos. Hunc dicimus in potestate aui esse. In legitimis siquidem connubiis conceptionis tempus inspicimus. Porrò quo tempore hic est conceptus, in potestate aui erat filius qui nepotem hunc progenuit. Præfectura [d] qua quis rebus gerendis præest, aut ducatus aut episcopatus patriam soluunt potestatem.

a Hac Nouella conuellitur illa Diocle. & Maxim. Impp. l. non nudo. C. de emancip. libe. Atq; huc facit quod dicit Callistra. l. si pater naturalis. de adopt.

b Vel omnes sui iuris efficere. l. liberũ. de adopt. & §. admonendi. insti. quibus mo. ius pat. pot sol.

c Instit. eo. §. pe. Confer l. sed & nepos. de adopt. & l. si me tibi. de captiuis & postlim. reuer.

d Hæc & antè dicta sunt cùm de patriciatu ageretur. ex l vlt. C. xij libro de cõsul. & ex No. cõstit. quæ de dig. vnde illa C. authẽ. sed episcopalis dignitas. sumpta est. Videtur porrò ἔμπρακτον ἐπαρχιότητα dignitatem eorum appellare quos principes agentium in rebus, aut prætorio præfectos Imperator nominat. & στρατηγοὺς quos ille magistros militum. Vide l. vlti. C. x lib. de decur.

DE LIBERTATIBVS.

TITVLVS XVIII.

PERSONARVM [e] Summa est hæc diuisio, quod hominum quidam sunt liberi, quidam serui. Et libertas quidem vnde liberorum appellatio ducta est, hunc in modum finitur. Libertas [f] est naturalis facultas cuique permittens facere quod libuerit, nisi lex aut vis prohibuerit. Vis quidem: siquidem me interdum quippiam agere volentem quod legibus vetitum non sit, impedit quis me potentior ac robustior. Lex verò: Nam supplicij legibus statuti minæ mihi sæpe vt ne quæ velim agam moram afferunt ac impedimentum. Ne enim iam quid pro arbitrio & quasi dominio meo agam, metus obest.

** In locum illum Græcum,* οὐκέτι, τὸ ποιεῖν τι κατὰ γνώμην καὶ δεσποτείαν, δέος ἐμποδίζει.

Locus hic longè alio sensu apud Theophil. vnde hæc omnia penè ad verbum sumpta sunt, legitur, nempe sic. οἰκέτῃ τὸ ποιεῖν τι κατὰ γνώμην καὶ δεσπότου δέος ἐμποδίζει. *Seruo enim ne quid pro arbitrio agat etiam domini metus obest. Dictione* οὐκέτι *in* οἰκέτῃ, *&* δεσποτείαν *in* δεσπότου, *quod facile factu fuit, aut è diuerso commutata.*

e l. iij. de sta. hom. & insti. de iure perso. ibiq; Theop. in prin.

f l. libertas eod. § & libertas. & ibidem Theoph. insti. d. tit.

FINITIO SERVITVTIS.

Seruitus [g] est iuris gentium constitutio, ex qua quis dominio alieno contra quàm naturæ ius ferat, subiicitur. Natura enim [h] ab initio liberos omnes produxit. Sed hostium solertia & vafrities seruitutem

g l. libertas. §. serui tus. eod. Et §. seruitus. & ibi Theoph. instit. eod.

h l. iij. de iust. & iu. & instit. de libertinis. §. j.

uitutem commenta est. Vult enim belli ius, in victorum potestate & possesione victos esse. Serui aut [a] nascuntur, aut fiunt. Nascuntur qui ex nostris ancillis nobis accedunt. Fiunt, qui ex iure gentium, hoc est ex captiuitate. Et seruorum [b] quidem conditio nullam admittit varietatem aut partitionem. Neque enim solet in ipsis dici hunc magis, illum minùs seruum esse. At in liberis multas reperias differentias. Siquidem aut ingenui sunt, aut libertini.

a §. serui autem. inst. eod. l. & seruorum. §. iure gentium. ff. dicto tit.

b l. & seruorum. in princ. eod. §. in seruorum. & ibi Theophil. eod.

DIVISIO LIBERORVM.

Liberi in duo genera diuiduntur, in ingenuos & libertinos. Ingenuus [c] est qui statim vt natus est, liber est, necdum seruitutis iugum gustauit, siue ex duobus ingenuis matrimonio editus fuerit, siue ex libertinis duobus, siue parentum alter ingenuus alter libertinus fuerit. Sed [d] etsi quis ex libera quidem matre nascatur, sed seruo patre, itidem erit ingenuus, vt is qui ex matre libera sed incerto patre, hoc est ex stupro natus est. Neq; enim filij ingenuitati, quòd vulgò sit conceptus, quicquam obest. Proinde sufficit partus tempore liberam fuisse matrem, etsi serua conceperit. Et ex aduerso si libera conceperit, in seruitutem autem postea causis quæ legibus exprimuntur redacta pepererit, liber erit partus. Neque enim quicquam ei qui in vtero est calamitas quæ matrem circumuallauit, nocere debet. Si quæ serua [e] conceperat, postmodùm manumissa modico interiecto tempore rursus in seruitutem relapsa pepererit, sic quoque quod nascitur liberum esse placet. Sufficit enim ei qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse. Potest [f] quis seruum suũ manumittere, vel in sacrosanctis ecclesiis vel sub prætore seu præside, vel inter amicos, vel per epistolam, vel testamento vel quauis deniq; alia vltima volũtate. Libertas [g] res est inæstimabilis.

c d. l. & seruorum. §. ingenui. insti. de ingen. in princ. & ibi Theophil.

d Instiut. eod. §. j. & Theophil.

e Ead. l. sub fi. & eo. §. ad fin in instit.

f §. multis autem modis. inst. de libertin.

g l. non est. §. infinua. & l. libertas. de regulis iur.

SCHOL.

Si quis [h] seruum meum aut vulnerârit, aut planè occiderit, competit mihi aduersus eum actio ex lege Aquilia. Per quam vulnerati quidem serui pretium accipio, si vulnus graue & penè incurabile fuerit. Quòd si planè sublatus & interemptus fuerit, totam eius æstimationem consequor. Aestimatur enim vt seruus. itaque totum eius pretium mihi persoluitur. At si quis [i] filium qui in potestate mea sit vulnerârit, non conuenitur Aquilia, vt is qui seruo vulnus intulit. Aquilia enim & rei æstimationem dari, & quicquid ex re perdita aut sublata, [k] damni ei accidit cuius interest, præstari iubet. Cæterùm tenetur exoluere [l] mercedes medicis prçstitas, cæteraque impendia quæ in curatione facta sunt: Et hæc quidem, non vt vulneris çstimationem, sed vt mulctam ipsi legibus irrogatam. Liberum enim corpus nullam recipit çstimationem, nec vllum libertatis pretium statui potest. Nec solùm curationis impensas vulnerator ille dissoluet, sed & si quid aliud mea interest. Si enim artem fortè eiusmodi filius tractabat, ex qua decem aut etiã plures nummos mihi quotidie quæreret, quibus ex quo vulnus accepit, sim fraudatus, haud dubiè hçc quoque ab eo qui filio vulnus inflixit accipiam, computatis diebus quibus ab opere destitit, iisque mercedibus quas inde singulis diebus lucrifaciebat.

h l. ij. & iij. & l. si seruus seruum. §. tertio autem capite. ad leg. Aquil. instiu. eod. §. j. & §. capite tertio.

i Exemplum sumitur ex l. vlt. de iis qui deiece. vel effud.

k d l. ij. ad leg. Aquiliam.

l Idem si quadrupes patrem aut filiumfamilias vulnerârit. l. ex hac lege. si quadrupes pauperi. fecisse. dicatur.

Libertatem [m] supra cæteras res fouemus. Cum obscura [n] est manumittentis voluntas, libertati fauetur. Iubet [o] constitutio, quod à libertatem attinet, à quocunque tandem detur, siue à milite siue à priuato, seu viuus quispiam seu moriens seruum com-

m l. libertas omnibus. de reg. iur.

n l. in obscura voluntate. l. quoties dubia. eod.

o Iustinianea quæ est l. j C. de commu. ser. manum. per totam pene l.

munem manumiserit, quantamcunque eius partem habeat, siue dimidiam siue tertiam siue aliam quantamuis, necesse habere cæteros socios siue duo sint siue plures, partes suas aut ipsi manumittere volenti socio aut eius hæredi vendere. Liceat autem ipsum seruum cum libertate hæredem scribere vt eius nomine pretium iustum exoluat. Quòd si recusabunt socij accepto pretio suas partes quas in seruo habent vendere, sit ille liber ne pretio quidem persoluto. Porrò eius peculium omnino ad sociorum quenque pro parte dominij redeat, ita tamen interim vt possit manumittens propriam peculij partem manumisso remittere, & iura patronatus ei soli qui libertatem donauit competant. Quòd si seruus ratiociniis suppositus est, præses tempus ei præfiniat, intra quod exactis rationibus, persolutísque si qua debere comperietur, demum libertatem consequatur.

DE PRETIO SERVORVM.

Sit autem [a] serui pretium, si quidem artis expers est, viginti solidorum, si modo annum [b] duodecimum egressus fuerit: sin minor est, decē duntaxat. Quòd si arte aliqua est imbutus, pręterquàm si notarius sit aut medicus, nummorum triginta. Nam si notarius est aut medicus, notarius quidē quinquaginta nummis æstimetur, medicus sexaginta. Sin verò eunuchi sint serui, maiores decem annis nulla arte edocti, quinquaginta nummis: si & artificio quopiam eruditi lxx. Nam si decem annos nondum attigerunt, in xx solum aureos computentur. Si [c] verò socij pretium nolint accipere, vt qui dicant se quoque eum velle libertate donare, id ab omnibus simul præstabitur, peculio apud eorum quenque pro dominij parte, remanente, iuréque patronatus omnibus ex æquo conueniente. Si quis moriens [c] hæredem rogauerit, vt vnum ex huiusce ancillæ liberis manumittat, quemcunque is delegerit, postea verò nullo delecto decesserit, simul omnes ad libertatem perducentur. Qui semel [e] seruum manumisit, datam ei libertatem reuocare non potest, nisi ob [f] ingratitudinem. Testantibus minoribus [g] etiam proprios seruos vltimis voluntatibus manumittendi facultas datur, cessante lege [h] quæ priùs id vetabat. Nemo post manumissionem [i] ex contractibus in seruitute initis obligatur. At ex delictis conueniri potest, ex regula qua statuitur, Delicta & noxas caput sequi. In iis qui intestatò decedunt, si à latere cognatos habeant & filios, manumittuntur serui, nec potest hæres aut à latere cognatus eos in seruitutem retrahere. Datur & ipsis pro more triens peculij. Quin & pretium manumissorum seruorum in trientem computatur.

EX MICRO[k], IVXTA ORDINEM AB EO OBSERVATVM.

Qui res alienas surripuit, atque ex his rebus furtiuis nummos

a Ead l. §. ne autem. & l. vlti. §. j. commu. de leg.

b In vtraq; lege citata legimus decimū.

c §. sin autē vno. eiusdem legis.

d l. pe. C. de fideic. lib.

e l. sicut semel. C. de liber. cau. Facit §. semel autem. institu. quib. ex causis ma. non licet.

f De pœna liberti ingrati vide l. j. & v. de iure pat. Et quis sit ingratus libertus, l. ingratus libertus. eod.

g §. j. in No. vt spons. largi. vnde sumpta est authen. sed hodie ex quo. C. qui manu. non poss.

h Alexādri imp. cuius initium, Si minor. Item lege Aelia Sētia, & si quid aliud de hac re statuitur. Instit. quib. ex cau. ma. non lic. §. eadem lege. ad finem vsque titu.

i l. j. §. si apud seruū. depos. l. j. ij. & penè toto tit. C. an ser. pro suo fac. post ma. te. §. omnis. institut. de nox. actio.

k Hunc nonnulli Romanum Iuniorem existimant filium Romani Lecapeni, qui Cōstantini Porphyrogennetæ socer fuit, vt in quarto huius operis legitur. Porrò quod additur κατὰ στοιχεῖον, nō potest hîc pro ordine alphabeti sumi, quem nullum obseruari hîc videas. Sed existimo simpliciter pro ordine sumi, vt eodem ordine hæc huc sint relata quo à Micro illo tractata fuerāt. Tu si quid habes rectius profer. Nam ne mihi quidem hac in parte ipse satisfacio.

confecit, his pro sua libertate datis manumittitur. At qui nummos surripuit, hos vt libertate donetur conferre non potest, sed nummis ei ereptis in seruitute perstat.

Cum [a] quidam efflictim alienam amaret ancillam, pactus est cum eius hero sese mancipium aliud pro ea daturum, si eam manumitteret, aut vt is eam sibi mox manumittendam daret. Et ancillæ quidem dominus aut eam manumisit, aut amanti tradidit. Is verò cum accepta ancilla congressus prolem suscepit, neque interim grato candidóque animo mancipium quod eius nomine spoponderat præstitit. Accedit igitur antiquus ancillæ dominus, cui est [b] constitutio illa rescripta, cuius hic est tenor: Quod proponis inter te & eum quem contubernio ac consuetudine ancillæ tuæ vsum esse memoras, placuisse & conuenisse, vt tibi ipse pro ea daret mancipium, illud intelligas oportet, quòd si manumiseris, aut sibi traditam ille manumiserit, reuocandæ libertatis facultatem non habes: sed solùm si necdum elapsum sit tempus actioni de dolo præfinitum, hoc est [c] biennium, fidémque conuentorum is fregerit, postulare debes, vt tibi actio de dolo aduersus illum detur. Quòd si apud te etiamnum ancillæ huius dominium permanet, eam potes adito prouinciæ præside vnà cum ex ea natis liberis recipere, nisi de eius statu controuersia moueatur.

a *Sumpta est hæc species ex l. cum proponas. C. de dolo mal.*

b *d. l. cum proponas. C. de dolo malo.*

c *l. vl. C. eo. vt & antè est dictum.*

EIVSDEM.

Si ancillam [d] suam vt liberam dominus cuipiam elocauit, ísque cum liber esset, & danti fidem haberet, vxorem eam acceperit, fortasse etiam interpositis iam dotalibus instrumentis, aut necdum interpositis, verùm eius animo rei exitum spectante: nequaquam sanè æquum fuerit non consistere eiusmodi matrimonium, sed tacitam potius consequi libertatem, siue viro siue vxori id contigerit. Si quid ergò tale à domino factum fuerit, sancimus illum illámve protinus ad libertatem & ingenuitatem rapi, rémque ipsam vt inter liberos ac ingenuos disceptari. Quòd si ipse quidem alterius earum quæ connubio iunguntur personarum dominus nuptiarum autor non fuerit, nouerit tamen quod est actum ac de industria tacuerit, vt postmodum rem totam coniugum alteri resarciat, malitiæ huic si apertè ostensa fuerit hanc irrogamus pœnam, vt propter versutas huiusmodi & malitiosas commentationes dominio priuetur, sítque rursum inter eas personas ratum ac stabile matrimonium, perinde ac si qui ab initio possidebat, consensisset. Atque ita ipse quidem dominio excidat. At serua persona in ingenuitatem abripiatur: id quod vtrouis modo euenire volumus, siue ab initio consenserit, siue versutè & malitiosè possessor egerit. Constat itaque & ex his susceptos filios, liberos atque adeò ingenuos fore. Dicit [e] constitutio eo ipso quòd seruus hæres instituitur, etsi non est adiecta libertas, tacitè eam consequi. Sin verò [f] legatum aut fideicommissum ei absque libertate relictum fuerit, non ideò tacitè videtur vnà cum legato & libertas seruo data. Si quis [g] seruum suum adoptare voluerit, adoptio quidem non valet, libertas verò tacita seruo datur. qua ratione impulsus princeps Iustinianus [h], cum quidam iudicio assistens actis de seruo testatus esset quòd filius esset, ex eiuscemodi verbis statuit filium quidem neutiquam fieri, verùm desinere seruũ esse. Sancimus [i] quicunque in ecclesiis, vicis, aliísve locis expositi

d *Ad verbum sumpta ex §. si verò ab initio. in Nouel. de nup. vnde & auth. ad hoc. C. de lat. libert. tollend. est deprompta. facit ad hanc rem cap. ij. & iij. extra de coniug. ser. imo & tot. ille titul.*

e *l. quidam. C. de necess. ser. hæred. insti. & §. idémque iuris. institut. quib. ex cau. manu non lic.*

f *d. l. quidam. §. pen.*

g *§. vlt. inst. de adopt.*

h *l. vnic. §. simili modo. j. C. de lat. liber. tollend.*

i *l. nemini licere. C. de epis. aud. l. sancimus. C. de infant. exposi.*

siti deprehendentur, hos omnibus modis liberos esse, etsi efficax actori probatio suppetat, qua sui esse dominij expositum infantem ostendat. Ægrotantes [a] porrò seruos & à dominis derelictos, & tanquam eorum salute desperata dignos habitos quorum curam abiiciant, in libertatem iubemus abripi. Captiuus [b] qui per quinquennium redemptori seruierit, liberatur. Seruus conscio domino militans libertatem consequitur. Qui cædem domini [c] sui indicat, libertatem præmium habeat. Improuidus, qui Græcè ἀπρονόητος, libertatem nanciscitur. Est autem ἀπρονόητος, qui aut neminem habet sibi prospicientem, aut qui sibi ipse prouidere nequit, cuiusmodi est mente captus aut furiosus. Si [d] quis ingenuam mulierem ab hostibus redemerit, & ad suscipiendam prolem ei sese iunxerit, protinus illa remisso iure pignoris ingenuos parit. Ab hostibus [e] redempta non serua est, sed pignoris duntaxat nomine tenetur. Redemptus captiuus si quidem soluendo est, redemptionis suæ pretium persoluat. Quòd si egenus sit, per [f] triennium redemptori seruiat, atq; ita liberetur. Iubemus si quis apud nos seruus [g] eunuchus factus fuerit, ei statim libertatem dari, etsi propter morbum eunuchus factus est. Scimus quandam [h] esse ex veteribus constitutionibus, quæ iubeat intestatò defunctorum opes, quibus nullus succedit hæres legitimus, in diuinum nostrum ærarium inferri, quò & sæpe seruiles personæ deferuntur, vt inde planè inextricabile seruitutis iugum ipsis deprehendatur. Propterea iubet in posterum leni miseratiońisq; pleno oculo serenitas nostra, seruilē omnem personam ad fiscum nostrum vt ab intestato redeuntem per omnes Respub. nostras libertate donari, cogíq; res etiam Romanas in omnibus iuxta legum præscripta gerere, etiamsi fortè vniuersum in seruis patrimonium positum sit. Si quis verò constitutionem hanc dissimulârit, delictorum suorum impunitatem minimè consequatur.

a l. vni. §. sed scimus. C. de lat. lib. tol. l. ij. ff. qui si. manumiss. ad lib. per. & § & multò potius. in Nouel. de nup.

b l. vlt. C. de postlim. reu. & red. ab host.

c l. j. C. quib. ex causis ser. pro præm. liber. acc. & l. qui ob necem. ff. qui sine ma. ad lib. per.

d l. ij. §. proinde. & l. si is qui te. de postli. reuers.

e l. liber captus. & d. l. ij. C. eod.

f l. vlti. C. eod. quinqueniū, vt & antè est dictum, statuit.

g Eunuchos & spadones fieri prohibet l. j. & tot. tit. C. de eunuch. Itē l. iij. §. qui hominē. & l. iiij. §. idem diuus. Ad legem Cornel. de sicar.

h l. j. & tot. penè titu. de bon. vac. lib. x C.



FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.

DE POSSESSIONE AC DOMINIO.

TITVLVS PRIMVS.



POSSESSIO EST[a] naturalis rei cuiuspiam detentio. Hæc enim dominium præcedit, & ex ea primùm originem traxit dominium. Quòd verò antiquior sit possesio dominio, quódque vt quis rei dominus sit id ex possesione fiat, inde planum fit, quòd quæcunque ex bello capiuntur, quicquid in terra reperitur, quæuis loca antea inculta habitationi destinentur, quæcunque insulæ cùm antè in nullius essent dominio occupentur, quicquid denique huius generis fiat, in hisce inquam omnibus eos pro dominis habemus, qui primi eorum possesionem apprehenderint, atque adeò possederint. Possesio[b] sæpe & per conductionem alicui obuenit, dicitúrque eiusmodi mercenaria possesio. Est & absoluti dominij possesio, quæ sanè possesio[c] animo obueniens dicatur, & qui rem ita posidet, animo possessor. Et quidem qui animo posidet, sæpe diuturna[d] possesione rei fit dominus. At qui mercede posidet[e], nunquam longa quamuis possesione rei dominium potest acquirere. Possesio[f] est animo dominantis detentio. Posidet[g] quis corporalia. Adipiscitur autem possesionem[h] corpore & animo, non item altero per se. Cæterùm sufficit ad totius fundi possesionem, quamlibet eius partem introisse. Affectione[i] perditur possesio, simul ac fundo excedere quis voluerit. Animo enim solo amittimus, non item comparamus possesionem. Etsi[k] enim quem ipse fundum animo posideo, tu teneas, adhuc sanè posideo.

SCHOL.

Quascunque res acquirimus, & posidentes dominium earum habemus, de iis ita lex statuit, vt eas apprehendamus, hoc est vt & corpore eas accipiamus, & animo agnoscamus, & tanquam nostras sumamus ac detineamus. Si enim aut corpore tantùm aut animo rem ab aliquo accepero, fortè eam mihi donante, non possum eius acquirere possesionem ac dominium. Quid enim si quis suum mihi fundum donauit, eum verò non tradidit, sed posidente eo corporaliter cogitatione nuda hunc mihi habere ac posidere visus sum? Hoc itaque nomine, nunquam eius potero possesionem ac dominium parare, vt qui animo duntaxat non item corpore hunc adeptus fuerim. Rursus si quis mihi rem dat fortè muneri, ego verò eam ex illo corporaliter accipio, existimans depositi nomine mihi dari, non potero vllo possesionis tempore rei dominium consequi. Cum enim corporaliter eam acciperem, animo[l] non tenebam, vt eius possesionem proprio nomine adipiscerer. Sed rem quidem à donante mihi accepi. At animus illum esse rei traditæ dominum

a l.j. in princ. de acquir. possess.

b fac. l. si quis conductionis. C. de loc. qui tamen rem bona fide emptā à domino conducit posidere desinit. l. qui bona fide. de acquir. poss. is nanque posidet cuius nomine posidetur. l. quod meo. eo. Distinguitur hoc egregie in l. si aliquam. eod.

c Nam animo solo retinetur possesio. l. licet. C. de acquiren. vel reti. poss. & l. si id quod posidemus. in fi. ff. eodem.

d Vt vsucapione aut præscriptione.

e Neque enim locatio dominium mutat. l. non solet. ff. loca. l. qui rem. C. eod.

f Iisdem penè verbis finitio hæc apud Theoph. est. §. idem placet. inst. per quas perso. nob. acquir.

g l. posideri. in prin. de acquiren. possess. At incorporalia quasi posidentur. l. si ædes. ad finem. de ser. vrb. præd.

h l. ea. in princ. & l. nemo ambigit. C. eo.

i dicta l. posideri. §. in amittenda. Confer l. quemadmodū. eodē. quæ maximè pugnare videtur. Adde l. si quis vi. §. differentia. eodē. Porrò varios modos quibus amittitur possesio, vide in l. qui vniuersas. §. j.

k §. φ si seruus. & §. saltus d. l. posideri.

l Huc faciūt quæ scribit Vlp. l. si me. in princ. eod. Siquidem in contractibus nisi animus vtriusque consentit, perduci ad effectum id quod inchoatur non potest. l. in omnibus rebus. & l. in omnibus negotiis. de act. & obl. & l. j. §. adeò. de pact.

minum,me custodem duntaxat cogitabat. Vt itaque res adipisci posſimus,duo, vt suprà dictum est,ab initio concurrere oportet, & corporis & animi apprehenſionem. Atque hæc est acquirendæ possessionis ratio. At amittendæ longè faciliorem & simpliciorem lex rationem statuit. Ex quo enim quis, inquit, rei alicuius, corpore simul ac animo possessionem quatenus potuit nactus fuerit, potest eam vel[a] solo animo retinere: saltus[b] enim hybernos æstiuósve & páscuos locos, etiamsi certis temporibus eos relinquamus, ipsisque excedamus, animo solo possidemus. Et si his cedere voluerimus, atque alicui tradere, vel cogitatione sola protinus horum possessionem habere desinimus. Is verò cui eos ex nobis habere concessum est, tutò possidebit, etiamsi corporaliter non eos tradiderimus. Quocirca non incommodè sanè in hac specie,[c] ferè adiectum est. Quo enim modo, vt diximus, rei cuiuspiam possessionem acquirere possumus, omnino eodem hanc quoque amittimus.

a l. qui vniuersas. §. pe. de acquir. poss.

b d. l. possideri. §. saltus.

c σχεδὸν· Hac particula expreßim vsus non est. verùm ex modis quibus acquiri aut amitti dixit possesſionem, colligitur, cum iisdem penè modis amittatur quibus acquiritur possesſio nisi quod animo solo amitti potest, acquiri nisi animo & corpore simul non potest.

Animo[d] possessionem adipisci non possumus. Quæsitam verò, animo retinere licet. Si[e] quis impudenter cœperit in alienarum rerum possessionem inuadere, non potest diuturna possessione sibi eius dominium quærere.

DE BONAE FIDEI POSSESSIONE.

QVI alienas ædes bona fide possedit, eas quidem vna cum pensionibus & omni alia causa restituit. Sumptus verò non recipit, nisi fortè necessarij fuerint: vtiles verò potest nihil læso antiquo rei statu, referre.

** In dictiones illas καλῇ πίστει, &c.*

Quòd hoc loco dicitur, possessorem bonæ fidei rem cum fructibus restituere, ei aduersari è diametro videtur, quod dici solet, Bonæ fidei possessorem fructus suos facere. l. bonæ fidei emptor. de acq. rer. do. vnde ductos nonnullos crediderim, vt vbi legimus καλῇ πίστει, legerint κακῇ: præsertim quum hæc διάταξις videatur ad verbum, si pro καλῇ, κακῇ legeris, sumpta ex l. domum. C. de rei vendic. Sed cùm hoc loco de bonæ tantùm fidei possessore agat, infrà seorsim de malæ fidei: lectionem immutandam non censeo Porrò quod dicitur bonæ fidei possessorem etiam fructus restituere, intellige ex l. certum. C. eod. quæ nodum hunc pulchrè dissoluit, post litem contestatam. Porrò l. illud quoque. ff. de petit. hæred. in bonæ fidei possessore eos tantùm fructus in restitutionem venire dicit, per quos locupletior factus est. Sed hoc in hæreditatibus. Nam alioqui ante litem contestatam perceptos duntaxat suos facit. posteà verò vniuersos præstare cogitur. d. l. certum. cum similibus.

d d. l. qui vniuersas. §. penul. cum similib. supr. citatis.

e facit l. si ex stipulatione. eod. l. improbo. & l. nec ex vera. C. eodem. Hoc est q̃d can. dicit, Possessorẽ malæ fidei nullo tempore præscribere. ca. possessor. de reg. iur. in vj.

Diuturna[f] possessio bonæ fidei possessoribus patrocinatur.

f l. ij. C. de præscript. long. temp.

Bonæ fidei[g] possessor de sumptibus quos in rem fecit actionem non habet, sed deductionem duntaxat in iis quibus melior ager effectus est, computatis scilicet fructibus, qui ante litis contestationem percepti fuerunt. Vult[h] constitutio, cum iis qui bona fide possederunt, rei melioris & pretiosioris factæ aliquæ impensæ refunduntur, si quidem modicis factis sumptibus magni pretij res quis in prędio possesso erexerit & statuerit, vt vineam, oliuetum, & id genus, solum quod impensum est restitui. Cùm verò quis multa quidem in rem insumpserit, sed non multò eam pretiosiorem effecerit, ei so-

g l. emptor. l. sumptus. de rei vendi. l. super empti. C. de euict.

h Huc facit. l. si fundum. de in rẽ verso. & l. in fundo alieno. de rei vend.

lam rei æstimationem præstari, vtpote cùm ea quibus rem ornârit & instruxerit quàm paucissima sint. Inscitiæ etenim suæ ascribat, qui tantopere laborârit, vt inconsultò in terram tenuem forsan ac sterilem, quæque sibi credita tueri non posset, tantam pecuniam ac sumptum conferret. Vt lac[a], pili & lana, sic & pecudum fœtus ipsarum fructus est. Ideóque statim pleno iure sunt bonæ fidei possessoris & fructuarij. Partus verò ancillæ, non ad ipsos, sed ad proprietatis dominum pertinet. Homo[b] enim fructus non est, vtpote cùm eius gratia fructus natura comparârit. Bonæ[c] fidei possessor fructus percipiens, eorum sibi dominium quærit, etiamsi ab alio sati fuerint. Propiùs enim iis accedunt quæ seruorum operis parantur.

Et sanè quoquo modo percepti fructus & à solo separati fuerint, ad bonę fidei possessorem pertinent. Si[d] cum agrum conseuisset, nondum perceptis fructibus alienum esse fundum cognouerit bonæ fidei possessor, perceptione fructus suos facit. Quòd enim ad fructus percipiendos attinet, tantisper bonæ fidei emptor est, dum non euincitur fundus.

a l.in pecudum.de vsuris.§.in pecudum. instit.de rer.diuis.l. bonæ fidei. sub fi. de acquir.rer.domin.

b Facit princip.l.ancillarum.de pe.hær.

c l.qui scit.§.j.de vsuris.

d d.l.qui scit.§.vltim. vbi vide Accur.

DE MALAE FIDEI POSSESSIONE.

MALAE[e] fidei possessor non solùm rem fructúsque quos percepit restituit, sed & quos percipere potuit, & id quidem post litis[f] contestationem. At in hæreditatis petitione etiam qui ante litem contestatam potuere percipi fructus computantur. Cum quis[g] rem alienam mala fide possidet, vt quem aut vi abstulerit, aut potentia sibi vendicârit, dolóve occupârit, aut cum alienam esse sciret, emerit tamen, aut aliud quippiam egerit vnde in mala fide sit, triginta annorum spatium ei conceditur qui re sua spoliatus est, vt intra hos proprium ius reuocet: idque fit ob apertam eius qui ita rem alienam detinet malitiam, improbitatémque & audaciam, aut rapacem iniuriæque faciendæ natum animum. Atque hoc quidem in rebus soli. Nam[h] res mobiles ferè intra triennij restitutionem stant, si modò bonæ fidei possessor sit qui eas tenuit. Quòd si cum res sit mobilis, malæ fidei possessor sit qui eas tenet, sic quoque ad tricennium eius persecutio prorogatur. Si quis[i] mala fide res aliquas possidens, aut vendendo aut donando aut quouis denique alio modo eas alienârit, is porrò qui huiusmodi res ad se spectare credit, cùm hoc inter præsentes intra decennium, inter absentes intra vicennium sciuerit, ex legum præscripto eum contestatus non fuerit qui vel emit, vel muneri accepit, vel ad quem quoquo alio pacto res peruenerint: qui huiusmodi res accepit, post decennium inter præsentes, vicennium inter absentes, eas pleno iure iam & stabili teneat. Quòd si ignorat verus alienatarum rerum dominus res illas ad se pertinere, & alienatas esse, iubemus non alio hunc modo excludi quàm tricennij exceptione, ita vt non possit qui res hoc modo detinet illud causari se bona fide possidere, præsertim quum à malæ fidei possessore autore acceperit. Cæterùm de exceptione decennij illud

e l.fructus.j.de rei vēdicat.§. & si hæreditas.de offi.iud.

f Hoc tam in bonæ quàm malæ fidei possessore locum habet. Cæterùm malæ fidei possessor etiam ante litem contestatam perceptos præstat.d.§.& si hæreditas.& l.certū est. C.de rei vendi. vide ergo num sit hoc loco mendum.

g l.j.§.ad hæc.de ann. except.C.

h l.vnica. de vsucap. transfor.

i In No.vt spons.lar. §.rursus sancimus. ad verb.vnde & C. auth.cuius initium, malæ fidei.de longi temp.præscrip.sumpta est.

illud insuper statuere visum est, si quando in ea quempiam contigerit aliquandiu præsentem, aliquandiu verò fuisse absentem, totidem decennio annos adiici, quot ex eo annis abfuerit.

DE ANIMANTIBVS.

FERAE [a] & animantes omnes quæ terra, mari, cælóve capiuntur, statim capientium fiunt, vnà cum iis quæ pariunt. Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. Apum [b] fera est natura. Itaque quæ in arbore tua consederint apes, non priùs tui esse dominij intelliguntur, quàm eas tuis alueis incluseris, sicut nec volucres quæ in arbore tua nidum fecerint, antè tuæ sunt, quàm eas aucupatus fueris, sed primi occupantis fiunt. Fauos [c] quoque si quos hæ fecerint cuilibet eximere licet, etsi in agro tuo sint.

Apum [d] examen si tuis alueis relictis euolârit, eò vsque tui esse dominij intelligitur, donec tuis subiacet oculis, & eius persecutio non est difficilis. Si enim aut difficilis est persecutio, aut tuum conspectum effugit, fit occupantis. Pauonum quoque [e] & columbarum fera natura est. Porrò de his & huiusmodi animantibus, cuiusmodi apes, columbæ & cerui, certissima traditur regula, vt eò vsque nostra esse intelligantur, donec reuertendi ad nos habent animum. Quòd si cogitationem eiusmodi habere desierint, desinunt in nostro esse dominio, fiuntque occupantis. Cæterùm eorum animus inde planus fit, si consueuerint ad nos redire. Si gallinæ [f] nostræ, & id genus aues fortè turbatæ euolârint, quamlibet nostrum effugerint aspectum, quocunque loco inuentæ fuerint, nihilominus tamen in nostro dominio tenentur. Vulnerata ab aliquo [g] fera, quæ illius quidem manus effugerit, posteà verò ab alio capta fuerit, non in dominio eius est qui eam vulnerârit. Neque enim aliter contingit qui bestiam vulnerârit, eius sibi dominium quærere, nisi & eam apprehenderit. Multa enim intereà possunt accidere, quæ obstent quominùs fera capiatur.

a l.j. cum iij. aut iiij. sequ. de acquir. rer. domin. l.j. in princ. de acquir. poss. §. feræ. de rer. diui.

b l. naturalē. §. apiū. eod. §. apium. insti. eodem.

c §. fauos quoque. d.l. & inst. eod.

d d.l. §. examē. & §. examen. instit.

e d.l. §. pauonum. & §. pauonum. institu. facit l. iij. §. aues. de acq. posses. Facit & elegantissima l. in laqueum. de acquir. rerum domin.

f d.l. §. gallinarum. & insti. §. gallinarum.

g d.l. naturalem. §. j. & institut. §. illud quæsitum. Facit l. in laqueum. paulò antè citata.

DE IIS QVAE EX ALIENA MATERIA FIVNT FORMIS.

QVOTIES [h] ex aliena materia in formam quampiã quid ab aliquo versum fuerit, si iam conflata forma in veterem vnde facta est materiam redire ac resolui possit, materiæ dominus formæ quoque ipsius erit dominus. Quòd si non potest species in priorem rudémque materiam redire, erit qui speciem conflauit eius dominus. Verbi gratia: Confecta ex auri massa argenti vel æris species, potest conflata in antiquum ac rudem auri, argenti ærísve massam redire. Vinum autem, oleum vel frumentum in vuas, oliuas vel spicas reuerti non potest. Sed ne mulsum quidem in vinum & mel dissolui. Et hæc quidem ita sunt statuenda, vbi tota aliena est materia.

Sin verò ex tua & mea materia [i] nouam aliquam conflaui speciem, vt ex meo tuóque vino ac melle mulsum, ex mea & tua lana vestem, in his nihil dubium est conflatæ speciei me dominum esse, vt qui

h l. adeò. §. cùm quis ex aliena. de acqui. rer. domi. & §. cùm ex aliena. de rerum diuis. instit.

i §. quòd si partim. institu. eod. Facit l. quicquid. de acquir. rerum dom.

qui non operam tantùm meam in speciem impẽderim, verùm & insuper materiæ partem præstiterim. Porrò [a] sciendum in huiusmodi, si quidem bona fide ex aliqua materia, sit à quopiam conflata species, posse eum qui speciem conflârit impensas quærere: si verò mala fide, haud quaquam posse. Quòd si duorum [b] materiæ ex dominorum voluntate commixtæ sint & confusæ, totum id corpus quod ex commixtione fiet, vtriusque erit commune. Sin fortuitò & non dominorum voluntate confusæ fuerint materiæ, aut eiusdem aut diuersi generis, idem quoque ius obtinebit.

DE REBVS IN BELLO CAPTIS.

QVAE ex [c] hostibus cepimus, statim nostra fiunt. Si quis [d] in suo solo ex aliena materia domum ædificârit, fit ædificij dominus. Quod enim inædificatur, solo cedit, cum intereà nihilo secius certum illud sit, materię dominum eius dominium nequaquam amittere. Si quis [e] meis ædibus cœnacula superstruxerit, horum planè fio dominus, ex regula qua traditur, quæ superstruuntur solo subiecto cedere. Si verò quis in meo solo ædificârit, quandiu in eo statu persistet ædificium, eius ero dominus. Quod si dirutum fuerit, potest qui ædificauit materiam sibi vendicare, siue bona siue mala fide ædificârit. Qui in litore ædificat [f], ædificij dominus est: qui in ripa fluminis, non item. Est autem [g] litus, locus quatenus fluctus hybernus exæstuat. Itaque etiam æstate ad illum vsque locum litus definimus. Si quorum [h] agris per alluuionem quid accesserit, non dubium quin id ipsis acquiratur.

DE INSVLA.

INSVLA [i] in mari enata, occupantis fit. At quæ in flumine nata fuerit, si quidem in medio extiterit, ad eos qui vtrique ripæ sunt vicini pro modo latitudinis spectabit. Quòd si alteri parti propinquior fuerit, eius partis censebitur ad quam propius accesserit.

DE FLVVIO.

SI FLVVIVS [k] inter duos agros fluens, hoc est tuum & meum, paulatim & ex improuiso terram agro meo adiecerit, sic vt deprehendere quis non posit quantum quóque momento nostro accesserit dominio, id quod est adiectum meum fit. Quòd si vis ac impetus fluminis partem agri tui aliquã detractam meo appulerit, certum est id quod meo agro accesserit in tuo dominio permanere, vtpote cùm id non ita sit factum, vt sensum effugerit.

Acceptis membranis [l] aut chartis meis inscripsit quis aliquid, librúmque effecit. Hîc quoque ad soli imitationem substratis cedent superposita. Itaq; quamlibet aureæ sint inscriptæ literæ, libri dominus fio. Sed contrà fit in pictis imaginibus. cedit enim picturæ externa tabula, fitque etiam alienæ tabulæ dominus, qui quidpiam ei appinxit. Si ecclesiæ [m] partem aliquam teneam, quadraginta annorum spatio mihi eius dominium quæro. Quòd si totum teneam non

a Facit quod dicitur in §.ex diuerso.d.l. adeò.& §.ex diuerso.cum seq. Item & §.literæ.versic.sed si à Titio.instit.eod.

b d.l.adeò.§. voluntas. & §.si duorum. instit.eod.

c §.item ea quæ ex hostibus.instit.eo.l.naturalem.§. vlti. ff. de acqui. rer.domi.

d d.l adeò.§. cùm in suo. & §. cũ in suo. instit. Facit l.in rẽ. §.tignum.de rei vẽ. & l j.in princip.de tigno iniuncto.

e l.si supra.de acqui. rer.do l. redemptores.de rei vendic.l. ij.C.eodem.

f l.quod in litore.cum l.seq.de acq.rer.do.

g l.litus.j.& ij.de verborum sig.& instit. de rer.diui.§.flumina.versic.est autem litus.

h l adeò.§.j.de acqui. rer. do. & instit.de rer.di.§.præterea.

i d.l.adeo.§.insula.et §.insula.instit. eod. Facit l.inter eos. cũ l.seq.& l.insula.ff. eodem.

k d.l.adeo.§.j. & §. præterea. instit. eo.

l §.literæ.& sequen. instit.eo.titu.

m No.de eccle. titul.§. pro tẽporaliis. vnde sumpta est auth. Quas actiones.C.de sacrosanc. eccles. & can placuit. §. quas actiones. xvj. q.iij.

monasterium, nūquam possum mihi eius dominium parare, neque potest vllum temporis interuallū mihi esse auxilio, propter legem[a] quæ apertè statuit nulla temporis intercapedine sacra & religiosa vsucapi præscribíve posse. Cęterùm si episcopus[b] ecclesiā aut monasterium alterius episcopi detinuerit, tricennio citra vllā controuersiam sibi eius dominium parabit. Nam velut à sacerdote in sacerdotem transfertur, qui & ipse præesse sacrísque locis præfici potest.

Hæres[c] eius qui mala fide possedit, etiamsi ipse bona fide possideat, non potest diuturna possesione sibi dominium parare. Vitia enim defuncti ad hæredem transeunt. Qui[d] mala fide alienam domum tenet, ac diu possedit, eam domino restituit cum omnibus quę ad eam ornandam pretiosiorémque faciendam contulerit, sumptus interim in eam factos nequaquam recepturus. Tum[e] sibi quis possesionem quærit, cum posidentem eum nemo turbat.

DE RE FVRTIVA.

FVRTIVA[f] res nulla temporis diuturnitate vsucapi potest.

Si quis[g] fundum emerit, cuius particulam sciebat esse alienam, si quidem qualis illa & quanta sit ignoret, nihil omnino agri posidet. Sin verò id compertum habet atque exploratum, potest reliquas partes longa possesione capere.

DE REBVS HAEREDITARIIS.

VITIA[h] defuncti ad hæredem transeunt, atque in hæreditate ex longa possesione dominium non paratur. In cęteris[i] quidem non cogitur rei possessor initium ac titulum possesionis suę demonstrare, neque potest eum ad id ostendendum adigere qui rem vendicat. Vbi verò quis aliquid sibi vendicat, velut hęreditario iure ad se spectans, liberum est possessorem rogare, vt ostendat quonam pacto possesionem eius rei sit adeptus.

DE DONATIONE.

QVI rem sibi donatam acceperit, non item qui donatam suspicetur[k] duntaxat, longa possesione vsucapit. Donatum[l] mihi a patre ne eo quidem defuncto longo tempore vsucapere possum. Neque enim valet donatio propter ius patriæ potestatis.

Vult[m] constitutio res omnes, si quidem mobiles sint, aut sese mouentes, continua triennij possesione vsucapi: sin res soli, decennio aut vicennio. decennio quidem cum dominus est præsens, vicennio cum abest.

DE REBVS COMMVNIBVS.

SI[n] quis communem rem in solidum per annos decem aut viginti possederit, longi temporis exceptione nihil iuuatur, cùm solo excludatur[o] tricennio. Is[p] qui cùm sciat sibi fundum esse cum alio

a *l. vsucapionem. de vsucapio. & §. sed aliquando. inst. eo.*
b *Ecclesia aduersus ecclesiam triginta annis, monasteriū aduersus ecclesiam non nisi quadraginta annis præscribit. d.c. placuit. §. quas actiones. xvj. q. iij. & cano. volumus. xvj. q. iiij.*
c *l. vlti. C. commu. de vsucapio. l. vitia. C. de acquiren. posses. l. cùm hæres. ff. de di. & temp. præscr.*
d *l. domum. C. de rei vendic.*
e *l. iij. l. naturaliter. l. nunquam. ij. §. j. de vsucap.*
f *§. furtiuæ quoque res. instit. de vsuca.*
g *Facit l. si quis fundum. l. locus. etsi aliquantum pugnātes videntur. Item l. iij. § incertam. de acquir. pos.*
h *Hæres successor est vitiorū defuncti. l. si ego. §. partus. de publicin. rē act. l. iiij. § hæres. de vsucap. Adde ll. suprà citatas, cùm hæres. de diuer. & tēpo. præscript. &, vitia. C. acq. pos. cùm simil.*
i *l. extat decretū. de iure fis. & l. in speciali. de rei vend. l. ij. C. de probat. l cogi. C. de pet. hær. Facit c. ex literis. ext. de proba. & ij. q. v. in princip*
k *Et iuris & facti error vsucapionē impedit. l. nūquam in vsucapionibus. de vsucap. §. error. inst. eo.*
l *Facit l. ij. ff. & C. pro hære. & l. ij. C. de inof. donat.*
m *Quæ habetur l. j C. de vsuca. transfor. & insti. eo. §. j.*
n *l. iij. C. in quib. cau. ces. lon. temp. præscrip.*
o *Quo mistæ & personales omnes actiones perdurant. l. sicut in rem. de præscript. xxx vel xl an.*
p *l. qui scit. de vsur.*

communem, fructus tamen inuito vel ignorante socio percipit, non maiore ex parte suos facit, quàm pro qua fundi dominus est, quisquis ille est qui illos seuerit, fructus enim non semen, sed solum comitantur, ac cedunt. Neque verò [a] bonæ fidei possessor quoquo modo satos fructus suos facit. Qui à malæ fidei possessore rem bona fide emerit, potest vsu [b] eam capere.

DE REBVS FISCALIBVS.

SI quis [c] rem fisci per quatuor totos annos tenuerit, tutus est aduersus fiscum quadriennij præscriptione. Non potest possessor [d] è fundo qui euincitur, quem ipse coluerit ac seuerit, fructus satos tollere. Quod ex [e] naufragio aut iactura partum est, non potest eius longo vsu quæri dominium. Neque enim absque domino est. Qui ab alio [f] rei alicuius possessionem est nactus, siue id vi, siue clam, siue precario, potior est te agente, non item si abs te accepit. Neque enim propterea possessionem amittis. Quod verò ad alios attinet, siue iustè siue iniustè rem possideat, melioris est conditionis quàm qui non possidet.

DE CORRVPTIS ET RVINOSIS VICINI AEDIBVS.

SI vicinus [g] ruinosas ædeis, quæque ruinam minantur neque instauret, neque de damno infecto cautionem præstet, decreto prætoris mittor in possessionem. Qui per [h] quadriennium vacantia bona, & quibus certum est neq; hæredem neq; bonorum possessorem extare, possedit, præscriptione aduersus fiscum tutus est. Qui fundum [i] quemlibet per quadraginta annos possedit, non iam conueniri potest, nisi vt canonem persoluat.

DE MARINIS VESTIBVLIS.

DE vestibulis [k] marinis illud statuit tricesima Leonis Cæsaris Nouella, vt quisque eius dominus sit quod sibi adiaceat, atque potestas ei detur, si qui fortè voluerint absque eius permissu vestibulorum commodis frui, eos pellendi.

Qui rem [l] sibi à non domino, ex iusta causa traditam accepit, neque dum vsucepit, habet publicianam. Qui enim iam vsucepcrit, ciuilem habet actionem.

SCHOL.

Verbi gratia [m], ex empto, ex legato, aut mortis causa donatione, dotis nomine, ex causa iudicati, soluendi causa si id iusto iudicio decretum fuerit, ex causa noxæ deditionis, si res à præside adiudicata sit, si obtulerit reus æstimationem litis: &, vt breuiter perstringam, ex quibuscunque causis rei dominium à priori domino in eum qui accipit illico transfertur.

a *Legunt nonnulli κακῇ πίστει, malæ fidei. Quæ sanè lectio magis quadrare videtur. d. l. qui scit. vbi dicit, Et quemadmodũ. Confert enim eo loco communis fundi possessorem cum eo qui sciens totũ alienum fundum possidet, & ex eo quod quæ totius est ad totum, eadem sit & partis ad partẽ ratio, colligit, sicut qui totum fundum alienum sciẽs poßidet, nulla ex parte fructus suos facit, quo quo modo sati fuerint, ita & communis fundi possessorẽ pro sua tãtùm parte fructus suos facere, non pro socij.*

b *Si ea sit res quæ vsucapi poßit. §. sed aliquando. & seq. instit. de vsucap.*

c *l. j. §. vlt. de iure fis. l. intra quatuor. de diuer. & tem. præscriptio. & l. j. C. de quadrien. præscrip.*

d *Potest tamen impẽsas petere, si bona fide conseuerit. argu. §. certè. & §. qua ratione. vers. cæterũ. de rer. diuis. instit.*

e *Facit l. j. ij. iij. & tot. tit. de incen. rui. nau. §. vlt. instit. de rer. diuis. & §. nauigia. ij. lib. feud. in constit. Frid. de statut. & consue. cont. lib eccles. edit. vnde auth. nauigia. C. de furt & ser corrup. est sumpta.*

f *l. vlti. de acquiren. posses. l. vlti. C. de rei vendicatio. §. quorum vis. institut. de interdictis. cum similibus.*

g *l. iiij. §. j. & aliis plerisque locis. de damno infec.*

h *l. quia. § certè. si quis omis. caus. testa. & suprà citata l. j. §. diuus. de iure fis.*

i *l. comperit. de præscrip. xxx vel xl an.*

k *Huc facit l. quod in litore. de acquir rer. domi. & l. in tantum. de rer. di.*

l *l. j de publ. in rem actio.*

m *Hæc pertinent ad exponendum quod dixerat, ex iusta causa. Vide l. j. ij. iij. cum quatuor aut quinque seq. eod.*

Ei qui[a] ex iusta causa rem quampiam nactus, eius possessione exciderit, datur publiciana.

SCHOL.

In præsenti[b] actione, quia non ab initio possessori dominium innatum est, sed temporis diuturnitate paratur, continuam esse oportet, neque vllo modo interruptam possessionem. Si enim vel ad diem res possessa non fuerit, videtur possessio ad verum dominũ recurrere, atq; ipsa interruptione dominiũ renouare.

Si dotis[c] nomine rem alienam quis acceperit, potest eam vsucapere: & id quidem in rebus mobilibus. Siquidem in rebus soli vitium non facilè transit, quòd in his[d] furtum non admittatur.

Qui[e] rem sibi à non domino, ex iusta causa traditam accepit, nequedum vsucepit, habet publicianam. Qui enim iam vsuceperit, ciuilem habet actionem.

QVID SIT PVBLICIANA.

PVBLICIANA[f] est, quæ possessionem ei reuocat qui propter dominium nondum est bonæ fidei possessor. Publiciana[g] speciem habet dominij, & non nudæ possessionis. In diuturna[h] possessione cõnumeratur etiam tẽpus anterioris possessoris. Sacrarũ[i] ædium loci etiam ædibus dirutis nihilominus sacri manent, & in nullius dominio. Semel enim consecratus locus nulla ratione[k] sacer esse desinere potest. In sepulturis[l] nihil quicquam prodest diuturna possessio ei qui nullũ ius habeat. Prædo[m] & malæ fidei possessor nõ est, qui pretiũ numerauit. Qui autore[n] iudice cõparauit, bonæ fidei possessor est. In pari[o] causa possessor potior haberi debet.

SCHOL.

Verbi gratia[p]: Cùm ego alienum agrum possiderem, extitit qui illum sibi vendicaret, mihique super eo controuersiam faceret, causans alienum esse agrum, ideoque nec meum esse. Excipiebam defensionem hanc: Cùm alienus sit ager quem petis, neque tuus est neque meus. At non si meus non est, protinus tuus est. Cæterùm ego qui hunc possideo, te petitorem vinco. Lex itaque meam admittens exceptionem ita statuit, Vbicunque res aliena controuersa sit, cùm tamen ad neutrum litigatorum spectet, eius possessorem actore eam petente potiorem esse. Finge & aliter si lubet speciem, Spopondit quis sese mihi fortè xij aureos daturum si furtum, adulterium aut eiusmodi quippiam admitterem. Quibus acceptis cùm essem pollicitus me id patraturum quod conuentum erat, nihil patraui. Si ergò qui me xij illis donauit aureis, mecũ experiatur vt eos recipiat, vt qui promissis non steterim, nihil omnino ex me accepturus est. Iubet etenim hæc lex, quoties[q] tam ei qui dedit quàm qui accepit causa ex æquo turpis est, potiorem esse eius qui acceperit quamuis fidem suam non liberârit, conditionem.

Qui[r] dolo possidere desijt, pro possessore condemnatur.

DE NON NVMERATA PECVNIA.

TITVLVS II.



NAPΓΥΡΙ'Α[s] HOC est non numeratæ pecuniæ exceptio dicitur, cum quis propriæ manus scriptura testatus & confessus se argentum nummósve à quopiam accepisse, aut omnino non accepit quæ sese scripto accepisse professus est, aut partem quidem accepit, non autem tantam summam, quantam cautione

a l.quæcunq;.eo.& §. sed istæ. institut. de actionib.

b Non videtur esse scholium sed constitutio potiùs, quæ sumitur ex l. nemo ambigit. C. de acq. pos. l.iij. l. possessio. l.nunquam in vsucapionibus. §. j. de vsucap.

c l.vni.C.pro dote.

d l.quare.in fine. de vsucap.

e Iterum repetitur quod suprà dictum est, fortè quia mox publicianam est finiturus.

f l.j.& tot.ti. de publici. instit. de act. §.sed istæ.

g l.eum qui.§. publiciana actio.eod.

h l.vnica.C. de vsuc. transfor.§.diutina. instit.eod.

i §.sacræ. vers. locus. instit. de rer. diuis. & l. in tantum.§. sacræ. de rer. diuis.

k Nisi aut ab hostib[9] capiatur. l.cũ loca. de relig. aut inde sacra euocentur. l.sacra.§.j.de rer. diui.

l l.longa possessio. de mor infer.

m l.nemo prædo.de regulis iur.

n l.qui autore.eo.et l qui iustè. de ac.pos.

o l.in pari eod.

p Hæc eadem antè lib. j. sunt posita in schol.penult.titu.ij.

q l.iij.& iiij. de condict ob tur.cau.

r l.pare esse conditionem. & l. qui dolo.de reg.iuris.

s Colligitur hæc definitio ex to.ti.et maximè l.j.& ij.C.de non nume.pecu.

perſcripſit. Non ei ſolùm exceptio non numeratæ pecuniæ competit, qui [a] nihil eorum accepit quæ cautioni adſcripta ſunt, ſed [b] & qui plura chirographo profeſſus eſt quàm acceperit. Qui cautionis [c] fidem agnouit, & ſemel cœpit debitæ pecuniæ partem exoluere, videtur numerationem agnoſcere, ac proinde iam exceptione pecuniæ non numeratæ haudquaquam tutus eſt. Qui ſibi [d] negat pecuniam eſſe numeratam, niſi intra biennium aut conueniatur, aut de ea re conteſtetur, nullam poſtea eſt habiturus defenſionem. Si dotali [e] inſtrumento perſcripta quidem ſit dotis quantitas, perſoluta verò minimè, licet & viro & eius hæredibus & patri viri ſi modò ſimul quoque dotem acceperit, eiúſque hæredibus, ac denique perſonę cuiuis quæ ius petēdę dotis habeat, mulieri & eius hæredibus exceptionem non numeratæ dotis opponere, idque intra annum continuò à matrimonij ſolutione connumerandum.

DE DOTIS PETITIONE.

DOTE [f] conſtante matrimonio non data, ſi quidem intra triennium vir obierit, nulla aduerſus eum querela, vt qui dotem nō quæſierit poteſt inſtitui. Quòd ſi in matrimonio iuſta ac legitima ætate contracto ad decēnium vſque ſuperuixerit, tenetur de ſuo vel vndecunque poterit mulieri dotem explere & cōficere. Sin verò perſtante matrimonio, minor erat, poſt legitimā plenāque ætatē abſolutam, habeat & decennium. Et ſi ne toto quidem eo tempore dotem petierit, ipſe vxori obſtringitor. Cæterùm ſi nec intra decenniū cū iuſtæ eſſet ætatis, quandiu matrimonium conſtitit dotem exegerit, aut expleta legitima ætate & decennij additamento, dote necdum repetita deceſſerit, in eius hæredes damnum redundet. Sin verò nōdum illo expleto decennio diem ſuū obierit, vel quod ab initio matrimonij dari ſolet, vbi maior eſt; vel quod vbi quis eſt minor poſt ætatem legitimam, ab ea prorogatur, compleātur poſt eius mortem præfinita tempora. Ac tum hæredes eius, ſi quidem maiores ſunt, trimeſtrem diſceptationē nacti, mulieri dotem perſoluant. Sin minores ſunt, ipſi quoque vbi ad maiorū ætatem pertigerint, habeant ad deliberandum, biennij tempus. Ac tum demum debitores & qui de dote danda mulieri obligati ſunt, eam numerent. Quòd ſi noluerint ab iis qui dotem ſunt polliciti repetere, & inde ius ſuum creditoribus reddere, ſanè poteſtatem habent. Enimuerò diſcrimē inter hæc, vt nullo modo de dote non numerata poſt cautionem qua acceptā eſſe eam quis fateatur exceptio opponatur, & vt intra decem annos opponatur, eiuſmodi eſt. Cū enim cautioni apertè adſcribitur ſpecies aliqua in dotem, prærepta eſt ſtatim & viro & eius hæredibus dotis non numeratæ exceptio. Cū verò in cautione vniuerſim inſeritur quòd totā dotem acceperit, decem nimirum aut xx libras, tū ſanè his decennij tempus ad mouendam de dote non numerata exceptionem protrahitur.

Conſtitutio [g] iubet in contractibus, in quibus pecuniæ aut

a *l.j.eod.*
b *l.ij.eo. facit in arg. l. cum de indebito. §.j. verſicu. ſi autem pro parte. de proba.*
c *l.cùm fidem. C.eod. Adde huc ſi libet l. j. de condict. indebi. & l.cuius per errorem. de reg. iur. vbi hæc Accurſ. acutè diſtinguit.*
d *l. in contractibus. C.eodem.*
e *l.vlti.C. de dot.cau. non nume. Facit gl. in c. ſi cautio. extrà de fid. inſtr. ad ver. confeſsioni. vbi docet quando cōfeſsioni cōtra ſe nō ſtetur.*
f *Tractatur hoc ampliſsimè in Nou. de temp. non ſol. pec. ſu. do. etſi paulò aliter quàm hîc. vnde & auth. quod locum. C. de do. cau. non nu. et auth. ſi minor. C. de temp. reſt. in integr. ſunt deſumptæ.*
g *d.l.in contractibus. C.de non nu.pecu.*

res aliæ numeratæ conſcribuntur, intra biennium duntaxat continuum non numeratæ pecuniæ exceptionem obiici: quicunque verò propter cauſas aliquas ſpecialiter legibus expreſſas, anteà lapſo quinquennio iuuabantur, hos nunc quoque iuuari vult. Iubet inſuper in cautionibus quibus quis ſeſe depoſitum accepiſſe cõfeſſus eſt, aut inſtrumento de rebus fiſci aut de dote ſoluta perſcripto exceptioni nõ numeratæ pecuniæ locum nullũ eſſe, in cæteris cautionibus eſſe. Porrò quibus in cauſis non numeratæ pecuniæ exceptio opponi nõ poteſt, aut intra xxx dies[a] dũtaxat poteſt, nec iuſiurandũ deferatur.

SCHOL.

Obſerua ſi reus totum inficietur debitum, tum creditorem teneri oſtendere pecuniam numeratam. Si verò partem ſolutam, partem creditori adhuc deberi dicat, tum ipſi debitori probationem incumbere. Et iure ſanè optimo, vt qui præſumptione pugnet, quòd iam chirographo debitam pecuniam ſit teſtatus.

Intra biennium[b] quidem ſoluto matrimonio ſiue morte ſiue diuortio, & ipſi viro licet de non numerata dote queri, & eius hæredi intra alterum annum. Quòd ſi ſupra biennium ad decem vſque annos matrimonium perdurârit, & viro querẽdi poteſtatem facimus, & hæredi intra ſpatium trimeſtre. Si verò exactum fuerit decennium, nec viro nec eius hæredibus expoſtulandi facultas datur, niſi fortè minor erat vir. Tunc enim à nuptiarum tempore duodecim[c] annos habet, ſique intra duodecim annos obierit, habebunt hęredes annum ad querelam. Quòd ſi fortè & hi minores ſunt quinquẽnium ipſis poſt ſolutionem matrimonij conceditur. Cautiones[d] quæ à creditoribus fiunt ſuper debitis aut in ſolidum, aut pro parte, ſiue ſortis ſiue vſurarum nomine, aut cuiuslibet alterius contractus cauſa, quo aut pecuniarum numeratio, aut certarum rerum certæque ſpeciei traditio perſcripta eſt, intra triginta dies duntaxat à propoſita cautione computandos exceptionis de non numerata pecunia obiicendæ facultatem habeant. His enim elapſis locus iam huiuſcemodi exceptioni nullus eſt, ne ſi iuſiurandum quidem in his poſt hoc tempus deferatur. Non poteſt[e] qui publicis aut fiſcalibus præeſt functionibus, aduerſus factam à ſe cautionem, ne ſi nunc quidem proferatur, non numeratæ pecuniæ exceptionem obiicere. Omne quod datur, aut ob rem datur, aut ob cauſam. Et[f] ob rem verò aut honeſtam aut turpem. Et turpitudo rurſum aut dantis eſt, aut accipientis duntaxat, aut etiam vtriuſque. Ob rem igitur honeſtam datum ita demum repetitur, ſi propter quod datum eſt, ſecutum[g] non ſit: vt nummos quis alicui dedit, vt proprium ſeruum manumitteret, aut vt hæreditatem legatáve repudiaret. Hæc niſi præſtiterit, cogitur accepta reddere. Vbi verò[h] accipientis duntaxat verſatur turpitudo, etiamſi id fecit cuius nomine accepit, tamen reddit: vt ſi quid acceperit quiſpiam, vt ne cædem faceret aut ſacrilegium, aut vt rem apud ſe depoſitam vel inſtrumẽtum redderet. Tum enim etſi fortè id fecit quod erat pollicitus, cogitur tamen quod accepit re-

a *Quod docet. §. ſuper cæteris. d. l. in contractibus.*

b *§. generaliter igitur. d. No. de tempo. non ſol. pecu. ſu. do. vnde hæc penè ad verbũ ſumpta ſunt.*

c *Græcum exemplar habet δεκαετία. ſed ex loco citato nõ eſt dubium, quin ſit legendũ δωδεκαετία.*

d *d. l. in contractibus. §. ſuper cæteris.*

e *l. vlt. C. x libr. de apoc. publ. Facit l. ſemel. eod. & l. ſecuritates. C. eod. lib. de ſuſcept. & arcar.*

f *In contextu Græco eſt δι᾽ αἰτίαν. Sed ex l. j. de condict. ob turp. cau. & ex ſeq. nihil dubium quin ſit legendum διὰ πράγμα.*

g *Hæc eſt quæ dicitur condictio cauſa data, cauſa non ſecuta. l. j. & per tot. tit. ff. de cond. cau. data cau non ſecu. & C. de cond. ob cau. dat.*

h *d. l. j. in fin. iuncta l. ſeq. Facit §. ſi ob maleficium. l. iuris gentium. de pact. l. quoties. C. de condict. ob turp. cauſ.*

stituere, vt qui iniustè & turpiter acceperit. Sed & si in mala causa iudici dedero, vt secundum me pronuntiet, datum non [a] recipio. Crimen siquidem contraho iudicem corrumpens, & ita litē perdo.

DE REPETITIONE ET REI INTERITV.

TITVLVS III.



VÆ [b] pietatis vel religionis intuitu dantur, etsi per errorem, non repetuntur. Qui pietatis [c] respectu sororis aluit filiam, repetitionem non habet. LEX. Rei iudicatæ [d] petitio & perpetua est, & rei persecutionem continet. It em hæredibus & in hæredes competit.

SCHOL.

Vbi quis primùm damnatus est, tenetur actione qua ea licet persequi ad quæ est damnatus. Atque huiusmodi persecutio non temporaria est, sed perpetua seu ad [e] triginta vsque annos competens. Neque enim pœnam persequitur, sed rem à victoris facultatibus semotam, eásque minuentem, quæ tamen damnati bonis accreuerat. Hinc fit vt & victoris detur hæredibus, & in damnati quoque hæredes competat.

Matri [f] si quid alendis liberis impenderit, repetere nequaquam licet. At si quid in eorum res vtiliter insumpserit, id negotiorum gestorum actione repetere haudquaquam prohibetur.

DE VIRI SVMPTIBVS

VIR [g] quoque in vxorem suam ægram quæ erogârit, ea non repetit à socero. Quæ verò in funus [h], eorum nomine patrem ad quem dos rediit iure conuenit. Non repetit [i] maritus si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos, vtpote aut in doctrinam aut in alimenta impenderit. ministerio enim eorum ipse vtitur. Quod verò eorum nutricibus datum est recipit, vt salutis causa datum, quemadmodum si à prædonibus seruos dotales redemisset. Hæreditatis [k] petitio longi temporis exceptione non summouetur. In illegitimis nuptiis non habet locum neque accuratius tractatur [l] condictio, neque item in turpi dantis causa. A mandatario [m] non repetuntur, quæ ei prædones eripuerint, quę naufragio amiserit, neque item quæ aut in suum aut suorum morbum impenderit. Hæc enim non ex mandato sed fortuito ac improuiso accidêre.

DE REI INTERITV.

SI rem [n] tibi æstimatam dedero, vt vel eam mihi afferas, vel eius pretium, & ea ante venditionem perierit, si quidem ego te vt acciperes rogaui, meum est periculum: si tu me, tuum. Si verò neuter nostrum hactenus teneris, vt dolum & culpam mihi præstes.

a *Condictioni quidē, inquit l. ij. d. ti. sub finem, est locus, sed & hic crimē cōtrahit. Cæterùm eo loco legitur in bona causa. De mala autem fit mentio iij. l. Porrò vtrobiq; vbi iudici datur, vt secū dū nos pronūtiet, siue ī bona siue in mala causa, videtur semper vtriusq; versari turpitudo & dantis & accipientis, ad quod Constantinus hoc loco respexisse videtur.*

b *§. vlt sub fin. instit. de obligat. quæ ex qua. contr. nascun. Facit l. cùm is. §. pe. de condict. indeb.*

c *l. ex duobus. §. vlti. de neg. gest. & l. j. C. eod. Cessat hoc in l patrem. C. de nup. Cæterùm huius rei coniectura ex modo & genere impensæ non est difficilis. l. vtrum. de do. int. vi. & vxor.*

d *l. miles. in fin. de re iudic.*

e *Ex l. sicut. de præscriptio. xxx vel xl annorum.*

f *l. Nesennius. de negot. ge. l. alimenta. et l. si paterno. C. eo.*

g *l. quod in vxorem. C. eodem.*

h *Huc facit & l. in eum. cum quinque aut sex legibus sequentibus. de relig. & sumpt. funer.*

i *Ad verbum ex l. si id quod. §. j. de do. inter vir. & vxor. Facit l sicut impendia. de vsufru.*

k *l. hæreditatis. de petit. hæred. C. l. licet. C. de iure deliberan. l. hæreditatem. in quibus causis ces. longi tempor. præscrip. At longissimi temporis præscriptione summouetur. l. sicut. C. de præscript. xxx vel xl annorum.*

l *Huius rei species ponitur l. vlt. de condict. sine cau. quam vide.*

m *l. à procuratore. C. mandati. l. quæ fortuitis. C. de pig. act. l. in rebus. ff. commod.*

n *l. si gratuitam. §. si margaritas. de præscript. verb. & l. j. in fin. de æstim. act.*

Si cùm vas[a] emere velles, vascularius delatum, apud te reliquerit, cumque tibi displicuerit, referendum per seruum dederis, atque absque dolo culpaque tua perierit, vascularij detrimentum est. Etenim eius quoque causa mittebatur. Cæterùm culpam eorum præstare teneris, qui abs te custodiendum perferendúmue acceperunt. Competit itaq; hoc nomine præscriptis verbis actio. Tuum annulum[b] vt inspicerem accepi, is mihi excidens in fluuiũ deuolutus est. Actione in factum teneor.

a *Ad verbum ex apud Labeonem. §. vlt. de præscri. ver. Facit l. eum. §. vlt. cum l. seq. & l. argentum. commod.*

b *l. duo. de præscript. verbis.*

DE NOVI OPERIS NVNTIATIONE.

TITVLVS IIII.



OPVS[c] nouum facit quis aut ædificando, aut quippiam detrahendo, ita vt pristinam operis faciem mutet. Siue iure[d] siue iniuria quis ædificet, opus per nuntiationem inhibere licet. Cæterùm hoc[e] edictum noui operis nuntiationis, ob futura duntaxat opera competit. Etiam[f] prætore aut magistratu non adito, nuntiare quis potest & suo & alieno nomine, & omnibus diebus, & aduersus quoscunque, absentes etiam, inuitos & ignorantes. Qui nouum[g] opus nuntiat, actor fit. Et si is[h] cui nouum opus est nuntiatum ante remissionem ædificarit, legitima denuntiatione opus demolitur. Debet[i] quis eo loci vbi opus nouum fiat nuntiationem facere, siue quis ædificet siue inchoet ædificare: idqúe etiam si domino non nuntiet. Cuilibet enim qui in re præsenti fuerit siue domini siue operis nomine, rectè nuntiatur. Neque nostra admodum refert, quis ille, cuiúsue cõditionis sit cui nuntiatur, seruus[k] an mulier, puer an puella. Omnibus enim qui adsunt nuntiari potest, sic tamen vt domino possit renuntiari. Quòd si quis extra ipsum opus, domino nuntiarit, nullius est eiusmodi nuntiatio momenti. In re enim præsenti & in ipso opere nuntiatio facienda est, vt confestim cui nuntiatum est ab opere discedat. Quippe illud interea contingit incommodum, vt dum ad opus venitur, quod per ignorantiam eius, operis factum fuerit, sit contra nuntiationem ac edictum prætoris factum. Si quis[l] post noui operis nuntiationem, nec venia seu remissione impetrata, nec satisdatione de opere restituendo interposita, ędificarit, factum post denuntiationem opus destruit, etsi ius faciendi habuerit. Qui ædificat[m], si quòd nouum opus faciat conueniatur, intra trimestre spatium debet causam dicere, iusqúe suum tueri, posteà verò cautionem interponere sese si non rectè ædificare deprehensus fuerit, quę construxerit propriis sumptibus diruturũ. Si cuius absentis[n] ædes à procuratore constructę pręsenti vicino damnũ afferant, debet procurator intra quatuor menses nuntiare, ipsumqúe dominum sistere qui si re nuntiata non astiterit, tum procurator ipse iudicio conuentus si damnetur, quicquid noui operis fecerit, vbi soluẽdo est, restituit. Sin vero

c *l. j. §. opus nouum. de no. oper. nuntia. & l. prætor. §. siue. eodem.*

d *l. j. in princip. & l. prætor. §. ait prætor. eo. Concordat c. j. extrà eod.*

e *d. l. j. §. j.*

f *§. nuntiatio.*

g *§. in operis.*

h *§. sed & si is. l. non solùm. §. sciendum. l. prætor. §. ait prætor. eod. l. j. C. eod. c. ij. iij. & iiij. extrà eodem.*

i *Ad verbum ex l. de pupillo. §. nuntiationem. eodem.*

k *Nam & huic nuntiari opus nouũ potest, etsi ipse nuntiare non poßit, nec eius nuntiatio vllum effectum habeat. d. l. de pupillo. §. seruus.*

l *l. prætor. §. j. eod. & c. ij. extra eod.*

m *l. vnic. C. eod. & c. vlt. extra eod. fac. l. de pupillo. §. si is cui nuntiatum. l. prætor. §. si quis paratus. & l. stipulatio. §. j. ff. eo. Etsi tẽpus in his nullum exprimitur, quod ab imperat. adiectum est. Adde l. nõ solùm. §. si cum possem.*

n *facit l. de pupillo. §. pen. cum & in absentes edictum hoc detur, sicut & antè dictum est.*

ſoluendo non eſt, ex abſentis facultatibus id præſtare cogitur. Si is [a] cui opus nouum nuntiatum erat, ædes vendiderit, & emptor ædificârit, tenetur ipſe. Non enim rei ſed perſonæ fit noui operis nuntiatio. Ideóque nuntiatione facta obligatur qui rem poſsidet. Seruo[b] ædificanti rectè quis nouũ opus nuntiat. At ædificanti alteri nũtiare idem non poteſt. Si plurium ſit res [c] in qua nouũ opus fiat, & vni nuntiatum fuerit, rectè facta eſt nuntiatio, videturque omnibus dominis facta. Sed ſi dominorum vnus poſt operis noui nuntiationem ædificet, non tenebuntur de eo opere cæteri. Neque [d] enim aliorum facta iis nocere oportet, qui nihil fecerunt.

PROVINCIALIA EX IIS QVÆ A IVLIANO ARCHITECTO[e] ASCALONITA DE LEGIBVS ET MORIBVS PALAESTINæ ſunt prodita. Ac primùm quidem de [f] menſuris.

PES quatuor habet palmos. Palmus[g] quatuor digitos. Cubitus ſex[h] palmos. Eſt enim digitus menſurarum fons ac principium, non ſecus ac vnitas in numeris. Itaque palmus quatuor eſt digitorum. Cubitus ſeſquipedem[i] complectitur vel palmos ſex.

Greſſus ſeu paſſus, duos continet cubitos vel pedes tres, palmos duodecim. Vlna [k] greſſus duos vel cubitos quatuor, vel pedes ſex, vel dodrantes octo. Acæna ſeſquiulnam aut cubitos ſex, aut pedes nouem, palmos triginta ſex. Iugerum decem acænas, aut vlnas quindecim, aut greſſus triginta, cubitos ſexaginta, pedes [l] nonaginta. Stadium ſex iugera, aut acænas ſexaginta, aut vlnas[m] centum, greſſus ducentos, cubitos quadringentos, pedes[n] ſexcentos. Miliare iuxta Eratoſthenem quidem & Strabonem geographos, ſtadia habet octo ſeu vlnas octingentas. Iuxta morem verò qui hodie obtinuit ſtadia quidem ſeptem [o] cum dimidio, aut vlnas D L, aut greſſus M D, cubitos C C C. Sciendum verò illud eſt, miliare cuius hodie vſus eſt, vt pote quod eſt ſeptem ſtadiorum ac dimidij, vlnas quidem geometricas, vt diximus, complecti D C C I, ſimplices verò D C C C X L. Centum ſiquidem vlnæ geometricæ, ſimplices conficiunt centum duodecim.

** In locum illum Græci exemplaris, vbi de vlna, hoc eſt orgyia agitur, ἢ γȣ̃ν σπιθαμὰς θʹ δακτ. δʹ.*

Multa ſunt in his menſurarum numeris hoc loco corruptiſſima, quæ tamen calculi opera, ſi quis rem diligentiùs inſpexerit, reſtitui facilè poſſunt: vt quod vbi menſura ὀργυᾶς docetur, quòd σπιθαμὰς [p], dodrantes verti, θʹ habeat & δακτύλȣς δʹ ſatis inde hoc emendari poteſt, quòd σπιθαμὴ

a *l. vlt. eod. l. operis. cum l. ſeq. fac. in diuerſa ſpecie l. imperatores. de public.*

b *l. de pupillo. § ſeruo.*

c *d. l. § ſi pluriũ. fac. l. ſtipulatio. § quæſitum. qui & vlt. eſt.*

d *Res inter alios actas aliis nocere nõ oportet. l. j. & toto titul. C. res int. al. act.*

e *Aſcalon Palæſtinæ, vel, vt Ioſephus vult, Idumææ vrbs DCCXX miliaribus Ieroſolima diſtans.*

f *De his pulchrè ac luculentè Budæus in l. vlti. ſi menſ. falſ. mod. dixe.*

g *Παλαιστή, inquit Heſychius, παλάμη, τὸ τεττάρων δακτύλων μέτρον. Mirum verò eſt quod hoc loco maſculinè protulerit παλαιστής.*

h *Græcus codex habebat ηʹ. Sed ex ſequentibus vbi hoc repetitur, legẽdum ϛʹ nemo dubitat.*

i *Hæc nota ϛʹʹ quæ Græco exemplari adſcribitur, dimidium addit ad ſuperiorem numerũ.*

k *Paulò aliter περὶ ὀργυᾶς Heſychius ὀργυὰ, inquit, ἡ τῶν ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασις, καὶ τὸ μέτρον ἀπὸ τȣ̃ τὰ γῆα μετρεῖν, καὶ πήχεις τρεῖς, niſi forſan erratum eſt in numero.*

l *Iuxta Suidam centum pedum eſt.*

m *Sic & Herodotus: αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυαὶ δίκαιαι σάδιόν εἰσι ἑξάπλεθρον.*

n *Alij faciunt pedũ dcxxv.*

o *Sic ferè & Heſych. in explicatione dictionis μίλιον.*

p *Σπιθαμὴ Heſychio eſt τὸ μέτρον τὸ ἀπὸ τȣ̃ μεγάλȣ δακτύλȣ ἐπὶ τὸν μικρὸν διάστημα ἐκλέθεν.*

θαμὴ

θαμὴ duodenûm est digitorum. Quod si verum est, haud dubiè ὀργυιὰ non erit spithamarùm θ', hoc est nouem, sed octo duntaxat, hoc est digitorum nonaginta sex. Quòd autem spithama non ampliùs habeat, quàm nonaginta sex digitos, inde subduces, quòd orgyia senos habeat pedes, pes quaternos palmos, hoc est sedecim digitos. At sexies sedecim digiti componunt nonaginta sex. Sic itaque locum restitues, ἡ γὰρ σπιθαμὰς η'. Nisi Homerico more mauis θ pro octo tantùm sumi, quod hîc dicendum non puto, cùm signa numerorum alia præter literas hîc sæpe inserãtur. Quod verò sequitur, δακτ. δ', aut planè expunge, aut pro δ' substitue ϛς', hoc est nonaginta sex. Quod deinde in stadij dimensione subditur, habere stadium βήματα, hoc est gressus σμ', orgyiæ ratio conuincit legendum duntaxat βήματα σ', hoc est gressus ducentos. Si enim orgyia duos tantùm habet gressus, stadium verò centum orgyias, vtique stadium tantùm ducẽtos habebit gressus, non σμ', CCXL. Est & miliaris supputatio duobus locis corrupta. Primùm vbi legitur, καὶ γ' ἤτοι ὀργυιὰς ωλϛ'. Quo loco quis non videt καὶ γ' expungi eradíque debere? Suspicor autem forsan hoc loco inserta ab autore fuisse & cætera mensurarum genera miliario respondentia. Quòd verò subsequitur, habere miliare orgyias ωλϛ', defendi non potest, si octo habet tantùm stadia. Stadium enim centum duntaxat orgyias, vt antè dictum est, continet. Si itaque octo stadia habet miliarium, vtique octingentorum duntaxat erit orgyiarum, hoc est ω', non ωλϛ', hoc est DCCCXXXVI. Expungendi ergo sunt numeri λϛ'. Postremò est & illud corruptũ, quod de vsitato miliari dicitur habere πήχεις ϛ'. Est verò legendum πήχεις γ, cum millenarij nota, hoc est cubitos termille. Cùm enim vsitatum miliare septem habeat stadia & dimidiatum, hæc termille cubitos faciunt. Habet siquidem stadium quodque quadringentos cubitos. Hæc est de toto hoc loco sententia nostra numerorum maximè ratione subnixa.

DE BALNEI [a] CONSTRVCTIONE.

EVM qui priuatas balneas sit extructurus, dare operam conuenit, vt camini à vicino distent. Si quidem ad Austrum magis aut ad Occasum vergit extruendum balneũ, habente vicino secundam tertiámve substructionem & fenestras in idem balneum prospicientes, viginti cubitis. Vbi enim hybernos ventos flare contigerit, non asiduè vicini fenestræ aperientur. Insupérque vento humidò dissoluetur & absumetur ignis æstus. Si verò ad Boream magis aut ad Ortum spectet priuatum illud balneum construẽdum, quàm vicini, cuius ædes duos aut tres structurarum ordines habeant, tum oportet eum qui priuatum balneum extruere aggreditur efficere, vt à vicino seiunctum sit cubitis nõ minùs triginta. Flantibus enim ęstiuis ventis & fenestris continenter apertis incommodum aliquod proximas ędes habẽti ingruere posit. Quòd si obstructi sint muri in idem priuatum balneum prospicientes, tertia pars præscriptarum mensurarum ædificaturo cõcedatur. Sin verò vnius tecti hoc est planæ sint ædes quæ ianuas aut fenestras, vt dictum est, prospicientes

a De hac re pulchrè Vitruuius libro v. cap. x.

habent, tantum ſpatij detur quantum & cum obſtructi ſunt parie-tes. Sed ſi eiuſmodi planarum ædium muri obducti ſint & clauſi vndique menſurarum quæ tabulatis adhibendæ ſunt detur ſexta pars. Et hæc quidem in vrbe. At in vicis ac pagis dictarum menſurarum dimidium duntaxat.

DE PISTRINO.

QVI nouum piſtrinum extruit, eum in vrbe quidem oportet à vicino furni domum in editũ & ſub dio expoſitum locum ſex cubitis ſeiungere, ſi ædes vicini ſolùm planæ ſint. Datur autem hæc loci ſub dio expoſiti diſtantia propter conflagrationes[a] quæ ſæpe domibus ex huiuſmodi furnis accidunt. Quòd ſi ſecundam aut tertiam aut etiam plures ſubſtructiones vicini ædes habeant, tum is qui piſtrinum facit diſiungat oportet clibani domum à vicino, eodẽ quidem quod & iam præfinitum eſt loci ſubdialis interuallo. Cæterùm ne ſuffumigationi obnoxius ſit clibanus reſpõdeat duplæ parti interſtitij quod in priuatis balneis poſitum eſt. Priuati ſiquidem balnei aſsidua eſt & nunquam deſinens conflagratio. Clibani verò viciſsitudinaria, vt quæ nocte crebrius fieri ſoleat. Atque hæc quidem in vrbe. At in vicis aut ſuburbiis propoſitatum menſurarum dimidium.

a Vnde & Vitruuius libr. vj. capi. ix. monet piſtrina extra villam facienda, vt ab ignis periculo ſint villæ tutiores.

EXPLICATIO.

Verbi cauſa: Si quidem Auſtrinum magis ſit aut Occiduum quod conſtruitur piſtrinum, vicino habente ſecundæ aut tertiæ ſtructuræ ædeis ac feneſtras quarum proſpectus ſit in idem piſtrinum, tum à vicino diſtabit ſolis tredecim [b]cubitis. Sin ad Aquilonem magis aut ad Ortum vergat piſtrinum, cùm ſint ędes vicini duorũ aut trium ordinum, feneſtraſque apertas habeant in idem piſtrinum, tunc non minùs viginti cubitis diſtabit à vicino. Quòd ſi fortè obſtructi ſint muri, quorum patet in piſtrinum proſpectus, dictarum menſurarum triens extruenti detur. Si autem vnius tecti hoc eſt planæ ſint ædes, quæ ianuas & feneſtras habeant, vt dictum eſt, proſpicientes, idem ſpatij quod in obſtructis parietibus concedatur. Porrò ſi harum ædium planarum obſtructi muri ſint, mẽſurarum quæ tabulatis ſuperſtructis accommodantur ſextans detur. Et hæc quidem in vrbe Conſtantinopoli inquit, propterea quòd ei hybernus quidem ventus ſit Auſter. At hyeme non aſsiduè vicini feneſtræ aperiuntur. Aeſtiuus verò Boreas, quo tempore æſtate nimirũ frequẽter vicini feneſtræ patent. Vnde dãni nonnihil vicinas habẽti ædeis poſsit inuehi. At Theſſalonicæ quoniam ſecus accidit, vt æſtiuus quidem ventus ſit auſter, hybernus verò Boreas, ſi etiam ei, ſupradictis aduerſa tribuerimus, hoc eſt magis quidem auſtrino piſtrino ampliorem à vicino diſtantiam, magis verò ad Aquilonem ſpectanti, breuiorem, forſan non abſurdè id fecerimus.

b Alij in hoc eſt decem tantùm legunt. Quòd neſcio an tã apertè huic loco quadret, & duplæ illi proportioni quam piſtrinis accomodãdam dixit, iuxta ea quæ in balneis præſcripta fuerant.

DE FIGVLINO FVRNO.

QVI figlinum furnum in pago conſtruit, oportet hunc à vicino ſemotũ faciat ſiue in duplicem aut triplicem, ſiue etiam vlteriorem ſtructuræ ſitum ac ordinem ædes tollantur vicinæ, ſi quidem ad Boream magis vel ad Ortum furnus ſpectat, habente vicina domo ianuas aut feneſtras in ipſum furnum proſpectantes, viginti cubitis. Figlinæ enim vſus ac opificium eo peragi ſolet tempore, quo iam dicti venti irruunt, & vehementius ſpirant. Si verò ad Notum magis aut ad Occaſum tendat furnus quàm vicinæ

ædes

ædes, quæ & ipsæ ianuas habeant aut fenestras, duodecim cubitis distabit, cùm flantibus hybernis ventis opus intermitti soleat. Quòd si obstructæ sint aut planæ ædes, efficiendum tunc vt distet triente duntaxat dictorum cubitorum. Cæterùm si cùm iam anteà eo loci figlina esset extructa, velit vicinus alius insuper aliam figlinam antiquæ proximam extruere, ab antiquo vicini tecto oportet eum qui figlinum furnum construit, si quidem is Orientalis sit aut Borealis, furnum per quindecim cubitos disiungere: sin Occidua aut Australis, triginta. Eædémque ventis mensuræ in areis parandis seruentur.

DE GYPSARIO.

SI quis gypsarium, hoc est locum vbi gypsus exciditur comparare voluerit, aut in vrbe aut in vicis, eum oportet à vicino, gypsi fornacem semouere. Et si quidem vnius tecti fuerint vicini ædes, quæ & fenestras habeant in ipsum prospicientes caminũ, cùm sit ipse camini locus planus ac sine tecto vllo, si ad Septentrionem aut ad Ortum vergit magis, octo cubitis semouebitur. Si ad Occasum aut Meridiem, & vicini ædes planæ sint, fenestras tamen habentes aut ianuas, cubitis quatuor. Sin verò tectus sit camini locus, & vicini ædes in ipsum caminum prospicientes habeant fenestras, ne ei in illo liceat porticum extruere. Obruet enim fumi copia, ac penè suffocabit per fenestras vicinum. Quòd si secundam aut tertiam, aut etiam altiùs protensam substructionem domus vicini habeat, fenestris ad gypsarium expositis curandum, vt absit à muro vicini caminus cubitis xxiiij. At si obstructus sit murus, nec ianuas nec fenestras vllas habens, tum ei qui gypsarium construit, facultas datur semouendi camini duobus tantùm cubitis. Id quod fit propter vitium, quod ex igne parieti accidit. Ne verò contundere aut incidere gypsum liceat ad vicini parietem, sed incisionis locus absit à vicini pariete cubitis sex. Solet enim & fumi incursus parietes vitiare & labefactare.

DE FORNACE CALCIS VIVAE.

SI quis vult calcis viuæ fornacem construere, curandum ei est vt ab omni ædificio duorum aut trium aut deinceps plurium ordinum & structurarum & à quouis alio distet centum cubitis ab omni venti incursione. grauior enim & pestilẽs esse solet qui ab ea emittitur vapor. Ab area verò seiungi hanc fornacem conuenit quinquaginta cubitis.

DE INFECTORIBVS ET FVLLONIBVS.

INFECTORVM ac fullonum opificia cum magna ex parte in igne assiduè versentur, adstantes ædeis facilè vitiant & labefaciũt. Non ergò opus est si cuiuspiam domus est plana, & ei proxima est altera, deflagrationem ignis sub his fieri. Nam quemadmodum est dictum, cùm in hisce artificiis eiusmodi deflagratio frequens sit atque assidua, non pestem solùm adiacẽtibus ædibus inuehet, sed & iisdem non leue discrimen ex igne inferet. Non modò itaque huius artificij

homines officinas habere non oportet alienis ædibus subiectas, verùm & ab vtrinque contectis contabulatísque abesse domibus sex cubitis & besse. Ita enim dissoluetur ac euanescet fumus ante sex cubitos cum besse.

DE VITRIARIIS ET FABRIS FERRARIIS.

VITRIARIOS & fabros ferrarios qui bipẽnes, falces ac eiusmodi magna organa ac machinas faciunt, item & statuarios non oportet, in ipsis vrbibus sua opera facere. Quòd si necessitate aliqua vrbes cogantur incolere, atque ibi opera sua facere, seligantur ipsis, vrbis totius loca semota ac solitaria maximé. Cùm enim magnum ab igne proximis ædificiis discrimen imminet, tum verò ipsis corporibus assiduè pestis inuehitur.

DE [a] AMMYDARIIS ET CAVPONIS.

AMMYDARIORVM cauponúmque ars non solùm ingens affert ex igne vitium, sed & ipsius olei vapor corporibus nõ mediocriter officit. Vnde hos nequaquam oportet alienis ædibus suppositos esse. Id quod in vrbe dico. vt ne ergo qui ex his vapor exhalat adiacentibus incumbens domibus, detrimentum habitatoribus afferat, etiam ab vtrinque vicinis, horum ianuas cubitis tribus cum triente remotas esse conuenit.

a Nonnulli olearios exponunt, quod ex iis quæ subiiciuntur poßit colligi. Videtur περὶ ἀμυδραρίων legendũ. Siquidem ἄμυδροι ὄπα Hesychio dicuntur οἱ κάθυδροι καὶ ἄγαν ῥέοντες. Vnde ἀμυδράριον locus vbi huiuscemodi liquida exprimũtur: Latinorũ nominũ forma sicut & suprà γιψαρεῖον dixit gypsariũ. Porrò de oleariarũ collocatione habes nonnihil apud Vitruuium lib. ij. cap. ix.

DE RESTIONIBVS, ET LANAE LOTORIBVS SEV FVLLONIBVS.

RESTIONVM & fullonum artes ne nocuæ quidem existimantur. Ex his tamen non leue discrimen ac damnum consequitur. Incendunt enim sæpe sulphur. Ac primùm quidem horum odor cùm ingratus sit & grauis, magnum fœtorem vicinis affert. Præterea cum sæpe suffitus faciant, contingit vt funibus aut lanæ ignem & sulphur iungant, vnde assidua deflagratio adiacentia inuadit ædificia. Quod experimentis abunde cognitum est & exploratum, quàm sæpe incendio obnoxiæ fuerint his vicinæ ędes. Oportet igitur eiusmodi opificum domos solitarias esse, neque cæteris adhærescere. Quòd si qua fortè ratione fuerit necesse hos ędificia habere aliis vicina, horum dominum par est vicinis scripto cauere, se in iis ædibus quibus restes conficit, ignito suffitu nequaquam vsurum.

DE [b] SALSAMENTARIIS.

SALSAMENTARIORVM & casceariorum opificium non vulgare vicinis damnum inuehit. Vehemens enim est & grauissimi odoris vapor, etiam in remotissimum loci spatium, qui ex his emittitur. Vnde hos opus est aut omnino nec vrbem nec pagum incolere, aut si id fortè ad vrbium aut pagorum vsus necesse fuerit, stadiis tribus remotos esse. Porrò illud est obseruatione dignum, quæcunque hactenus de rebus huiusmodi cauta sunt, in iis duntaxat intelligi qui noui aliquid aggrediuntur. Nam si aut chartæ sint veteres, aut

b Hos videtur γαρέψας appellare ἀπὸ τοῦ γάρου quod est liquamen ex pisce.

præced

præcedens aliqua seruitus, iis vtendum quæ antè super eiusmodi rebus pacta conuentáque fuerint.

DE DOMVVM EXTRVCTIONE. DE FENESTRIS IN PLANO AEDIFICIO, QVOD decem pedibus remouere debeat, qui huiusmodi construit.

EOS qui in vrbibus, planis locis ex integro domos excitant, à vicino aut vicinis decem pedibus distare oportet. Licétque eis fenestras quoquo voluerint modo in illis facere. Porrò fenestras, si quidem horreum est aut cella, liceat pro arbitrio aperire. Semel enim aliquando & non asiduè molesti erunt: quippe cùm horreum sit, quod asidua apertione non eget.

DE STABVLO.

SI verò sit stabulum, quod construitur, ianuam ex obliquo duntaxat ianuæ vicini, & ex aduerso, éque regione eius aperire liceat.

DE CAVPONA.

QVOD si caupona sit, aut alia quæpiam huiusmodi taberna, similiter quoque erit ianua à latere collocanda. Ne verò ei qui recèns domum ædificat, tugurium liceat aut [a] gramineos toros aut [b] storeas constituere, quibus in vico aut in foro potare volentes excipiat: sed intra ædeis duntaxat cauponæ vsum statuat. Neque item animal vllum collocet, aut præsepe faciat ad domum, quam recèns extruit: ídque propter damnum quod prætereuntibus ab animantibus semper imminet. Quòd si qui priùs ædeis habebat, dictarum quoque rerum stabuli, cauponæ ac similium iam olim causam ac ius habuerit, ne ab eo, qui recèns domum extruit, hæc facere prohibeatur: quippe cùm iam loco aut locis illis seruitus quæsita sit. Si verò antiquæ quidem sunt amborum ædes, sed eorum alter vsum sibi prior vicino parauit, & stabuli, & exterioris præsepis, & externæ animantium stationis, & extra ædes positæ cauponæ seu tugurioli, tum si præsens aduersarius, qui ex aduerso suas habet ædes, per totum decennium denuntiatione vsus non fuerit, aut absens per vicennium, non licebit ei, qui recèns hæc facere voluerit, ipsa aggredi. Iam enim in eiusmodi loci interuallo possessionem iam diu habenti seruitus est comparata. Neque tamen duo præsepia aut stabula aut cauponas liceat ibi facere.

a στιβὰς *exponitur ab Hesychio*, ἀπὸ ῥάβδων καὶ χλωρῶν χόρτων στρῶσις καὶ φύλλων, ἢ χαμαικοίτη.

b ψιάθια *idem autor exponit* τὰ ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐπὶ τῶν καθεδρῶν ἐπιστορνύμενα. *Sed hîc generaliter pro quibuscunque instratis sumito.*

DE LVPANARI.

AT lupanar neutri eorum comparare liceat, propter aliarum ædium ignominiam. Et hæc quidem in vrbibus. In pagis autem quod ad cauponas & alia id genus attinet, accommodatis proportionibus vtendum erit. Si enim boum stabula fuerint, tum distare oportet dimidio præfinitarum mensurarum: si cauponæ, dupla portione, non solùm propter damna mutua, sed & propter discrimen cui prætereuntes ab animantibus obnoxij sunt. Cæterùm il-

lud est intelligendum, neque in porticibus publicis neque plateis forensibus aut publicis vrbium viis licere animantium præsepe statuere propter transeuntium discrimina.

DE DOMVVM ELEVATIONIBVS. VTILE.

SI cùm vnius ædes iam diu duo habuerint tabulata, voluerit alius ædibus suis secundum tabulatum, quod anteà non habuerat imponere, liceat id quidem ei, dum decem pedes intermedios sinat: si quidem ambæ domus sibi inuicem proportione respondent, neque ab initio vna fuit altera prominentior. Neque enim rationi est consonum, splendidæ & sumptuosæ domui à vili & exigua, huiusmodi structuræ genere detrimentum inuehi, sed tum oportet illum contignationem, quam domui suæ imponit distantem dupla decem pedum portione efficere, sicque nouam habitationem facere, & fenestras ex aduerso alterius, siue domus ea ab initio fenestras habuerit, siue non habuerit. Et hæc quidem in vrbibus, vbi aut duæ aut tres aut eo amplius structuræ fuerint. At in pagis quotquot fuerint structurarum & contignationum ordines, satis semper erit decem pedum mensura.

DE IANVA AVT FENESTRA QVAE APERITVR, ALIENA DOMO IMMINENTE AC IMPENDENTE.

SI in ędibus ianua sit, aut minima fenestella, cui murus incumbat, & voluerit qui hanc ianuam habet aut fenestram, eas aperire aut ampliare, ne hoc ei propter impendentia vicini onera, facere liceat. Quòd si aut exigua impendente fenestra, aut obstructo muro substrato impendeat ianua aut fenestra, tum oportet eum qui subiacet, si fenestram aut ianuam aperire voluerit, ita aperire, dum faciat ne tantæ sit latitudinis, quantæ ea quæ incumbit, sed ex vtraque eius cum aperitur parte sinat ex aduerso incumbentis ianuæ aut fenestræ digitos vtrauis ex parte sex. Hoc verò ita faciat, vt incumbenti, scripto caueat, si quid intra menses duos cum aperiuntur fenestræ, paries detrimenti acceperit, pręstaturum se damnum vniuersum: atque intereà colligamenta ac superliminaria suggeret is qui fenestras ianuásve aperit.

DE PERMVTATIONE PICIS SEV BITVMINIS ET COLVMMAE.

QVOD si in supposito muro bitumen fuerit, qui incumbentis ferat onera, velítque is qui subiacet & bitumen habet pro eo columnam statuere, hoc ei facere concedatur, si modò eius loco substituat columnam, cuius dimetiens mediam partem habeat latitudinis bituminis erasi: vt si bitumen duos habebat pedes, habeat dimetiens statuæ quæ eius loco erigitur, cubitum[a] vnum. Quòd si incumbens bitumen habet, & pro eo volet columnam imponere, liceat & hoc ei, dum columnæ colligamentum substernat, nó minori crasitudine viij digitorũ. Hoc enim demũ erit tutũ & stabile opus.

a Videtur legendum pro πῆχυν, πόδα pedem.

DE

DE IANVA QVAE APERITVR IN COMMVNI AVLA.

SI in ædibus ianua ſit quæ ad vnum atrium ducat, & voluerit illarum ædium dominus per hoc atrium in aliud commune in quo ianuam habet, alteram quoque feneſtram facere, hoc quidem ei liceat, dum priùs antiquam obturârit. Itidem ſi in communi atrio ſit horreum vnam habens feneſtram, aut ad forum aut intrinſecus ad atrium ſpectans, ſi alteram aperire voluerit feneſtram, liceat & hoc, modò antiquam obſtruxerit. Neque enim æquum eſt aut ex vna aula, alteri per eaſdem ædeis inſidias strui, aut ex horreo vel officina, communi atrio per apertam feneſtram inſidias fieri.

DE STILLICIDIO[a].

SI quis in vrbe iam à vetuſtis temporibus ſtillicidium habeat proiectum vel in plateam fori, vel extra forum, velit autem & vicinus nouum proiicere ſtillicidium, ſi quidem ille feneſtras habet in iam factum ſtillicidium inflexas, tum ei quidem licebit ſtillicidium facere, ſed quod ab altero ſemotum ſit decem pedum menſura.

[a] *Ἐξώστην, alij mænianũ vertũt. Ego malui ſtillicidium cum Iacobo Curtio apud Theophil. Inſtitu. de actionib. §. æquè. reddere.*

DE FENESTRIS QVAE IN CAECO MVRO APERIVNTVR.

QVOD ſi cæcus ſit murus ex aduerſo alterius feneſtras habentis ex tranſuerſo proſpicientes, velit autem qui cæcum habet murum feneſtras aperire lucidas, hoc ei facere liceat, ſed ita vt à domus ſuæ veſtigiis abſint tribus cubitis cum dimidio. Quòd ſi tranſuerſas aperire voluerit, id ita faciat, vt qui è regione ædeis habet, viginti diſtet pedibus. Ita enim ſatis magna erit diſtantia, ne ſibi inuicem verbis inſidientur, mutuóque vtrinque habitantes corrumpant. Si quidem in tranſuersè inſpectantibus feneſtris, pedes viginti intermedios eſſe oportet in contignatis ædificiis.

Sciendum [b], in planis quidem ædibus, decem pedibus abeſſe à vicino oportere, atque ita feneſtras faciendas, vt ſuprà eſt præſcriptum. At in tabulatis xx pedibus, ſi quidem has tranſuersè reſpectantes facere voluerit, vt hîc præcipitur.

[b] *Videtur eſſe ſcholium ad proximi dicti explanationem.*

DE AEDIFICIIS ALIENO MVRO QVI RECENS IN LOCO PLANO AC VACVO FActus fuit proximis.

SI ab initio atrium erat, cui alterius cuiuſpiam vacuus locus adiaceat & annexus ſit, velítque hic domum planam aut etiam contabulatam antiquo muro connectere, ſi quidem cęcus ſit vetus ille paries, ei qui vacuum habet locum licet in quantam libuerit ſublimitatem ædeis ſuas tollere, ſi modò ſuperextruens dimidiam conceſſerit muri partem. Quòd ſi tectum aut tecta in eo non habeat, ſed ad ſuſtinendum tantum facit, qui verò olim extruxit, tecta habet ſeu contignationes, tunc eum oportet qui locum poſſidet vacuum tertiam parietis partem exhibere, prout ab huiuſce rei peritis, huius ſumptus æſtimatus fuerit.

DE

DE ARCVBVS.

QVòd si antiquus paries arcuatus sit, ædibus aliunde lumen non admittentibus, atcúsque ipsi iam à decennio sint in pariete, tum eum qui recèns ædificare parat, à dicto pariete distare conuenit tribus cubitis cum triente.

DE LVMINIBVS.

SI verò ædes lumina habeant, & altera ex parte arcuatæ non sint, tunc arcuum diutina possessio nihil oberit, sed poterit qui nouam extruit domum, eam adnectere vicinæ domui, quæ in sublimem editúmque locum est sublata.

DE AQVAEDVCTIBVS.

SI porrò fluxerint ab initio in dictum vacuum locum aquæductus, cum paries nec vllas habeat fenestras, nec arcus, & voluerit loci vacui dominus ædificare, id ita ei facere liceat, vt aquas pro suo iure excipiat, & aquæductum producat propter parietis damnum. Quòd si fenestræ erant iam olim in eundem vacuum locum prospectantes, tunc eos vti par est legibus antea de fenestrarum ratione præscriptis.

DE ASCENSV.

ENimuerò si vacui loci dominus vicini ædeis in ædificando occupârit, & propius ad eas accesserit, si quidem is qui iam olim ædificium habet, quotidianum habeat ascensum ad ædeis, tum non liceat ei qui recèns ædificat, quotidianum ascensum in tecta sua facere, idqúe propter mutuas insidias. Quòd si voluerit & is qui ex nouo ædificat, ascensum in ædibus suis facere, tollat supra vicinum quatuor cubitis & dimidio. Satis enim fuerit altitudo hæc ad mutuas prohibendas insidias.

ITERVM DE ASCENSV.

SI autem qui ab initio ædeis habebat, quotidianum ad tabulata sua ascensum non habet, & vacui loci dominus ædificans antiquis tabulatis sua iungere voluerit, liceat ipsi dum quotidianum sibi ascensum parat, propugnaculum aut parietem quendam in suis tabulatis construere altitudine trium cubitorum inter partes, ne vicini tabulatis molestus sit. Túmque & alteri liceat, si libuerit, quotidianum in tabulata sua ascensum facere, dum sumptuum in propugnaculum factorum partem alteram persoluat.

DE AEDIVM SEV TABVLATORVM INSTAVRATIONE.

SImiliter & in ædium instauratione pro vario vsu impensæ persoluuntur. Si quidem extendendarum duntaxat vestium & pannum refrigerandorum causa, refundatur domino tertia sumptuum pars. Si verò in tuguriis aut etiam extra tuguria æstate ibi dormiunt, dimidia pars instaurationis domus. Quòd si tabulata & contignationes alicuius sunt, qui subtus habitet, alius verò eorum habet vsum fenestris in ipso tabulato apertis, oportet eum qui tabulati

vsum

vſum habet, ſumptuum duas partes exoluere, eo qui ſuppoſitas habet ædeis tertiam quæ intereſt partem in ædium refectionem conferente: Itidémque in tabularũ & aſſerum permutatione, eo qui ſubiectum tenet locum & cuius eſt contignatio, trabes & cætera ſuggerente. Ne verò ei qui ſupernè habitat, & maximè in hyeme onera liceat imponere, vnde labefactetur ac vitietur contignatio. Quòd ſi teſſellis ornandum ſit tabulatum, tum eum qui ſuperiorem locum tenet, quíque aut teſſellis aut marmore tabulatum vult expolire oportet trabes ipſas, aut velut faſciolis & colligamentis, aut [a] frontibus quibuſdam firmare ac munire, idque ſuis ſumptibus.

[a] *Διατόνους appellãt parietes perpetua craßitudine vtraque parte frontatos, qui maximè religando confirmant parietum ſoliditatem. Autor Vitruuius libri ij. ca. viij. Vbi de Græcorum ſtructura pertractat.*

DE INSTAVRATIONE COMMVNIS AVLAE PARIETVM, ET SVMPTVVM RATIONE quos incumbentes in his facere oporteat.

SI commune ſit atrium diuerſorum hominum, diruendúſque ſit murus, & tabulata variorum ordinum extruenda, aut duo, aut tria, aut quatuor, quicunque fundamentis incumbunt, & qui primum tabulatũ habitat, & qui cætera deinceps, ſumptus in fundamenti reparationem quiſque pro ſublimitate ſui tabulati, conferant ac communicent. Verbi cauſa, ſi ſimul omnes adnectantur, inuenientur parietes cubitorũ viginti. Singuli itaque pro rata ſumptus exoluent. Vt ſi primi tabulati altitudo ſit cubitorum quatuor: ſecundi ſex: tertij, decem: in reficiendis fundamentis qui primam tenet contignationem altam quatuor cubitis, quintam ſumptuum partem præſtabit: qui ſecundam ſex cubitis ſublimem, tertiam [b] ſuggeret: qui tertiam quæ eſt cubitorum decem, ſumptuum ſemiſſem miniſtrabit. Quòd ſi pro aggere ſubterraneo qui in fundamento ſtrui ſolet, ſit primi ſitus paries, vt ſæpe accidit, ſublato in fundamentorum rationem vnius cubiti dimidio & ipſi qui primam colit ſtructuram & cæteris incumbentibus, reliquum quod in plano ſitu eſt liceat, vt dictum eſt, facere, vt quiſque ſcilicet vſque ad trabes incumbentium ſuo in loco faciat ac ædificet pro arbitratu ſuo, eo qui incumbit trabes compingente & coagmentante. Si verò primi quidem ordinis murus, diſſolutione egeat, alij incumbentes minimè, tunc vnumquenque impendentium oportet murum ſuum appendere & annectere, eo qui primum ſitum tenet ſuum diruẽte, ac rurſum inſtaurante ad contignationem vſque. Itémque oportet eum qui ex prima ſtructura incumbit, locum colligamentis & trabium connexioni, deprehenſum & exploratum relinquere.

[b] *In Græco exemplari ſubiungitur καὶ δέκατον, quod exiſtimo abundare.*

DE REFECTIONE MVRI VESTIBVLI.

SI verò tabulatorum omnium murum diſiici ac dirui opus ſit, vnumquenque oportet contignationem ſuam adnectere. Cæterùm ſi veſtibuli ſit murus, aut incumbentis tranſitus, tunc annexam veſtibulo domum conuenit mediam ſumptuum partem ſuppeditare, quin & eos qui veſtibulo vtuntur, ratione habita & domeſticom

rum, qui domos quasque incolunt, & molestiæ quam quisque alienis ædibus facessit.

DE EXTRVCTIONE ET SVPEREXTRVCTIONE IN LOCO VACVO, ET DE CONTIGNATIONIBUS, quæ in ipsis fiunt, quanam ratione eas fieri ac dirigi oporteat.

SI cum nudus sit locus aliquis incumbens, voluerint huius domini in eo extruere ac superexstruere, vt si infimæ quidem sedis quis est dominus, secundæ alter quispiam, tertiæ ac cæterarum deinceps alius atque alius, siue casu fortuito, siue quòd ipsi hæc ita comparârint, in ędificando quidem oportet rationem haberi eorum qui alias sedes tenent. Quòd verò ad contignationes attinet, si hæ, quemadmodum dictum est, nouæ sint, neque iam ab initio factæ, suam quisque contignationem faciet ad vallum vsque & munimentum. Si verò iam compactis & erectis contignationibus, quæ in primo situ est dirigenda sit ac restauranda, Cæsareæ quidem iam inualuit illa consuetudo, vt suum quisq; tabulatum eo, quo dictum est, modo faciat. Ascalone autem, vt dimidia ex parte incumbens & suppositus. Nos verò quod medium est & consentaneum perspicientes, eum quidem qui inferiorem partem tenet, duas in tabulato partes oportere præstare dicimus, eum verò qui incumbit vnam, vt sit bes & triens. Si autem supremum tabulatum, quod ædibus annexum est, instauratione opus habeat, tum sanè qui supremum locum tenet totum efficiet tabulatum: ita tamen vt simul omnes qui ædibus vtuntur sumptuum partem in tabulis & clauorum confixione, habita sedis quam quisque tenet ratione, conferant. Quòd si in tabulatis vina, legumina, & id genus fructus reponunt, qui supernè habitant, contignationis bessem dabunt: qui verò infernè, reliquum trientem. Vtetur autem quisque tum in publicis priuatisque porticibus, tum in subdiali [a] obambulatione suis ædibus proiectis ad dimidium vsque murorum, quibus sua domus à vicini distinguitur.

[a] *Vbi Græcum exemplar habet παραδρομήσει, putârim legēdum περιδρομήσει. Nam & περιδρόμιδας Vitruuius autor est Græcis appellari hypæthras ambulationes, quæ Romani xysta vocant, in quas per hyemem ex xysto sereno cælo athletæ prodeuntes exercentur. Vitruuius lib. v. c. xj. & lib. vj. cap. x.*

DE RESTAVRANDIS PVBLICIS PORTICIBVS, QVIBVS PRIVATAE AEDES INCUMBUNT & ADIACENT.

PORRO si porticibus adiaceant & incumbant ædes priuatæ, siue planæ siue contabulatæ, & indiguerit publica porticus instauratione ac directione, agnoscere oportet ac præstare in proiiciendis statuendísque columnis, & trabe quæ columnis imponatur, officinas quidem partem dimidiam propter asiduum quem in ea habēt vsum. Multum enim ac frequentem vsum habet in porticu officina. Item & eos qui porticui incumbunt partem dimidiam, propter onera porticui imposita. Porrò qui planis ædibus incumbit, & in iam dictam porticum respicit, indemnis atque immunis esto, vt qui neq; vllam facessat molestiam, neque quicquam percipiat commodi,

modi, ſed eius potiùs proſpectui & luminibus officiat porticus. Quòd ſi dictæ porticus tecta, refectione & reparatione opus habeant, tum officinam quidem oportet dimidiam ſumptuum partem agnoſcere: huic ſuppoſitum & ad porticum ſpectantem, ſextam: Innitentem verò aut innitentes porticui, reliquum trie̅tem. Nam ſi ſemiſſem quidem impenſarum ideo qui habet officinam agnoſcit & conferre tenetur, quòd identidem porticu vtatur. Qui verò huic ſubiacet, ſextantem præſtat, quòd porticus beneficio, imbre non madefiat. Porticui denique incumbens aut incumbentes trientem exhibent, propter moleſtiam quam porticui faceſſunt. Sciendum porrò illud eſt, ſi quid vitij colu̅næ porticus publicæ, aut capiti aut baſi aut denique toti ſtructuræ ad bitume̅ vſque acciderit, teneri fiſcum hæc ſuis ſumptibus reparare.

DE MEDIANA IANVA.

SI aulæ trilateræ mediana [a] ſit ianua, vno quidem ex tribus lateribus medianam ianuam amplectente, altero verò ad aliam aulam ſpectante, & aula illa quæ vnum latus tenet nullum habente vſum in mediana ianua, hæc aute̅ mediana ianua repurgatione aut alio quopiam eguerit, indemnis eſto quæ ea non vtitur. Si verò vniuerſus aulæ quæ mediana ianua non vtitur murus diſſoluendus ſit ac reficiendus, cum multi ſint in ea domo ſitus, nequaquam par eſt eum qui medianæ ianuæ vſum habet, omnes ſtructurarum ſumptus ſed ſolius fundamenti conferre, & quidem ad quatuor vſque cubitos partem dimidiam, propter id quod circunclusum eſt ac præfinitum.

Similiter & in [b] ſtabulis. Si enim ſtabulum nudum ſit, ædificia autem huic annexa diſterminent ſtabulum & alterius aulam, tum ſanè oportet aulæ dominum omni ex parte murum ſuum inſtaurare, conferente & ſtabuli domino in ſtructuram quę fundame̅tis ſuperſtruitur, vſque ad quatuor cubitos partem dimidiam. Munimenti ſiquidem & ſepis hoc ſpeciem habet. Obſerua autem oportere eos qui ſimul alterius aulæ murum attingunt, extructum vt iura diſiungat eorum, certum quid contribuere.

a Μεσαύλων. Huius vocis meminit Vitruuius lib. vj. c.x. Inter hæc, inquit, periſtylia & hoſpitalia, itinera ſunt, quæ meſaulæ dicu̅tur, quòd inter duas aulas media ſunt interpoſita. Noſtri autem eas andronas, &c.

b Fortè ἐπαύλεις hoc loco cubicula intelligit aulæ annexa.

DE VETERIS DOMVS INSTAVRATIONE.

IVBEMVS, ne [c] qui veteres ædeis reficit, formam ac ſtatum ædificandi antiquum prætergrediatur, neque aut luminibus aut vicinorum proſpectui officiat, niſi fortè eiuſmodi ſeruitutem habet pacto ſibi aut ſtipulatione conceſſam, aut quæ priſcam ædificiorum rationem immutare ſibi pro arbitratu permittat. Quiſquis enim eiuſmodi ſeruitute tutus fuerit, poterit abſque vllo impedimento quæ voluerit conſtruere, quamuis obſit vicinis, quando nimirum hoc ſibi pacto vel ſtipulatione licitum ſit. Vbi verò duæ domus contra ſe inuicem ſitę ſunt, oportet inter eas duodecim pedes intereſſe, quorum initium ſumatur ab ædificio quod fundamentis incumbit, ſeruentúrque ad ſummum vſque domus faſtigium. Hoc enim ſer-

c Huc fac. quæ Imp. ſcribit l.j. C. de pri. ædif. & Vlpianus l. qui luminibus. de ſer. vrb. præd.

uato interuallo, cuique in immensam sublimitatem [a] licet ædeis suas tollere, prospectoriásque in eis fenestras facere, siue recens ædificare, siue veteres ædeis, aut incendio absumptas instaurare voluerit.

DE [b] PROSPECTV.

IN hac felicissima ciuitate, si quis ad vicini prospectũ, duodecim dũtaxat pedes postulet, ne prohibeatur directò mare prospicere, in propriis ędibus aut stans aut sedens, neque cogatur sese in obliquum quò mare prospiciat deflectere. Si verò inter binas ędeis sit centum pedum interuallum, liceat ei qui voluerit absque impedimento ædificare, prospectúmque in mare vicino præripere. At si quis ex coquina, aut secessu, aut scalari loco, aut ex basterniis hoc est diuerticulis quæ dicũtur, & viis mœnium, habet in mare prospectum, eiusmodi prospectum etiam is qui intra centum pedes ædificat, liberè aufert, vel si decem solùm pedes inter binas ædeis fuerint. Quòd si pactum quoque est ædificationem alicui permittens, valeat ac ratum sit pactum, quanquam alioqui vicino in maris prospectu officit, siue ille ipse qui nunc ædium est dominus fuerit pactus, siue qui ante eum ædeis tenuerunt. Neque enim æquum est quas quis habet seruitutes, generalibus amitti legibus. Prospectus [c] in mare qui intra centum pedes est, non directò solùm sed & obliquè, opere nouo præcludi non potest. Hoc enim præsens ædificandi forma adnectit, Zenonis constitutionem seruans & Nouellam interpretans.

DE MARIS PROSPECTV.

VISORIA facultas cùm inter omnes sensus acutissima sit ac celerrima, vel ex longissimo interuallo vim suam & actum exerit. Quò fit vt de ea non sit facilè ac temere quicquam statuendum, sed certæ sint præscribendæ mensuræ quibus stetur. Tres enim prospectus leges traduntur, maris, hortorum, & publicarum chartarum. Quas omnes, ædificaturis citra vllam præfinitionem iniungunt. Prospicitur etenim mare ex millibus sæpenumero quadraginta, & vltrá. Prospicitur hortus, plantæ ac nemora è viginti millibus. Prospiciuntur & publicæ chartæ è cubitis non minùs ducẽtis. Quòd si his prospectibus stemus & acquiescamus, nulla certè domus, pagus aut vrbs condi excitaríve queat. Sunt & alij prospectus non recti, sed obliqui & coacti, quos sanè prospectus non dixerim. Oportet itaque eum qui maris prospectui inter ędificandum officit, recto & non obliquum situm habenti, ab eo distare qui prospectum habet rectum & non obliquum aut coactum, & si quidem portum videt ac litus siue omnino in pago siue in vrbe ad nauium stationes absolutum portum non habente, in totum huiusmodi prospectum neque impedire neque præcludere. Magna enim his spectandis est animi oblectatio. Si verò vlterius etiam mare spectat, nullum hunc prospectum cẽsemus. Nam & è quadraginta, vt dictum est milliaribus, maris altitudo prospicitur, neque æquum est ex tanto interuallo, ędificare volentes impediri.

a l.altius.C. de seruit. & aqua.

b Quid inter prospectum & lumen intersit, docet Paulus l.lumen.de ser.vrb. præd. Porrò iis quæ hoc loco traduntur consimilia statuit vlt. No. quæ in Græcis exẽplaribus est περὶ ἀπόψεως.

c Idem in d. No. vlti. περὶ ἀπόψεως.

DE

DE PROSPECTV HORTORVM ET PLANTARVM.

HORTORVM quoque & plantarum locus ex suprà dicto prospicitur interuallo. Neque prorsus impedimentum est iis afferendum, qui ex tanta intercapedine ędificare voluerint. Sed eum qui ab hoc prospectu quenquam sit prohibiturus non temere oportet prohibere, sed à pedibus quinquaginta.

DE PVBLICAE SCRIPTVRAE ET PICTVRAE PROSPECTV.

TANTO interuallo abesse oportet eum qui ædificaturus sit, & publicæ scripturæ prospectum vicino prærepturus, quanto quippiam ex ibi descriptis aut pictis historiis, percelebre spectari potest, vt si quis ipsam spectans picturam agnoscit, & ex suis ædibus depictos videt Achillem, Aiacem aut eiusmodi quępiam. Tum enim potest eum prohibere, qui se velit huius picturæ prospectu fraudare. Si verò neque eorum quæ ibi sunt depicta quicquam notum est ac celebre, neque quisquam eam videt historiam, quam ex eius prospectu voluptatem capiat qui ædificantem prohibet?

DE ASPECTV IN ALIENAS AEDEIS.

CVRIOSI quidam ac inuidi prohibere eos nituntur, qui domos extruunt, vnde in ædeis vicini pateat aspectus: Id quod neque legibus cauetur, neque ex veterum ędificiorum ratione colligere licet veteres hanc iniuriam putasse. Videmus enim omnes ferè domos se inuicem spectantes. Nulla enim veteres illi inuidia laborabãt. Quocirca neque nos damnum vllum in tali aspectu esse censemus. Vnusquisque igitur ex iis qui hoc incommodi loco ducunt, vicino quidem more suo ædificare permittat, ipse verò suas muniat & ita obstruat ędeis, ne spectari possit: idque vel apertis, qui dicuntur, cancellis, vel sepibus, vel vtvt aliter libuerit. Neque enim propter alterius damnum, æquum est quenquam sua munire ac obstruere.

DE MONTIVM PROSPECTV.

PROSPECTVM in montes prohibere nemo potest, vt Papinianus tertio quęstionum libro, nouissima tituli quęstione dixit. Habet autem Zenoniana [a] constitutio, si centum pedibus absit vicinus, non prohiberi eum qui ædificare velit, quòd maris prospectu priuetur. Id quod & ad montem protrahere possumus. Nam & montis aspectus iucundus est, vt maris. Porrò ex similibus [b] similia sunt statuenda ac decidenda. Et hęc quidem memorię & commonitionis causa sunt adducta. Quòd si pręter iam dicta inciderit aliquid, ex similibus spectabuntur similia. Damna itaque certa & explorata, neque inuidię nomine inuecta & conficta tollere oportet, illud diligenter aduertendo num quicquam vicino aut ei qui ex aduerso habitat incommodi afferatur. Atque ita omnia inter homines ex æquo iudicabuntur.

[a] *Nou. vlt. in Graco exemplari.*

[b] *l. neque leges. cum duab. ll. seq. de legi. & sen.*

DE SOLARIO SEV MOENIANO.

SOLARIVM, qui à nonnullis ἐξώστης [a] dicitur, quisquis sibi construere voluerit, si quidem proxima sint priuata ędificia, illud facere cogitur, decem pedibus à priuatis ędificiis distans. Si verò propinqua habeat ędificia publica, ab illis absit oportet solarium quod construitur, quindecim [b] pedibus.

DE SEPIBVS AMBITVVM, VINEARVM, ET REMISSORVM LIBERORÚMQUE LOCORUM.

VINEARVM & ambituum sepes & aliena sola, in quibus nulla sunt ędificia, item & vicinorum loca aëri exposita, sex duntaxat pedibus à se, eos qui proximè ędificare velint, repellũt. Quoties intermedio angiporto vel platea suam domum quis extruit, etsi duodecim pedes excedat angiporti aut plateæ mensura, non tamen quod superest auferat, vt propriis ædibus adnectat. Neque enim in publicum detrimentum duodecim [c] pedes constitutio finiuit, sed vt ne duodecim pedibus angustior esset aër inter ædificia interiectus. Vbi verò amplior vici aut plateæ mensura reperta fuerit, nihil omnino ex ea adimatur, sed ciuitati iura sua integra seruentur. Si verò cum antiqua sint ædificia, liber & purus aër inter ea, decem pedibus arctior reperiatur, nemini præter veterem ædificiorum statum ac formam liceat suas ædeis in sublime tollere, aut fenestras facere. Si tamen decem sint pedes intermedij nec pauciores, tum prospectorias quidem ædificanti fenestras facere non liceat, nisi priùs eas habebat. At per quas lucẽ admittat, licebit, ita vt à sex soli pedibus aperiantur. Ne verò quisquã falsum solum in suis ædibus faciat, vt ita factam lucis admittendæ causa fenestrã efficiat prospectoriam.

DE [d] FENESTRIS LVMEN IMMITTENTIBVS, QVAE INTERVALLO decem pedum fiant.

DE SOLARIIS QVAE IN VIA FIVNT.

SI decem [e] pedum tantùm sit angiportus, nemo solaria faciat. Quę verò facta sunt, decem absint à solo pedibus, neque subtus columnas habeant lapideas, aut ligneas, aut etiam muros, quibus aut aër pręcludatur, aut publicę viæ damnum aliquod impedimentúmve afferatur, neque scalæ fiant in angiportu, aditum ad solaria & ascensum exhibentes. Inde enim minùs ex [f] ignis calamitate, detrimenti inuehetur. Nemo prohibetur [g] altiùs tollere ædeis suas volens, nisi fortè sibi ipse altiùs non tollendi seruitutem imposuit.

Seruitutem [h] communibus ędibus imponere, vnus sociorum pręter alterius voluntatem non potest. Cæterùm [i] prospiciendarum arborum & hortorum seruitus obseruari non solet. Ex nudo [k] & vacuo loco altiùs tollere nemo prohibetur. Si [l] collapsam do-

a Sup. ἐξώστην verti stillicidium, sed hoc loco necessariò mœnianũ seu solarium indicat quod extrà promineat. Porrò mœniani in iure sæpe fit mẽtio, vt l. pe. C. de ædif. priuatis. vnde quæ hoc loco dicuntur, sumpta sunt. Item l. ij. §. cũ quidam. ne quid in loco publ. Quid autem sit mœnianum pulchrè docet Bud. in l. si verò. de iis qui deiece. vel effud.

b l. cui loci. C. eod.

c Videtur legendum pro δώδεκα, δέκα: decem, vt apertum est ex seq. & ex iis quæ tradit d. l. pen. C. de ædific. pri.

d Videtur titulus superioribus præfigẽdus, ad illa verba, Si verò cum antiqua sint ædificia.

e Huc facit l. suprà citata penulti. C. de ædific. priuat.

f Nam alioqui si ex his incendium vel insidias vicinitas reformidet, maximè si mœnibus vel publicis operibus cohæreãt, dirui prosternique iubet l. ædificia. C. de ope. pu.

g Cuius enim est solum, debet & ei cælum quod supra id est liberũ esse. l. vlti. § pen. quod vi aut clam. & l. vlti. de seruit. l. altius. C. de seruit. & aqua.

h l. vnus. et l. si vnus. de seruit. rust. præd. & l. ij. de seruit.

i Facit l. ædificia. de seruitut. vrbanorum prædiorum.

k Huius exemplum habes l. vltima. in princip. de seruit.

l l. qui luminibus. de seruitu. vrbanorum prædiorum.

mum instaurans quis, altiùs tollere voluerit, sed ita vt vicinorum luminibus officiat, aut aliquid aliud contra eorum faciat commodum, cogitur & formam & statum antiquorum ædificiorum veterémq; habitum seruare. Cuius ędes[a] iure seruitutis superiora sunt, in potestate eius est in immensum eas tollere, dum tamen inferiora vicini ædificia non grauiori seruitute oneret, quàm pati deberent.

DE APERTIONE VESTIBVLI.

NON rectè[b] quis vicinum prohibet, ne ianuam in publico, intra suum ex tegulis stillicidium aperiat, dum ne vicini aut publico itineri officiat. Priuata[c] ædificia decē absunto pedibus à publicis, vt nec ædes publicæ periclitentur, neq; quicquam in posterum ab illis timeant. Qui in publico[d] loco ædificans contra ornatum commodum ac decoram ciuitatis faciem opus nouum facit, illud diruat, neque in huiusmodi re, præscriptione iuuetur, ne si[e] princeps quidem facultatem ei ædificandi dederit. Qui fenestrarum[f] quibus lumen immittat ius non habet, non potest cæcum parietem aperire, vt in eo fenestras faciat.

DE EO QVI IN ALIENO EXTRVIT AVT SVPEREXTRVIT.

SI[g] quis meis ædibus cœnacula superstruxerit, horum dominium acquiro, propter regulam quæ dicit, superficiem[h] solo cedere. Sed & si in meo solo quis ædificet, meum fit ædificium, quandiu in suo statu manet. Nam si dirutum fuerit, potest qui ædificauit materiam vendicare, siue bona siue mala fide ædificârit. Qui[i] cœnacula habet, potest supra sua quantum vult imponere, modò ne cœnacula supra vires oneret.

DE TECTORIIS QVIBVS ALIENVS MVRVS ILLINITVR.

SI[k] vicinus parieti meo tectoria aut picturas induxerit, rectè cum eo ago vt ea auferat. Neque[l] furnum, neque focum potest quis secundum communem parietem facere, vnde ignem paries cõmunis possit concipere, flammáque torreri. Si[m] quis casseariam tabernam fecerit, ex qua fumus immissus superiora ædificia habitantibus officiat, possunt qui læduntur iure eum prohibere ne fumum immittat, nisi fortè iure ei aliquo fumum immittere concessum est. Sed & contrà, si qui superiora tenent, aquam effundant, aut stercus quídve aliud deiiciant, vnde iis incommodetur qui humiliora colunt, hoc quoque ne faciant prohiberi possunt. Hactenus enim in suo quicquam facere licet, vt alij detrimentum non afferatur. Idémque in graui aliquo odore sentiendum.

DE MVRI INCLINATIONE.

SI paries[n] tuus semipedem in ædes meas propendeat, & sese inclinârit, possum tecum agere vt eum erigas. Si quis[o] in alienis ædibus per vim fenestram fecerit, cogitur suis sumptibus ædeis pristinæ

a *l. cum eo. & l. cuius. eo. Neque enim iniuriam facere videtur qui iure suo vtitur. l. si in meo. de aqua plu. arc. & c. cum ecclesia Vulterana. iuncta glo. ad verb. iniuriam. extrà de elect.*

b *l. vlt. §. vlt. de serui. vrban. præd.*

c *Hoc & suprà ex l. si cui. & l. pen. C. de ædific. priuat.*

d *l. præscriptio. de op. public.*

e *l. ij. de prec. imper. offer. & l. vlt. si contra ius vel vti. pub.*

f *l. pe. & l. si inter te. in fin. de seruit. vrbanorum præd.*

g *l. si supra. de acqui. rer. do. l. ij. C. de rei vendic.*

h *l. adeò. §. ex diuerso. de acq. rer. domi. & §. ex diuerso. instit. de rer. diuis.*

i *d. l. cuius. de seruit. vrb. præd.*

k *Facit in simili specie l. quidam Hiberus. eod.*

l *Facit & d. l.*

m *l. sicuti. §. Aristo. & l. fistulas. si ser. vendic.*

n *l. si cum meus. & l. si quando. eod.*

o *l. si quid. & l. altius. C. de seruit. & aqua.*

a l. fistulam. in fi. de ser. vrb. præd.

stinæ formæ restituere. Scalas[a] ad parietem communem statuere possum. Nullum enim damnum inde posit subsequi, cùm & hæ facilè auferri posint.

DE RATIONE TORRENTIVM, FENESTRARVM, ET ARCVVM.

OBSERVATA est ea ratio torrentium, in aquis pluuiis quæ ab initio in torrentes excrescunt, & in vacuum alterius locum diffunduntur, vt ad cubitos duntaxat tres cum triente exspatientur. Eatenus siquidem præfinita est torrentium euagatio. At arcuum & fenestrarum ratio suprà definita est. Sciendum tamen illud est, talis muri, eum qui torrentes, fenestras aut arcus habet, dominum non esse, neque [b] ipsum oportet in adiacentem vacuum locum ingredi, sed soli id licet domino instaurandi muri causa. Neque rursum loci [c] vacui dominum oportet ad murum illum aut rigare aut plantare quippiam, sed iis mensuris acquiescere, quæ suprà in plantis præscriptæ sunt. Porrò aquarum incommodum, non mediocrem affert vicinis iacturam: vnde & de his quæ occurrerent, aliqua ex parte dicere operæpretium duximus.

b Pro ὅτε in Græco exemplari videtur legendum μήτε.

c Pro τοίχου, τόπου puto in Græco legẽdũ.

DE TVBVLO, AQVAEDVCTV ET EVRIPO.

EVM qui velit tubulum, aquæductum aut euripum in horto vel alio quopiam loco instituere, curare oportet, vt à vicini muro distet vno cubito, propter putredinem quæ ex aquę fluxu inducitur. Quòd si nullus sit vicinus paries sed ager, liceat ei quoquo pacto libuerit, in suo facere.

DE LACV.

QVI in suo lacum vult facere, hunc faciat oportet à vicini fundamentis sex cubitis cum besse distantem. Hoc enim satis est interuallum, ne congesta aqua in murum vicini deferatur.

DE LATRINA.

SI quis latrinam aut paludem recèns in suo facere voluerit, si quidem constructus sit latrinę murus vicino adiacens, seiungendus est à vicini muro tribus cubitis, atque ita murus construendus qui capiat, nec minus crassus sit vno cubito. Cæterùm aut tabulata aut ærea latrinæ stagníve [d] lacuna, quæ est ad iam extructum parietem, ad dimidium vsque cubitum protendatur. Latitudo verò eius sit trium cubitorum cum triente, propter fossorum operam & aquę effluxionem. Quòd si iam defossus sit latrinæ stagníve locus, tum à vicini muro, latus illud latrinæ quod vicinum spectat semouendum erit sex cubitis cum [e] triente, sicque effodiendum. Quòd si progressu temporis defossæ terræ locus dictam trium cubitorum & trientis mensuram planè occupârit, tum cogatur ille murum eum cuius suprà meminimus, erigere. Atque hæc quidem vbi adiacent ædificia. Si enim vicini loca vacua sunt, præfinitarum mensurarum satis erit dimidium. Cæterùm si ex vtraque parte sint latrinæ, dent operam vt duob

d Τέλματα exponit Hesych. τὰ πηλώδη καὶ τελευταῖα τοῦ ὕδατος.

e In Græco exempl. est κε'. sed puto legendum γ', ex eo quod mox subsequitur.

vt duobus intermediis cubitis à se inuicem distent.

DE VNCTORIIS SEV LAVACRIS.

QVI in atrio lauacra non habet, vult autem sibi facere secundum parietem cum vicino communem, faciat oportet ex parte sua muri communis ad lauacra murum latum ac amplum, crassum non minus cubito & besse. Idémque & de cuniculis seu cloacis dicendum. Ita enim incorruptus permanebit & indemnis communis paries.

DE CLOACIS.

OPORTET autē in cloacarum extructione aut refectione construendi rationem, à se inuicem in atria & in ædeis sumi. Vt si ab atrio exeunt cloacę, huius dominus ea restituet, & sumptibus suis faciet quæ ad cloacas attinent, quoad ad alterius atrij ductum peruentum sit. Similiter & in iis quæ deinceps subsequuntur vsque ad publicum tubulum vel cloacam. Quòd si longiùs ab vltima aula distat publica cloaca, ipsum quidem nouissimum atrium sumptus præstabit, habita præcedentium ratione, & quod reliquum est, in reliquas quoque aulas conferetur pro ratione magnitudinis. Cloacarij canales ita repurgandi sunt ac reficiendi, vt à propriis quisque incipat donec ad aliorum dominorum loca peruenerit. Et si fortè per hortum transit cloacarius hic canalis, effodiet horti dominus terram quæ irrigatur, & quos ipse posside t canales repurgabit, vnde sane mirus & in morem vnguenti suauissimus ordor horti dominum permulcebit, putredine ex huiusmodi horto sublata. Similiter & si quid fortè necessum fuerit, testas, fistulas aut canales innouare, quisque à propria fistula initium ducens instaurationi operam dato, quoad pertigerit ad alterius vicini fistulam.

DE CLOACA.

QVI voluerit ex cœnaculi lauacro cloacarium canalem planum facere, hunc oportet in suo faciat, neque cum aliis muris communicet. Quòd si iam occupata fuerit seruitus, vnde muro vitium aliquod & labes accidat, tum is qui canalis vsum habet, in muri sumptum, duplum conferet. Similitérque dicendum de canalium, pluuias aquas in lacus immittentium constructione. Cæterùm, vt vno verbo dicam, nullus canalis [a] aut tubulus sordidarum aquarum ex ædibus in plateam aut forum aut publicam porticum aut vicum pertineat & effluat, neque in vllum, vt breuiter perstringam, publicum transitum, tam in ciuitate quàm in pago: ídque propter damna quæ ex his, prætereuntibus accidunt.

DE FOSSA.

QVI in lato aliquo aut vacuo loco, aut stabulo fossam, aut quid eiusmodi facere velit ad vicini murum, caueat ne terram aggestam ad parietem proiiciat, ne [b] damnum aliquod ei qui vicinas habet ædeis ex eo contingat. Aggesta siquidem & in tumulum ere-

a Huc pertinent quæ in tit. de cloac. scribuntur.

b Neque enim quicquam licet secundū alterius vel communem parietem facere, vnde paries madescat aut aliquid aliud vitij contrahat. l. fistulam: de seruit. vrb. præd. & l. si quando. §. vlti. si ser. vend.

cta terra, & facilis erit expugnatu vicini domus, & collecto humore in terræ cumulo, aut etiam aquis pluuiis inundantibus facilè vitium contrahet vicini murus. Quòd si necessitas ea ingruerit vt fossam ad vicini murum facere cuipiam concessum sit, ne ibi per longum tempus relinquatur terra effodiendo aggesta, sed per paucos dies. Ita enim exiguo tempore nulla vicinum murum putredo inuadet. Cauebit autem diligenter ædibus suis vicinus intra paucissimos illos dies. Porrò si agger aliquis eius parieti qui ædeis habet admotus sit, ne vicino locum habenti vacuum, eum remouere liceat.

Nemo [a] potest secundum alterius parietem, sterquilinium facere, nisi hanc sibi seruitutem habeat. Nemo debet terram in damnum vicini, secundum eius fundamenta effodere. Hinc enim non mediocria discrimina ædificiis impendent. Sed ita defodienda terra, vt distantia mensurarum antè in stagnis, lacubus & latrinis præfinitarum seruetur. Quòd si forte vicini fundamentis alia quoque recèns admouere & applicare voluerit, nequaquam ei vltra vicini fundamenta terram licitum erit effodere. Simul enim cum effossione vetera ruerent fundamenta.

[a] *d.l.si quando.§.vlt.*

DE STIRPIBVS.

STIRPIVM plantatio non æqua proportione, & quæ magnitudini respondeat ab ædibus distans, non vulgaria ædificiis damna affert. Dum enim radices eiaculantur, aut etiam vt crescant rigantur, murísque aut ædificiis aut fenestris, maximéque torcularibus aut hortorum euripis propius adhęrescunt, non mediocriter incommodant. Nam & parietes è fundamentis trudunt, furti ansam per fenestras præbent, vmbram eis faciunt qui contignationem aliam ædibus volunt imponere, quin & torcularia hortorúmque euripos impetu suo frangunt ac ebibunt. Vnde cuicunque plantas conserere in animo fuerit, curet vt his mensuris à vicini distent ædibus. Si vitem quidem plantare voluerit priùs non consitam, absit sex cubitis cum besse. Si malum aut malum punicam, eiusdémque magnitudinis arbores, decem. Sycomorum, platanum aut alnum, & quæ his magnitudine pares, viginti. Quòd si & his obseruatis mensuris, stirpium rami vicinis ædibus impendeant, ædium illarum dominus fructus [b] ex ea percipiet arbore, quatenus in suas ædeis aut tabulata propendet. Frutices autem & arbusta tribus cubitis cum triente. Quæ verò sunt holeracei generis, quæque coloni opera non indigent, vt cinaræ, petroselina, rosæ, & cætera id genus, quæ agricultura, vt dictum est, non egent, etiam ad parietem conseri possunt. Cæterùm ea rigare & colere liceat quidem prædij domino, verùm ea lege vt cubitorum trium cum triente interuallum iam definitum accuratè custodiat. Et hæc quidem vbi quis stirpes ab initio consitas non habuerit. Si verò iam olim sint plantæ consitæ, idque in nudo ac vacuo loco, & eius areæ dominus de integro inibi ædificare voluerit, nullus iam erit vsus eorum quæ de mensu-

[b] *Ast l.j.de arb.cæd. quo minùs illi eam arborē adimere sibiq; habere liceat, vim fieri vetat, qđ referente eo loci Vlpiano, Labeo interpretatur permittiet cui arbor officiat, vt si velit succīdat eam, lignáq; tollat.*

ris pręfinita sunt. Sibi enim ipse opus nouum nuntiabit, non ei quispiam alius, sibíque ipse ascribet, si qua ex plantis damna consequantur.

Si quis [a] publicum locum, aut viam, aut fontem ad alienum agrum, effodiendo statuat, terminum ne excedito: si murum, pedem relinquito: si domum, pedes sex: si sepulchrum aut scrobem, quanta est eius profunditas, tantum spatij relinquat: si puteum, vlnam, si necdum anteà vicini eo loco puteus erat, ísque nouo lædatur opere: Oleam & ficum nouem ab alieno prædio pedibus conserito: cæteras arbores [b], quinque.

DE ARBORIBVS.

SI vicini arbor in media area posita, magnis actis radicibus [c], domus meæ fundamentis periculum afferat, cogatur prætoris seu magistratus prouidentia vicinus eam excidere. Arbor [d] alienis ædibus officiens, ex stirpe excidenda est. Quæ verò agro nocet, eius rami circunciduntur, si altiùs à terra quindecim pedibus sese extulerint.

DE AQVIS.

DE aquæ [e] pluuiæ inundatione actio tum demum competit, cum quis opus in proprio agro facit, etiamsi publicum interueniat. At si quis in publico opus fecerit, cessat. Sibi enim imputet, qui damni infecti cautione sibi non prospexerit. Aqua [f] in agrum alicuius influens eíque nocens, ac propterea opere aliquo ab eo repulsa ne iam refluere possit, si ex eo quòd repulsa est, exundans alteri nocuerit, restituenda est aqua pristino alueo ac fluxui, & qui opus illud fecit, quo aquam repelleret, opus demoliri cogitur ac sinere aquam more suo fluere, etsi maximum inde detrimentum accipiat. Si flumen [g] in rem meam & ne mihi noceat auertero, & inde sit effectum vt tibi noceatur, mecum pluuiæ arcendæ agere non potes, neque item fundi seruientis [g] dominus, cum eius cui seruitur vt aquam recipiat, nisi tamen vltra modum [h] læditur. Si [i] cui aqua pluuia damnum dat, aquæ pluuiæ arcendæ actione auertitur. Est autem aqua pluuia, quę de cælo cadit, etiamsi cum alia mixta sit. Habet porrò locum hæc actio, quoties manu facto opere nondum aqua nocuit, sed nocitura speratur. Quòd si nullo facto opere natura fluens aqua noceat, nullus est huius actionis vsus. Si vicinus [k] vetus opus tollat, & aqua ex eo naturaliter fluens inferiori agro noceat, non est locus aquæ pluuiæ arcendæ actioni. Semper enim ea inferioribus prædiis seruitus incumbit, vt ex superioribus natura profluentem aquam excipiant. Omnino si propter id opus sublatum vehementior aqua profluere aut deriuari cœperit, locum habet. Non licet [l] vicinis opus facere, vnde lacus vel stagna accessionem aut decessionem faciant. In omnia [m] competit opera manu facta aquæ pluuiæ arcendæ actio, nisi agri colendi causa aratro factũ sit. Non

a Hæc eadem constitutio ex Solonis legibus adscribitur à Caio. l. vlti. finium regund. paucis hoc loco adiectis.

b d. l. vlt. fin. regund. pro πόδας πέντε: legitur, δύο πόδας. Sed & plerique locum illum ita putant emendãdum, vt noster habet Constantinus.

c Quod enim de ramis prætor interdixerat. l. j. de arbor. cæd. id & ad radices ex simili protrahendum esse docet imperator, cum nec per arboris occasionem vicino oporteat nocere. l. j. C. de interdict.

d d. l. j. de arb. cæd.

e l. ij. §. vlt. l. si in publico. de aq. plu. ar.

f l. j. §. j. & §. Neratius. e. Annecte §. pe. l. ij. qui pugnare videtur. Sed eum quod constitutione seq. dicitur, satis declarat. Fa. l. si quid pars. C. de ser. et aq. l. ij. §. pen. eod.

g d. l. ij. §. vlt.

h

i In omni enim inferioris ad superiorẽ seruitute illud est cauẽdum, ne grauiori seruitute inferior oneretur, quàm pati possit aut debeat. l. seruitutes. §. stillicidium. & l. cuius. de ser. vrb. præd.

k l. j in prin. et §. j. eo.

l l. j. §. sed & si vicinus. eod.

l l. vicinus. in fi. eod.

m d. l. j. §. de eo opere. & §. item Sabinus. & §. in summa.

licet[a] manufacto opere cursum fluminis immutare. licet tamen in sua ripa opus facere, ne agris flumen noceat. Si fons[b] ex quo quis aquam solitus erat ducere, cum per aliquod tempus exaruisset, denuò ad suas venas redierit, cœperítque iterum ex eo aqua fluere, renouatur ei seruitus, restituitúrque ducendæ aquæ ius, quemadmodum priùs habuerat. Aquæ seruitus si ita constituta sit, vt quis ea, parte[c] aliqua temporis duntaxat vtatur, aut vno mense, aut alternis annis mensibúsve, duplicatur non vtendi tempus. Idem & de itinere custoditur. Si verò alternis diebus vel horis, vel vna hora quotidie, vel die tantùm, vel nocte tantùm, legitimo[d] tempore amittitur. Vna enim est seruitus. Si in communem riuum[e] reficiendum vnus sociorum impensam fecerit, actionem habet aduersus alterum pro eo duntaxat quòd res communis sit, ad sumptum recuperandum quem fecit. Si quis[f] tibi ius hauriendi in aqua sua permiserit, cogitur vel inuitus & itineris seruitutem tibi concedere: si quidem alia via iure haustus tibi vti non liceat. Non licet[g] cuiquam canales vel fistulas secundum communem parietem facere aut iungere, vt per eos aquam ducat. Qui[h] seruitutem habet appellendi pecoris ac pascendi in agro tuo, potest & seruitutem illam sibi parare, vt in eo tugurium faciat. Qui per alienum fundum aquam ducit sciente fundi domino, seruitutem in eo fundo præstituto tempore hoc[i] est triennio sibi comparat. Quòd si ante hoc tempus elapsum prohibitus à domino sit aquam per fundum ducere, non potest ab eo sumptus in aquæductum factos postulare, imo verò & ipsius aquę fit dominus idem qui & soli, quādiu constiterit. Eo siquidem rupto, materiam suam potest[k] antiquus dominus vendicare. Si antiquus[l] possessor ne aqua per prædium duceretur prohibere non potuit, neque qui nunc emit prohibere poterit. Rem enim cum suo onere[m] emisse videtur. Inferiores[n] agri tacitam debent superioribus seruitutē, vt ex ipsis profluentes aquas excipiāt, hoc onus & incōmodum alio lucro pensantes, quòd omnis terræ pinguedo ad eos decurrat. Tria sunt[o] per quæ inferior fundus superiori seruit, lex, loci natura, & consuetudo seu vetustas. Si secundum agrum tuum[p] aquæ riuo ducendæ ius habeam, seruitutem hanc tacitè iura hæc sequuntur, vt riuum possim reficere, exire & adire tam ego quàm fabri mei ad aquæductum reficiendum. Debes insuper mihi spatium relinquere, quo per tuum fundū à dextra & sinistra ad riuum eam, & in quo terram, lapides ac materiam quæ ex aquęductu sublata fuerit, reponam, itémque calcem & arenam ad riui instaurationem. Si partem[q] agri vendens, pactione cauerim vt per eam, in reliquum agrum meum aquam ducerem, & legibus

a l.j.§. Lal eo. de flu-minib. & l.j.§. sunt autem. ne quid in flu. publ.

b l. vnus ex sociis. §. vltim. cum l. seq. de serui. rustic. præd.

c Ego pro μέρει legendum putârim θέρει æstate, sicut legitur l. si sic. quēadmo. ser. amit. Idē l. vlt. C. de seruit. & aqua.

d Legibus statuto, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes.

e l. pro socio. §. si tecum. l. si fratres. §. item si in communem. pro soc. fac. & l. quibus. eodē. Sed ibi non est locus societatis iudicio, sed familiæ herciscundæ, aut communi diuidundo.

f l. iij. §. qui habet haustum. data re aliqua data censentur & ea sine quibus res fieri non potest. l. ij. de iurisd. omnium iud.

g l. fistulam. de seru. vrb. præd.

h l. veluti sub fin. de ser. rust. præd.

i Videntur hæc verba abundare, cum hîc quoque sicut & in cæteris soli rebus decennij aut vicennij tempus requiratur testāte Accur. l. ij. C. de ser. & aq. in gl. ad verb. quæsitis. Neq; eo loco ab imper tēpus exprimitur. putârim itaque verba illa τοῦτ' ἐστι τῷ τριετεῖ: expungenda. Facit pro nobis l. penul. C. eodem.

k per l. ij. C. de rei vend. vt suprà diximus.

l l. via. § si fundus. de seruit. rustic. præd. l. iij. C. de seruit. & aq.

m Res semper cum sua causa transfertur. l. alienatio. & l. si aquæductus. de contrahend. empt. l. cum fundus. commu. præd.

n l. j. §. penult. & vlt. de aqua pluuia arcend. l. ij. in princ. eod.

p l. refectionis. sub fin. commun. præd.

q l. si partem. in princ. quemadmod. seruit. amitta.

statutum

ſtatutum tempus interceſſerit antè quàm riuum facerem, ius mihi integrum permanet. quod ſi fecerim, nec tamen vſus ſim, amittitur.

DE FLVMINE.

SI[a] flumen inter duos agros labes tuum inquam & meum, paulatim & abſque vllius ſenſu agro meo terram adiecerit, vt intelligere quis non poſsit quantum quóque momento temporis noſtro agro acceſſerit, haud dubiè quod per alluuionem agro meo adiectũ eſt, meum fit. Quòd ſi vis & impetus fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & meo appulerit, palam eſt, id quod meo ſit additum in tuo dominio permanere. Neque enim id ita factum eſt, vt à nemine deprehenſum fuerit. Si aqua[b] quam per tubulum aut canalem ducere ſolitus ſum, vſque ad locum aliquem duntaxat feratur, nec per totum aquæductum ſeſe protendere dignoſcatur, corrupto ſcilicet canali, interea illæſa ſeruatur & permanet per vniuerſum aquæductum ſeruitus.

DE SERVITVTE.

SERVITVTVM[c] aliæ in ſolo, aliæ in ſuperficie conſiſtunt. Si quis enim aut lata via, aut anguſta quę vnum duntaxat capiat, per alienum agrum trãſire, aut aquam ducere poſsit, ſeruitus hæc ſoli dicitur. Vbi verò aut tignorum in ædes vicini immittendorum, aut aquæ ex tegulis effundendæ, hoc eſt ſtillicidij, aut oneris imponendi ius habet quiſpiam, ſuperficiaria nominatur ſeruitus. Conſtituuntur autem & firmantur ſeruitutes aut pactionibus[d], aut temporis diuturnitate, vt decennio[e]. Seruitutis[f] etiam genus eſt, aquam ex alieno fonte ducere. Non conſtituitur[g] eiuſmodi ſeruitutis genus, vt mihi in meis ædibus focum ignémve accendere, ſedere aut lauare non liceat. Vnde & ſi talia pacta conuentáque ſint, iure ipſo nulla ſunt. Si quis[h] ædeis vendens emptori ſimpliciter & vniuerſim dixerit ſeruas eſſe ædeis, neceſſe non habet liberas tradere. Vnde etiamſi eas hactenus ſeruitute non onerârit, poteſt ipſis ſeruitutem imponere, verùm[i] ante traditionem, vt vel ſuis hoc eſt venditoris vel alienis ædibus ſeruiant. Sin autem venditor expreſsim & ſpeciatim dixerit huic vtpote Titio ædeis ſeruas fore, atq; illi ipſi[k] ſeruitutem conceſſerit, nullam habet controuerſiam. Non licere cuiquam[l] fumum ex officina coriaria[m] aut balinei fumario fumum in vicinum immittere, & ſterquilinium aut aquam deiicere, ſeruitutis genus eſt. Si tibi[n] ſeruitutem debeam, ne ædificem, & ædificâro, pręterierítque ſtatutum tempus, perit tibi ſeruitus illa quę tibi in me competebat, temporis interuallo. Si eam[o] mihi ſeruitutem debeas, vt ne tibi liceat altiùs ædeis tuas tollere, ne mearum luminibus officias, quæ per feneſtras meas immittebãtur, ego verò cui huiuſmodi ſeruitus deberetur, per decem aut viginti annorum ſpatium feneſtras meas præfixas habuero, vel obſtruxero & obturâro, eóque habitu ac forma, tempore præſtituto feneſtræ manſerint, tum ſanè

a l. adeò. §. j. de acqui. rer. do. §. prætereà. inſtit. de rer. diuiſ. Idem habes & ſuprà eod. lib. ſpeciali tit. de flumo.

b Huc facit quod ſuprà eſt dictum ex l. vnus. §. vlti. iũcta l. ſeq. de ſer. ru. præ.

c l. iij. de ſeruit. Quã diuiſionem nonnulli eandem putãt cum ea quæ l. j. ponitur, quòd quædã vrbanæ ſint, quædam ruſticæ: ex l. certo generi. de ſer. ru. præd. Inſtit. eod. §. vlt.

d Inter præſentes, vicennio inter abſentes. l. pe. C. eod.

e l. j. de ſer. ruſ. præd. & l. ſeruitus aquæ ducendæ. eod.

f l. quoties. de ſeruit. & l. ſicuti. §. vlti. ſi ſer. vendic.

g l. ſi in venditione. commu. præd.

h Hoc aduerſus Accurſium facit, qui illud ante traditionem ad proximum tantùm pertinere vult, hoc eſt, vt vicino concedatur ſeruitus, cum hic autor ad vtrunque ex æquo porrigat.

i Si verò alij cõceſſerit, ex empto tenebitur.

k Hoc et ſup. diximus ex l. ſicuti. §. Ariſto. ſi ſer. ven.

l Alij fullonicã exponunt.

m Huc pertinet l. ſi ædes. de ſer. vr. præd. & l. iiij. §. vltim. de vſuc. Habes & idẽ l. vlt. in fi. C. de præſcript. lon. temp.

n l. hac autem iura. de ſer. vrb. præd.

mihi seruitutis ius peribit, si & tu ædeis tuas altiùs sublatas per hoc tempus decem inquam aut viginti annorum habueris. Ecce enim hac in specie nec ego seruitute sum vsus, vt qui occlusas habuerim obstructásque fenestras, & tibi ipse libertatem, altiùs sublatas ædeis habendo cōsecutus es. Vnde planè mihi periit seruitus. Quòd si cum per tantum temporis interuallum obstructas fenestras habuerim, nihil tu intereà noui feceris, hoc est ædeis tuas non sustuleris, integra mihi seruitus permanet, vt etiam si fenestras decem aut viginti exactis annis aperuero, tu verò altiùs ædificare volueris, possim te pro eo iure quod mihi etiamnum competit, prohibere. Si concessa [a] mihi fuerit seruitus, vt meas trabes aut tigna liceat tuis ædibus immittere, ac tuum parietem onerare, atque ita perforato muro tuo tigna mea imposuerim, posteà verò exemerim, nec per totum decennium iam factis foraminibus tigna imposuerim: si quidem ita manserint aperta foramina, vt erant cum tigna mea exemi, haud dubiè nullo tempore tibi libertatem acquires. Quòd si exemptis tignis ipse foramina occluseris & obstruxeris, ac eo in statu per totos decem aut viginti annos perstiterint, iam profectò libertatem quæsisti. Vsu enim cepisti huius rei dominium, ex eo quòd tanto tempore obturata habueris foramina. Alioqui si nihil noui feceris, sed foramina in eo statu reliqueris, quo erant antea, integrum semper ius mihi seruitutis permanet, volentíque mihi fortè post decem aut viginti annos, in parietem tuum mea tigna immittere, ínque eadem foramina, nihil omnino obstabit. Neque enim tibi ipse libertatem præscripsisti. Itineris [b] ad sepulcrum seruitus, temporis intercapedine, non vtendo nunquam amittitur. Qui [c] absque principali iussu ad vrbis præfectum misso, multos vicos aut horum partes suis ædibus incluserit, aut publicis porticibus aliquid detrahens in vsum priuatum abusus fuerit, absque vlla controuersia ciuitati pristina iura restituet. Omnis [d] seruitus & omnis vsusfructus, in iis qui non vtuntur, longi temporis interuallo, inter præsentes decennio, inter absentes vicennio extinguitur.

a Ead. l. ver si. item tigni.

b l. iiij. quemadmod. ser. amit.

c l. qui sine autoritate. C. de oper. pub. & l. si legatum. sub fin. ff. eo. Facit l. v. & l. nemo. C. eod.

d l. pen. C. de vsufr. & l. pen. C. de seru. & aqua. & l. vlt. in fi. de præscrip. lon. tēp.

DE MALAE FIDEI POSSESSIONE.

Non est malæ [e] fidei possessor, qui pretium numerauit.

DE BONAE FIDEI POSSESSIONE.

Qui bona [f] quidem fide emit, sed cum iam sciret alienum esse quem emerat fundum, in eo ædificauit, sumptus quidem non repetit: sed ei tamen hoc conceditur, vt sine dispendio domini areæ tollat ædificium quod posuit.

e l. nemo prædo. de regulis iur.

f l. Iulianus lib. viij Digestorum. de rei vendi. Adde l. seq. variè distinguentem, in eo qui in fundo alieno quem imprudēs emerat ædificauit, aut conseuit, qui deinde euincatur.

SCHOL.

Qui sciens rem alienam emit, malæ fidei [g] possessor propriè nominatur. & is fructus omnes quos anteà ex re percepit, imò vero & quosquos non ipse quidem sed verus [h] rei dominus percipere ac lucrifacere potuit, vna cum re, vero eius do-

g Quod satis ex l. bonæ fidei emptor. de verb. & rer. signif. à cōtrario colligitur.

h l. fructus nō modò. de rei vend. l. si fundum. C. eod. Concordat c. grauis. iuncta gl. ad verbum, fructus. extrà de resti. spoliat.

mino agenti ac euincenti restituit. Nec verò semper qui pretio dato sciens alienum emit, absolutè malæ fidei possessor est. Si quis enim [a] cum multos haberet creditores, velletque eos fraudare, fundum mihi suum vendiderit, qui scirem ab eo in fraudem creditorum distrahi, non planè malæ fidei possessor appellor, sed aliquatenus quidem vt eiusmodi possessor, incommodum percipio, in cæteris verò mihi fauetur. Quòd si intercedentes eius qui mihi rem vendidit creditores eā mihi eripiant, non quidem omnes fructus quos ex re percepi aut percipere illi potuissent, vnà cum re ipsis cogar restituere: sed eos quidem qui venditionis tempore pendebant (fortè enim vinea distracta fuerat, quæ eo tempore pendentes vuas habuerit) vt restituam damnabor, neque hos modò, sed & quotquot percepi ex quo creditores de re mihi vendita mecum sunt experti ac litem contestati. At medio tempore perceptos lucrabor. Itaque & malæ fidei possessor sum, etiamsi pretium dederim. & iure sanè. Pro eo enim quod venditor erat etiamnum dominus, neque quod vendebatur mihi planè alienum censebatur, medio tempore perceptos fructus nequaquam restituere teneor. Ex eo verò quod scirem à vēditore meo distractionem in fraudem creditorum fieri tanquam possessor malæ fidei condemnor.

a Vide l. ait prætor. §. si quis particeps. & §. per hanc. qui his aliquantùm pugnare videtur. Totam verò hanc rem fusissimè explanat l. vlt. §. non solùm. & seq. quæ in fraudem cred.

Si quis [b] cum alienum fundum imprudens bona fide emerit, in eo conseuerit aut ædificârit, iudex non temere sed variè personis causisque inspectis constituet. Personis quidem hunc in modum: si verus fundi dominus vt qui diues esset eadem erat facturus, & ędificaturus, aut agrum culturus, tum sanè eum damnabit, vt impensis redditis fundum recipiat, sed vsque eò duntaxat quò fundus pretiosior factus est. Et hęc quidem, si diues agri dominus eadem erat facturus. Quòd si fortè cū pauper esset, noluisset hæc facere, sufficit ei qui bona fide agrum tenet absque fundi incommodo omnia quæ fecit tollere, nisi paratus sit fundi dominus tantum possessori dare, quantū habiturus esset, si diruto ædificio, materiā venderet. Causis verò hoc pacto, si fortè fundi dominus receptum fundum mox venalem sit propositurus. Tunc enim etsi pauper est, non solam materiæ æstimationem est persoluturus, sed in id etiam condemnabitur, quo pretiosior est effectus fundus.

b l. in fundo alieno. de rei vendic.

Qui vult [c] iuxta alienam aream ædificare, id facere prohibetur, si eius dominum aliqua ratione lædat. Si per quinquennium [d] fundi mei seruitute non vsus, ipsum alteri vendidero, imputatur emptori hoc quinquennium, vt si is per alterum quinquennium seruitute vsus non fuerit, eam amittat. Nam ad consequendam quidē libertatem qua quis seruitute liberetur, tēpus legibus statutū in totum absolutū esse, ac per se cōputari volumus. Ad amittendā verò non vtendo, satis esse putamus si vel vnus per totū legitimum tempus vsus nō fuerit, neq; id curiosius exigimus, an vnus an verò plures vsi ea non fuerint. Cū via [e] publica aut terræmotu, aut fluminis inundantis impetu perit, vicinus proximus cogitur viam publicā per sua præstare. Omnia [f] terrestria, marina & aëria animantia protinus capientium fiunt, vnà cum eorum fœtu. Quod enim nullius est, primo occupanti conceditur. Insula in mari nata, primi occupantis fit. Fluuiatilis autem si in medio nata fuerit, ad eos qui vtranque ripam tenent pro modo latitudinis spectabit. Quòd si vni cuipiam propius accesserit, eius erit. Qui in litore ædificat, constructi ædificij dominus

c l. vlt. §. vlt. C. de ser. & aqua.

d l. ij. §. emptori. pro empt. §. inter venditorem. de vsuca. l. si quis alia. §. j. quemadmod. ser. amit.

e l. si locus. in fi. quēadmod. ser. amit.

f Quæ sequuntur omnia, ad Nouellas Leonis pete ex libri huius initiis, sub titulis de animantibus, de rebus in bello captis, & de insula. Illis enim locis leges, vnde omnia hæc excerpta sunt, indicauimus.

minus fit, qui verò in ripa, non item. Litus est locus vsq; ad quem hybernus fluctus excurrit. Itaque, & æstate vsque ad ea loca litus definimus. Si qui vbiuis gentium per alluuionem terram acquisierint, eius fiunt domini.

DE RVSTICANIS AEDIFICIIS,

NOVELLA CAESARIS LEONIS XXXVI.

SANCIMVS vt ij qui in animum inducunt noua in aruis ædificia excitare, si quidem loci facultas & latitudo patitur, duobus arcus iactibus à vicini finibus interuallum noui ædificij metiantur. Quòd si tantum non admittit regionis angustia mensuræ spatium, satis sit vno arcus iactu nouam structuram disiunxisse. Cæterùm intra præstitutum interuallum nemini facultas datur huiusmodi nouæ ædificiorum structuræ. Quadrat autem optimè hæc Nouella & illi, initio huius libri adscripto titulo, de possessione & dominio.

EIVSDEM NOVELLA XLVI.

VBI diuersorũ dominorum agri sunt inter se vicini, & hic quidem regionis situ superior est, ille subiectus & in plano constitutus, si superior reuulsa eius parte aliqua, aut cum plantis aut etiã absque his inferiorem, qui quod est [a] reuulsum excepit, operuerit, ne omnino inferioris agri domino liceat reuulsam prolapsamque materiam sibi tanquam suam vendicare, quòd suis finibus sit imposita, neque item superioris domino, cui ea reuulsio & fractura accidit, cum illo de finibus contendere, quòd reuulsa & ex suo prolapsa exceperit. Sed subiecti quidem agri dominus superioris domino potestatem faciat colligendi ac recipiendi reuulsas & prolapsas crustas, si fortè voluerit, siue consitæ essent siue non. Ille verò alterum horum faciat, vt aut accepta collectáque reuulsa materia, eius sicut & antea in propriis finibus positæ sit dominus, aut si hoc noluerit, abstineat omnino simul cum materia etiam finibus qui eam exceperunt, neque ei molestus sit, qui agro, quo sunt excepta reuulsa ac prolapsa, dominatur. Eadem locum habent & in ædibus vicinis, quarum vna superior, altera inferior est.

a De hac re vide l. hoc amplius. §. j. & §. Alphenus. de dã no infecto. & l. Iulianus. §. glans ex arbore. ad exhib.

DE MVNERIBVS, VECTIGALIBVS, ET COMMERCIO. TIT. V.



MVNERVM [b] quædam personis imponuntur, dicuntúrque personalia: vt cum quis labore suo ac cura angariam aut aliquod aliud seruitutis genus reipublicæ præstat: quædam verò prædiis ac patrimoniis, & patrimonialia dicuntur. Sunt autem hæc patrimonialia inquam, diuturniora & stabiliora. At personalia faciliùs immutantur, vt quæ cum personæ mutatione & interitu simul & ipsa intereant. Nemo potest [c] munus pecunia redim

b l. j. & l. munerum. quæ est vlti. de mu. & honor.

c l. in priuatis. sub fi. de pollic. l. cum te. C. de eo quod met. Fa. cit l. illud. C. x lib. de excus. mu. & l. æstimationem ff. de muneribus & honor.

redimere, hoc est pro muneris administratione, & ne illud obeat pecuniam conferre: vt cum quis propter indictam sibi publicam seruitutem, quò sese ab ea eximat, pecunias dare conatur. Hoc autem intellige, vbi corporale[a] & non patrimonij munus alicui est indictum.

Munus sustinenti imponi vel inferri potest & honor. Honorem verò sustinenti non defertur munus & rei agendæ onus.

DE ECCLESIA.

Ecclesiam[b] planè immunem esse oportet, nisi quòd ad pontis & viarum refectionem attinet. Quin & angariis[c] belli tempore subiacet. Ac tum & dignitates & domus angariis ac parangariis onerentur. Episcoporum clerici[d] à personalibus quidem muneribus excusantur, à patrimonialibus minimè. Omnes[e] ad portum, aquæductum, & murorum instaurationem conferant absque vlla cuiusquam ministerij aut dignitatis excusatione. Qui sedecim[f] habet liberos, ab omnibus muneribus eximitur. Pistores[g] nulli subduntor muneri: neque ipsi neque eorum iumenta, quò indesinenter & absque vlla interpellatione pani faciendo intenti esse queant. Armorum[h] fabricatores, archiatri, literarum magistri, & picturæ professores ab onere metatorum liberi ac immunes seruantor. Personis[i] data immunitas ad hęredes non transit. Quòd si generi aut posteris data fuerit, ad eos qui ex fœminis nati sunt non pertinet. verùm ex Nouella constitutione competit & iis qui ex fœminis nati sunt. In vectigalibus[k] ipsa prędia non personę conueniuntur. Pensitationes publicæ[l] non personis sed rebus indicuntur. Itaque prouinciæ præsidem oportet prospicere, ne quis vltra modum eorum quæ possidet tributa pendat.

DE IIS QVI LAPIDES INCIDVNT.

Si[m] qui in priuato loco lapides effodiendo cædant, decimam fisco, decimam domino exhibeāt, quod superest sibi pro incisione ac labore suo habeant. Quisque ex murilegulis[n] septendecim siliquas quotannis exoluat, non solùm in administratione Pontica, verùm & Asiana. Quicunque[o] tributis quibuslibet subiacēs ea postulatur, si trium proximorum annorum acceptilationes & cautiones producere potest, ne de superiorum retróque actorū temporum tributis conueniatur aut interpelletur. Qui per[p] viginti annos militauit, à sordidis muneribus remittitur. De præteritis[q] retróque non exactis tributis, nemo iam post quadraginta annos conuenitur. Mercimonia exercendi potestas omnibus[r] esto.

a Nam à patrimonij quidē oneribus eximuntur inopes, corpori autem indicta obsequia soluūt. l. iiij §. inopes. de mun. & honor.

b l. neminem. & l. ad extructiones. C. de de sacros. eccle. Concordat extrà c. non minùs. iuncta glos. ad verbum, sub tributo, de immu. eccl. Adde l. ij. x lib. C. de quib. muner. vel præstat. nemi. lic. se excus. l. sunt munera. ff. de vac. & excus. mun.

c Hoc Fridericus corrigit const. item nulla communitas. C. de epis. & cler.

d l. ij. & iij. de epi. & cler. C. Nā nec priuilegio aliquo subnixos vult l. vlt. §. patrimoniorum autē. à patrimonij muneribus excusari. fac. l. ij. & penè tot. tit. lib. x C. de mu. patr. l. his honor. ff. de vacat. & exc. muner.

e l. ad portus. C. de oper. pub. l. vlt. lib x de quib. mun.

f l. v. §. 3 demōstratur. de iure immu.

g l. vltima. de excus. tut.

h Hos fabricenses nominant. Habes hoc l. fabricensium. & l. archiatros. xij lib. C. de met.

i l. j. de iure immun. l. priuilegia. de regul. iur. Facit l. j. de mu. & honor non continu. inter patr. & fil. libro decimo C.

k l. imperatores. de public. & vectiga.

l l. ij. de anno. libro decimo C.

m l. cuncti. de metall. libro vndecimo C.

n l. per annos. eodem. vbi tamen septem scrupuli leguntur.

o l. penul. de apoch pub. libro decimo C.

p l. vltima. C. de iis qui non impl. stip.

q Hoc ipsum & in primo lib. dictum est titu. de actionibus, in ei subiecto titulo, de ecclesiasticis.

r Quod Theodos. & Hon. prohibent clarioribus & splendidioribus. l. iij. C. de commer. & merca.

DE LEGATIS.

a l.à legatis.C.de vectig.& commiss.

QVAECVNQVE [a] legati ab externis gentibus in obeunda legatione comportant & aduehunt, si quidem à gente sua ad Romanos, eorum nomine vectigalia pendant: si verò à Romanis ad suam gentem, ab omni vectigalium pensitatione quæ vehunt libera sint ac immunia.

DE EO QVOD OCCVLTE' IN TRIBVTI RATIONEM CADIT, HOC EST COMMISSO.

b l.ij.C.eod.

c Videtur Constantinus κομμέρκιον hoc titu. appellare, quod commissum dicimus.

d l.vlt.§.diui. de pub. vect.& com.

QVINQVENNIO [b] elapso non iam quærit fiscus id quod tacitè in tributum cadit, hoc est commissum aut commercium [c]: sed ne ante quinquennium quidem, cum res non extat, neque dolo supprimitur, sed fortè periit. Qui [d] per errorem & non per fraudem in causam commissi incidit, duplum præstat vectigal. Qui verò per fraudem, vt ne vectigal pendat, conuictus etiam rem ipsam quæ vehitur, amittit.

DE PARTIBVS EX PROFVNDO LOCO SVBVECTIS. TIT. VI.



e l.modios.de suscept. lib.x C.

SI AVRVM Aut argentum aut aliud quippiam ex profundo subuectum fuerit ex vlnis octo, consequatur eius dimidium qui id seruârit, propter profundi loci discrimen. Eorum verò quæ maris æstu in terram extruduntur, & ad vnum cubitum inueniuntur, seruatorum decimam partem is referat, qui ea seruauit. Sumant [e] susceptores frumenti quidem quinquagesimam, vini & lardi vicesimam, hordeorum verò quadragesimam. Porrò Armenij susceptores hordei quidem & tritici quadragesimam, vini & lardi quintamdecimam accipiant.

DE THESAVRI INVENTIONE.

f l.si is qui.in prin.de acq. rer.dom. Facit l.vnica. de thesaur. libro x C.

g d.l.§.vlt.

h l.iij.§.vlt. de iu.fis.

SI seruus [f] aut filius meus thesaurum inuenerit, si quidem in agro alieno, partem: si in meo, totum mihi acquirit. Si [g] in agro aut domo hypothecæ nomine mihi obligata thesaurum inuenero, partem debitori præsto: quod verò reliquum est ne si debitam quidem mihi pecuniam recepero, restituam. Si in locis [h] fiscalibus vel publicis, imperatoriis vel in sepulturam delectis, vel monumentis inuentus fuerit thesaurus, media pars fisco vendicatur. Qui verò partem ad fiscum pertinentem supprimit, totum thesaurum reddit. Deferre autem se nemo cogitur, qui thesaurum inuenerit, nisi ex eo pars fisco debeatur.

DE SPOLIIS.

i Facit l.si quid bello. cum iis quæ in eam obseruant doctor.de cap. & postlim.re.


QVI de [i] hostibus trophæa erexerunt, inuentorum, vt simile vero est, spoliorum sexta parte duntaxat fisco reseruata atq; exempta

exempta, quicquid superest ex æquo inter sese tam qui aliquo officio militari funguntur, quàm his subditi milites partiantur. Satis enim iis esse debet, qui bellicis muneribus funguntur, quòd ad ampliores gradus promoueantur. Quòd si qui ex iis qui militaria obeunt munera sese egregiè in prælio gesserint, & singularem exhibuerint fortitudinem ac strenuitatem, tum sanè duci potestas fiat ex iam dicta fisci parte in eos aliquid liberaliter conferendi. Cæterùm & is qui in castris [a] custos relictus fuerit, pro eorum parte quæ ex pugna comparata fuerint, nonnihil consequatur.

a *Τουλφοις habet Græcum exemplar. quæ sanè vox aliena est, nisi fortè τοῦφοις est legendum. quæ vox apud Hesych. exponitur ἐ-φος.*

DE IVRE POSTLIMINII.

TITVLVS VII.



QVI Armis [b] victi, hostibus sese dediderunt, ius postliminij non habent. Est autem postliminij ius [c], & pristini status & rerum amissarum recuperatio. Porrò transfuga [d] liber siue vir siue mulier ius non habet postliminij.

Transfuga [e] est, non is solùm qui belli tempore ad hostes defecerit, sed & qui per induciarum tempus, ad gentem cum qua nulla nobis intercedit amicitia abiit aut transfugit. Mancipium [f] bello captum in præda est, neque postliminio redit.

b *l postliminio. de captiuis & postli. re.*

c *l. postliminium. in princip. eod.*

d *d. l. §. transfugæ.*

e *d. l. § transfuga.*

f *l. si quid bello. eod.*

Sciendum nonnulla quæ huius essent tituli vij, in Vndecimum esse relata, quæ & illic si lubet quærito.

DE ADOPTIONE, VBI ET DE EVNVCHIS, ET DE MVLIERIBVS AGITVR. TIT. VIII.



EVNVCHI [g] Neminē adoptare possunt, cùm nec liberos procreare possint. Qui verò spadones dicuntur, vt qui aut natura aut vitio aliquo sunt eunuchi, adoptant. Hos etenim vbi vitio quo tenentur liberati fuerint, spes est posse liberos gignere. Si quidem spadonum [h] quidam spadones proprie dicuntur, alij thlibiæ, alij castrati. Et spadones quidem sunt qui ob vitium aut frigus quo tenentur genitalia membra prohibentur, quò minus prolem suscipere possint. Thlibiæ quibus à nutrice aut à matre forsan extriti sunt & elisi testes. Castrati verò quibus execta sunt virilia.

g *§. sed & illud. de adopt. instit. & ibi Theoph.*

h *Ad verbum, penè ex Theoph. d. §. Cæterùm nostri Iureconsulti spadonum nomen interdũ specialiter sumunt, vt Vlpian. l. iij. ad le. Cornel. de sic. interdum generatim, vt idem Vlpian. l. spadonum. de verb. & rerum sig.*

DE MVLIERIBVS.

MVLIER [i] ne principis quidem aut præsidis permissu quenquam adoptare potest. Adoptione enim nobis in liberos patria potestas quæritur. Hæc verò ne naturales quidem liberos in potestate habet. At lex naturam quoad fieri potest sequitur. Meritò itaque neminem adoptare mulier potest, nisi fortè principis munificentia hoc ei ad solatium amissorum liberorum fuerit concessum. Quocirca quæ liberos non habet mulier, ne rescripto quidem

i *§. fœminæ. instit. d. tit. & ibi Theophil. vnde hæc magna ex parte sumpta sunt.*

principali quenquam adoptabit. Nouella tamen Cæsaris Leonis decimaseptima, adoptandi potestatem etiam eunuchis facit ac mulieribus, & ex æquo omnibus adoptare permittit tam viris quàm mulieribus, siue habeant siue non habeant liberos, quin & si cælibem agere vitam instituerint. Ac non solùm à principe eum qui adoptare velit, sed & ab alio quouis qui quamque prouinciam regat & administret facultatem impetrare. Necesse [a] est eum qui aliquem adoptat, illo minorem esse. Est enim adoptio ad naturę imitationem instituta, quæ sanè id postulat vt pater filio maior natu sit. Oportet autem octodecim annis adoptantem antecedere. Id siquidem ætatis, plena dicitur pubertas. Nemini [b] pupillũ arrogare permittitur, nisi ei qui vel naturali cognatione vel sanctissima affectione ductus sit.

a *§. minorẽ. instit. eo.*

b *l. nec ei. §. j. ff. eo. Facit §. cum autẽ impubes. instit. eod.*

DE IIS QVI AD ECCLESIAM CONFVGIVNT. TIT. IX.



QVI Ad [c] ecclesiam confugiunt, vsque ad fines ecclesiæ qui ante publicum forum sunt, tuti sunto. Verùm armis ne se muniant. Seruus [d] cum armis ad ecclesiam confugiens, exinde protinus abstrahatur. Resistens verò summa vi arripiatur ac extrahatur, & si pugnans ceciderit, absque vlla noxa sit qui in eum inuasit dominus. Neque homicidis [e], neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus, quæ de terminorum cautione & tutela traduntur obseruabis, sed & inde extrahes, & pœnam meritam irrogabis. Quæ enim ex sacris cautio & immunitas competit, non iniuria afficientibus sed affectis à lege conceditur. Qui ad [f] sacram ecclesiam confugientem propria autoritate reuellit & extrahit, verberibus affectus ac rasus relegatur.

c *Huc facit constit. Theodosij impe. ix lib. Codicis Theodo. hoc eod. tit.*

d *l. iij. C. eod. tit.*

e No. de mand. *§. neque autem homicidis. Habes idẽ Deuteronomij, cap. xix. de eo qui casu quiue insidiis hominẽ occiderit. Item Numer. xxxv. & Ios. xx. & iterum Deuteron. iiij.*

f *Fa. huc l. ij. et l. vlt. C. de iis qui ad eccl. confug. Item c. reu. c. si quis contumax. c. diffiniuit. xvij. q. quarta.*

DE PERSONA POTENTI.

IVBET constitutio [g], eos quidem qui ad personas potentes vt liti patrocinium quærant confugiunt, causa cadere: eos verò qui aliquem in patrocinium admittunt, etsi senatorij sunt ordinis, extra eos quibus ordinariè pœna irrogatur, puniri. Si quis [h] in mutuo aut quo alio contractu ineundo, suo quidem nomine recusat cautionem, schedulam aut aliud instrumentum accipere, nomine verò potentioris cuiuspiam laborârit vt fieret instrumentum, debitum amittat qui hoc fecisse deprehensus fuerit.

g *Quam habes l. j. C. ne lic. pot patr. lit.*

h *Facit l. vnica. de iis qui poten. no. C.*

DE VSV SEV COMMODATO. TIT. X.



QVAE [i] Vtenda commodatóve dantur, aut res sunt mobiles, aut soli. Tenetur autem [k] qui hæc accipit, dolum vel culpam in his non admittere. Si quod verò in his damnum neque eius culpa neque dolo, sed fortuitò & vi quadam maiore acciderit, dominum respicit, hoc est in dominum ipsum redundat, non in eum qui rem vtendam accepit.

i *l. j. §. j. commod. & l. si vt certo. §. nunc videndum. eod.*

k *l. in rebus. §. vlt. instit. de loc. & cond. §. at is qui vtẽdum. quib. modis re contrah. oblig.*

Quòd

Quòd si commodatarius pactione [a] interposita expreßim sese præstiturum dixerit etiam quæ casu euenerint, valet pactio, & qui est pactus obligatur. Qui alienam [b] rem vtendam commodatóve accepit, rei domino pollicens se ea ad certum ministerij genus vsurum, postea verò in alium eam vsum transtulit, furti quoque tenetur: sique res damnum aliquod passa fuerit, in duplum eam reddit. Eadem condemnatione tenetur & qui vt ad locum aliquem proximum adiret accepto iumento [c], postea longius est profectus.

a l.j.C. de commod.
b d.l.si vt certo. §. sed interdum. cum tribus aut quatuor §. seq. eo. §. furtum autem. cum §. sequ. de obli. quæ ex del. na. institut.
c l. qui iumenta. de furtis.

DE EQVO.

QVI ad [d] certum præfinitúmque locum, vtendum accepit equum, si eum excesserit, cum de damno quod, vt credi par est propterea accidit aut morte teneatur, equi indemnitatem domino præstat. Quòd si intra præscriptum locum [e] damnum aut mors equo contigerit, commodati non tenetur qui equum rogauit, nisi fortè culpa eius aut dolo interueniente in id detrimenti equus adductus fuerit.

d d.l.si vt certo. §. sed interdum.
e l. vlt. eod.

DE AGRO.

COGITVR [f] qui vsumfructum fundi habet, eum colere. Ipsius enim est quicquid in fundo nascitur, quicquid inde percipi potest. Cum quis rerum [g] solum habet vsumfructum, proprietate alteri reseruata, quæcunque ex earum vsu & fructibus percipere poterit, necessarias duntaxat impensas vt res in suo statu persistant ac meliores fiant, continenter faciens, potest ad quoscunque libuerit transmittere, neque possunt eum proprietarij cogere vt de rebus eiusmodi præter voluntatem suam statuat. Ex [h] cellariis rebus, & penu quod in agro percipitur qui nudum habet vsum, quod in annum sufficiat, sibi capiat, licet & hoc modo omnia fortè præsertim in mediocri prædio consumantur. Qui ædium [i] vsumfructũ habet, sartatecta suis sumptibus præstare debet. Quòd si quid vltrà, in ædium instaurationem impenderit, id à proprietario reposcet. Vsusfructus [k] ciuitati relictus post centum annos extinguitur, quia is finis vitæ longæui hominis est. Si mihi gregis [l] ouilis vsus sit relictus, neq; lacte, neq; agnis, neq; ipsorum lana mihi vti licet. hæc enim in fructu sunt. Sed ad id solum mihi confert vsum ouium habere, vt agrum meũ ipsis eò ductis stercorare posim. Ouile siquidem stercus agros pingues ac fœcundos efficit.

f l. vsufructu legato. & l. item si fundi. in princ. de vsufru.
g l. arboribus. §. vsufructuarius. eod.
h l. fundi vsu legato. de vsu & hab. Facit l. plenum. eod.
i l. hactenus. de vsuf. & l. eum ad quem. C. eodem.
k l. an vsusfructus. eo. l. si vsusfructus municipibus. de vsu fructu leg.
l l. plenũ. §. sed si pecoris. de vsu & ha. & §. sed etsi pecorũ. instit. eod.

DE ALIENATIONE.

SI QVO [m] rei vsumfructum habente, voluerit proprietarius rem ipsam alienare, tenetur vsufructuario tertiam pretij partem cedere. Et rursum agro euicto cuius vnus vsumfructum alter proprietatem habet, si hunc ambo recipere volentes agri pretium offerant, tum vsufructuarius quidem æstimationis trientem, proprietarius bessem dabit. Id quod Magister in iis locum habere dicebat, qui per-

m De alienandi obligandíve iure quod proprietarius & vsufructuarius in re habent, vide l. ij. & l. vsufructu matri. C. de vsufr. & l. fundi Trebatiani. de vsufructu leg. & l. à liberto. in princ. de annu. leg.

petuum vsumfructum haberent, vt in ecclesia & sacris domibus: in temporariis verò aliter. Plenum vsusfructus tempus tricennio præfinitur. Si enim collatus fuerit bimulo, trimulo aut vicesimum annum agenti, vsque ad annum trigesimum computatur vsusfructus. ei verò qui annos triginta excessit, vsque ad sexagesimum. & quantæcunque ætatis ab annis triginta quispiam fuerit, quod reliquum est ad triginta [a] annos assumit: vt si fortè quadragenarius inuentus fuerit, viginti annos habet, & ita deinceps. Quòd si sexagenario relictus fuerit vsusfructus, quinque annorum duntaxat vsumfructum percipit. Quæ omnia ex lege Falcidia, vbi hæc fusiùs explicantur, distinguebat Patricius.

DE DONATIONE PROPTER NVPTIAS.

MVLIER [b] quædam iure id consequuta est, vt si secundò non nuberet vsumfructum haberet donationis ante nuptias, nimimirum vigintiquinque librarum. Cæterùm cum satisdare ex legum [c] præscripto non posset se eas filio seruaturum, maluit vsusfructus vigintiquinque librarum æstimationem accipere, atque adeò accepit. Cum itaque compertum esset eam esse quadragenariam, ex legis tenore trientem accepit vigintiquinque librarum, vtpote libras octo [d] cum aureis nummis xxiiij. Qui enim tricesimum annum attigit, dimidium pretij venditionis pro vsufructu consequitur. Porrò ipsa cum quadragenaria sit, propter decem illos annos qui xxx excedunt, deducto illius semissis triente [e] hoc est libris iiij, aureis xij, accepit, vt dictum est totius summæ trientem, octo libras, aureos xxiiij. Et rursum altera mulier cum quinquagenaria esset, cum quatuor librarum vsumfructum obtinuisset, maluit harum æstimationem habere, concessusque ei est semissis, hoc est duarum librarũ triens: propterea quòd quinquaginta anni [f] quadraginta nummos aureos cõficiant, hoc est decem annorũ vsumfructũ.

DE REBVS NAVTICIS.
TITVLVS XI.



NAVTICA [g] omnia, & quæcunque in mari controuersiæ incidunt lege Rhodia deciduntur, & ex præscripto legum Rhodiarum disceptantur ac iudicantur, vbicunque lex alia non extiterit quę Rhodiis aduersetur. Sunt enim nauticarum omnium legum, Rhodiæ vetustissimæ. Si nautę absque gubernatore nauigare sint ausi, & ipsorum quoque vectores mare absque gubernatore nauigent sicut nautæ, si naufragium patietur nauis vel etiam omnino peribit, tenebuntur vtrique & vectores & nautæ. Vectores quidem vt qui suam ipsi salutem neglexerint: nautæ verò qui sibi & vectoribus non prospexerint, secum adducto gubernatore. Nonnulli verò in eiusmodi specie nautas vt ab omni noxa immunes, absoluentes, solos vectores [h] teneri dicunt. Si nauis

---

a Ad annum sexagesimũ habet l. hæreditatum. ad legẽ Falcid. vnde hæc omnis sumpta, ... Sed in idẽ recidit.

b Huc facit l. hac edictali. §. his illud adiungimus. & §. pe. No. de non eligend. sec. nub. mul.

c l. vsufructu j. C. de vsufru. & tot. tit. ff. vsufr. quemad. ca.

d Habet enim libra lxxij aureos. l. v. de de suscep. lib. x C.

e Locus est subobscurus in Græco exemplari. Nos calculi beneficio perspicuè vertimus. Nam ex xij libris cum dimidia, qui est semis xxv librar. si trientem subduxeris, qui est iiij lib. aur. xij. supererunt octo libræ, aurei xxiiij.

f Iterum obscurus locus, & qui omnino restitutione egeat, quod fiet si in Græco exemplari ad μ adieceris ν', quod omnino supputandi ratio desiderat. Cũ enim duæ libræ, aureos complectãtur cxliiij, haud dubiè huius summæ triẽs est, xlviij aurei.

g l. ἀξίωσις (est enim lex illa Græca) ad leg. Rhod. de iactu.

h Longè secus l. item quæritur. §. si magister. loc. cui consonat quod scribitur l. qui petitorio. in fi. de rei vendi. Porrò qui nautæ dicãtur, habes l. j. §. nautã. nautæ caup. stabul. vt rec. restit.

uis[a] aut aliquod aliud nauigiũ, in alteram nauem impacta, eam obruerit, ſiquidẽ magna ventorũ vis eſt, atq; inde apparet nec dolo nec culpa gubernatoris aut nautarum qui in naui ſeruata, ſunt, nauem quæ perierit ſubmerſam eſſe, neque nautæ neque gubernatores de miniſterio ſuo tenebuntur. Quòd ſi non tanta fuerit ventorum vis cui nauis demerſio aſcribi imputaríque poſsit aut debeat, haud dubiè & gubernator & proreta & nautę hoc nomine conueniri poterunt. Nauta[b] ſi quid receperit, reſtituere ac reddere tenetur. Quòd[c] ſi ab initio recipere nolit, vt quid recipiat, à nemine cogi poteſt. Exercitores[d] ſi cum quolibet nautarum ſit contractum, non tenentur, ex delicto cuiuſuis eorũ tenentur. Qui magiſtrum[e] naui præpoſuit, hoc eſt qui ipſum deſignauit & magiſtrum creauit, tenetur ſi quid ille deliquerit. Dicitur autem magiſter Græcè πιςικὸς, cuius fidei res cõmittuntur. Ac propterea eũ qui dignus habeatur, cuius fidei nauis cuſtodia concredatur, πιςικὸν appellant, hoc eſt magiſtrum nauis. Cum exercitor aut magiſter à muliere naui præpoſitus fuerit, ſi quid is[f] deliquerit, tenetur ipſe non mulier. Emit quis[g] nauim cum inſtrumento (quam & ἐξαρτίαν hoc eſt apparatum lex appellat ſeu armamentum) iure non poteſt ex eiuſmodi conuentione, ſcapham quoque naui annexam quæ vulgò βάλκα[h] & κὀντελας dicitur, conſequi. Neque enim in nauis inſtrumento ſcapha connumeratur. Licet[i] nautis, venatoribus & militibus vi aliqua preſſis & in id diſcriminis adductis, vt ſeſe aliter explicare atque eripere non poſsint, alterius nauis anchoras ſalutis ſuæ cauſa præcidere, aut aliorum venatorum opera demoliri. Qui autem nulla vi preſſus tale quippiam admiſerit, tenetur cogitúrque damnum, ſi quidem[k] confiteatur, in ſimplum: ſi verò inficietur, in duplum præſtare.

DE COLLATIONE.

SI poſteaquam[l] in periculum nauis adducta ſit, contributio inſtituatur, res quidem amiſſæ quanti emptæ fuerunt æſtimantur, quæ verò ſaluæ ſunt, quanti venire poſsint. Hoc autem fit quò & damnum quoad fieri poteſt minuatur, & lucrum ampliùs propagetur. Ita enim vtriſque conſuletur, & iis qui iacturam fecerunt, & iis qui ſuas res ſaluas habent. Arbore[m] liberandæ nauis gratia cæſa, mercium fit contributio quibus eſt onuſta nauis. Si noua[n] nauis armamẽta[n] ab exercitore comparata ſint, collationi locus non eſt. Nauta ſi[o] quem ita percuſſerit, vt inde percuſſa corporis pars intumuerit, aut cui oculos effoderit, medici ſumptus perſoluit, & pro oculo quidem, duodecim: pro tumore decem mulctatur aureis.

DE NAVIGII IMPEDIMENTO.

SI quis[p] nauigio impedimentum obtulerit, vnde in diſcrimen aliquod qui in eo ſunt coniiciantur, aut incendium aut quippiam eiuſmodi, tenetur is damna præſtare qui impedimentum attuletit.

a *l. queadmodum. §. ſi nauis. ad legem Aquil.*

b *l. j. in princ. nautæ caup. ſtabul. vt rec. reſt. Nautæ nomine eum accipe qui nauim exercet. d. l. j. §. nautam.*

c *Fa. l. debet. §. j. eod.*

d *l. j. §. j. de exerc. act. & l. debet exercitor. in princ. nautæ caup. ſtabul.*

e *d. l. j. in princ. & §. j. de exerc. act.*

f *At ex contractibus eius tenetur mulier. l. etſi à muliere. C. de inſti. & exer. act. & l. j. §. parui. ff. de exercit.*

g *l. ſcapham. de euic. l. iij. §. armamẽta. de rei vendic. l. vlt. de fund. inſtruc. & inſtru. leg.*

h *Verba ſunt nobis ignota ſicut & pleraque alia in hoc volumine.*

i *l. quemadmodũ. §. itẽ Labeo. l. ſi quis fumo. §. quod dicitur. ad le. Aquil.*

k *l. inde Neratius. §. hæc actio. ad legem Aquil. l. cõtra negantem. C. eod.*

l *Fac. l. ij. §. portio. ad leg. Rhod. de iac.*

m *l. ij. §. ſi conſeruatos. in fi. l. amiſſæ. in fi. & l. iij eod.*

n *l. nauis aduerſa. eo.*

o *Vide l. vltim. §. hæc actio. cum ſeq. quæ huc aliquatenus facit. ff. nautæ caupon. ſtabul.*

p *Facit l. vni. ne quid oneri pub. impo. xj libro Cod.*

DE IACTV QVI IN NAVFRAGIO FIT, ET COLLATIONE ITERVM.

a l. ij. §. cum in eadẽ. & seq. ad le. Rhod. de iactu.
b Hoc & suprà ex l. ij. §. portio. eod.
c Hoc & antè dictũ est in titu. de partibus è profundo loco subuectis.
d l. qui leuandæ. & l. ij. in fi. eo. §. vlti. instit. de rer. diuis. to. tit. de incẽ. rui. nauf. Facit l. j. C. de naufrag. lib. xj. Concor. extrà cap. excommunicationi. de raptor. incend.
e Facit l. ratis. de incen. rui. naufr.
f l. item quæritur. §. si magister. loc.
g Facit l. Martius. cũ l. seq. & l. si fundus. in prin. loc.
h l. item quæritur. §. j. eo. & l. vlt. §. si ea conditione. ad legẽ Rhod. de iactu.

SI leuandæ [a] nauis causa factus fuerit mercium iactus, omnibus contribuentibus sarciuntur res iactæ, quin & nauis ipsa pro earum æstimatione contributioni subiacet, exemptis tamen liberis capitibus ac cibariis. Quoties[b] rerũ collatio fit, abiecta quidem non quanti venire potuerint æstimantur, sed quanti empta sunt: in rebus verò saluis non quanti emptæ sunt, sed quanti venire possint, haberi debet æstimatio. Cum ventorum vi ac tempestate [c] ingruente, rerum quæ in naui sunt iactura fit, & alij eas seruant, si quidem ex mari ab octo vlnis quis eas eduxerit & seruârit, alteram earum partem consequitur. Sin verò ex terra aut etiam ex mari ab vno cubito, decimam lucratur. Naufragio [d] in mari facto rem suam quispiã expulit & in mare proiecit. Non continuò si in mare abiecta est, pro derelicto habetur: sed & adhuc in dominio manet eius qui antea eam habuit. & si maris æstu in terram eiecta fuerit, potest eam vendicare dominus. Quòd si quis eam multo ante dominum tempore possederit, si quidem eam absque vllo discrimine nactus est, eius recuperandæ potestatem habet dominus, dum id rependat [e] quod ad eum qui pro ea laborauit spectat, aut pretium quo is rem comparauit persoluat. Sin autem possessor, vt rem consequeretur, in discrimen sese coniecerit, tum verus eius ac germanus fit dominus: vt qui rei seruandæ causa suam exposuerit salutem, priori domino planè rei proprietate excluso. Si quòd [f] gubernatorẽ non haberet, naufragio perierit nauis, obstrictus est vectoribus nauis magister. Naufragio [g] facto, exercitor naula restituit quæ ad manum præceperat, vt qui non traiecerit. Si cum nauicularius [h] portum subire non posset, in tuam nauim merces transtulerit eáque perierit, tenetur prior nauicularius: item si vel inuitis dominis merces transtulerit, vel quo non debuit tempore, aut si minùs idoneæ naui imposuerit. Quòd si culpa caret, non tenetur.

FINIS SECVNDI LIBRI.

LIBER TERTIVS.

DE DONATIONIBVS.
TITVLVS PRIMVS.



ONATIO [a] Est, quod absque vlla necessitate nullóque iure cogente conceditur. Donationum [b] quædam sunt quæ inter viuos fiunt, & vitæ tempore gratiam ac beneficium agnoscunt, gratúmque & candidum postulant animum. Quædam verò quæ mortis causa, quæque post mortem, quæ & ipsa, vt ita dixerim, huiuscemodi donationis causa est, finem accipiũt & confirmantur. Priùs enim quàm donator obierit, nihil est in re sibi donata habiturus donatarius. Propterea non propriè donationes, sed adiecta cõditione, mortis causa donationes dicuntur. Donationum [c] quæ in vita fiunt, hæ quidem ex eo tempore atque hora implentur, &, vt ita dicam, iam exinde rei donatæ, siue ea mobilis sit, siue soli, & proprietatem tradunt & vsumfructum, nulla alia extrinsecus aut subsequente aut apposita aut præfinita cogitatione conditionéve, sed rem ipsam confestim à persona in personam transferũt, vtpote à donatore in donatarium absque vllo prætextu aut conditione. Aliæ verò sunt, quæ sub conditione dantur, personarum temporúmque varietate distincta, & peculiare quid habentes, vti qui donat cauerit ac præfinierit. Mortis causa [d] donatio est, cum quis habere se mauult, quàm eum cui donat, magísque eum cui donat, quàm hæredem suum. Sæpenumero quibusdam ea dantur quæ donationis nomen sibi vendicent, sæpe & ea quibus nomen donationis haudquaquam accommodari queat. Enimuero vnde hæc dignoscere liceat, adiicit præsens Nouella hunc in modum: Scito [e] donationem seu donum illud propriè dici, quod quis vltro ac sponte sua præstat, id quod vt inuitus faciat, cogi nulla iuris necessitate officióve possit. Si enim cum mihi decem nummos deberes, hos tibi sponte mea remittam, nihil est dubium quin donem [f]. Quòd si per vim [g], metum aut dolum, te debito liberâro, nequaquam certè donasse intelligor. Neque enim vi omni & necessitate exclusa donaui. Etsi non parui refert, sitne quod datur donatio, nécne. Si enim donatio est, obligatur donator in [h] id tantum quod potest si verò debitum, in solidum tenetur. Et donatorem quidem iniuria affici à donatario haud fas est Alioqui [i] reuocatur donatio. At qui debitum recipit, hæc nihil curat. Mortis causa [k] donationum tres sunt species: vna cum quis nullo præsentis periculi metu, sed sola mortalitatis spe & cogitatione donat. Altera, cum quis imminente extrinsecus

a *l. donari. de regulis iur. & de donat.*

b *l j. de donation. & instit. eo. in prin.*

c *d. l. j. eo. & l. senatus. §. j. de mor. cau. donat.*

d *l. j. de mor. cau. don. §. & in summa. instit. de donatio. Sic apud Homerum donat Telemachus Piræo: Ὀδυσσείας ρ'.*

e *l. donari. suprà citata, & l. munus propriè. de verb. & rer. significa.*

f *l. si in stipulatũ. de hoc donat.*

g *l. nec ignorans. C. titulo.*

h *l. diuus Pius. de regulis iuris. & l. qui ex donatione. de donationibus.*

i *l. generaliter. quæ & vlti. est. C. de reuocand. dona. c. vlt. extrà de donat.*

k *l. ij. cum quatuor sequentibus. de mort. cau. donat.*

non ab eo ipſo cui donatur mortis periculo, ita quid donat, vt ſtatim fiat accipientis. Tertia vbi quippiã ob peregrinationis diſcrimẽ datur, vt non priùs accipientis fiat quàm donator deceſſerit: verbi gratia quòd ſibi à prædonibus aut hoſtibus timeat, quòd naufragium aut loca inſidiis expoſita vereatur, aut etiam quòd morbo laboret, vel ab hominis potentis odio, denique & à ſenio ſibi metuat. Hæc enim omnia inſtans periculum demonſtrãt. Si rem [a] quampiam tibi donaturus, alicui perferendam dedero, & priùs quàm ea tibi reddatur deceſſero, non fit ea res tui dominij. Si [b] filiusfamiliàs patris iuſſu aut voluntate donauerit, videtur pater ipſe donaſſe, & ſi quis voluntate tua rem tuam alicui vt ſuam donârit, tu donare videris. Quæ ſimulatione dolóve geruntur, lex rata non habet: vt ſi tibi partem bonorum [c] proximi cognati viuentis tanquam ei ſucceſſurus donâro, nulla eſt eiuſmodi donatio. Qui ſemel [d] quippiam donauit, reuocare donationem non poteſt. Nemo [e] ignorans aut inuitus donat. Itaque etſi id ſcriptura contineat quòd conſenſerim, nihil tamen inde lædor, quando aliter res habet.

DE DOTE.

CVM [f] conſtante matrimonio dotis dominus [g] ſit maritus, non ergo poteſt eam vxor donare. Rite [h] factam donationem ne principis quidem reſcripto reuocare quis poteſt.

DE PRINCIPALI DONATIONE.

SI quam [i] rem princeps duobus dederit, & eorum alter abſque herede deceſſerit, eius pars alteri accreſcit. Si princeps [k] iam defuncto quaſi viuenti donârit, non valet quidem eiuſmodi donatio. Cæterùm ipſius eſt, quem beneficij ſui modum eſſe velit, pronuntiare. Donatio [l] ſuis cancellis non notata & circunſcripta, nullius eſſe agnoſcitur. Omnis donatio [m] ſimplex, ſiue in pecuniis poſita ſit, ſiue in rebus aut mobilibus aut ſoli, ad quingentos vſque ſolidos valeat, etiamſi in acta relata non fuerit. Quę verò ſummam hanc excedit, qua in re excedit rata non ſit, exemptis imperialibus donationibus, & quæ religionis ergo fiunt, quæque in ſponſam conferuntur. Si verò [n] quis diuerſis temporibus in eandem perſonam multas contulerit donationes, hæ vt multæ accipiendæ ſunt ac conſiderandæ, non autem ſimul omnes conferendæ, ita vt dicatur, cùm monumentis perſcripta non ſit, eam tanquã vnam nullam eſſe. Quin & xxix Cæſaris Leonis Nouella [o] idem de donationibus ſtatuit, vt quæ ad quingentos nummos æſtimatur donatio, etſi actis perſcripta non eſt, tribus firmata teſtibus plenum robur habeat: quæ verò ſupra D nummos, ſcripta quidem, irreuocabilis permaneat, at ſi ſcriptura vacare deprehendatur, planè ſit irrita, quod ad eam ſummam ſpectat quæ quingentos aureos ſuperat, etiamſi qui ſibi donationem vendicat, teſtibus eam comprobet. Hac ſi quidem formula ac ratione examinari donationes oportet, ratæ ne an irritæ ſint.

DE

a Πράγμα. lego non γράμμα. in Græc. exempl. idq; ex l. ij. §. pen. de dona. Niſi hoc Conſtant. vult: ſi cui perferendas literas, quibus tibi quid donem, tradã, & priùs quàm reddantur literæ, moriar, non futurũ id dominij tui, quod me donare literis teſtabar. Vide l. abſenti. & l. hoc iure. §. ſi quis dederit. eo.

b l. in ædibus. §. quod filiusfamil. eod. l. j. quod iuſſu.

c l. quidam in iure §. donationem. de donationib. l. vlt. C. de pactis. Improbus enim is habẽdus qui de viuentis hæreditate ſolicitus eſt. l. iij. §. interdum. de vulg. & pupill.

d l. iij. cum tribus ſeq. C. de reuoc. don.

e l. nec ignorans. C. de donat.

f l. conſtante. C. eo.

g l. doce. C. de rei ven.

h l. iiij. C. de reuocan. donat.

i l. vnica. ſi lib. imp. ſe. ſine hær. deceſſer. C. x libro.

k l. Neratius. de reg. iuris.

l Vide l. donatio. C. de donat.

m l. ſancimus. C. eod. vult donationẽ vſque ad trecentos ſolidos monumẽtis nõ indigere. l. verò pen. vſq; ad quingentos.

n d. l. ſancimus. §. ſi quis aũt p diuerſa.

o Cui & d. l. ſancimus. cõſonat, ſi pro trecentis quingentos ſubſtitueris aureos.

DE REVOCANDIS DONATIONIBVS. TITVLVS II.



I quis [a] liberos non habens, suas omnes facultates aut earum partem proprio liberto donârit, susceptis postea liberis tota reuocetur donatio, atque ad donatorem cuncta redeant, qui & potestatem habeat de his pro arbitrio statuendi. Neque [b] impubes neque mente [c] captus donare potest. In neutro siquidem eorum est voluntas & consensus. Si is in quem collata est donatio [d], ingratus in donatorem deprehensus fuerit, vtpote vel atrocibus eum affecerit iniuriis, vel impias ei manus intulerit, vel damnum maximum ex propriis insidiis inuexerit, aut vitæ insidiatus sit, aut denique conuentiones omnes donationi vel adscriptas vel citra scripturam impositas non implêrit, vna inquam ex his causis si iudicio apertè comprobata fuerit, reuocentur & conuellantur factæ donationes.

a *l. si vnquam. C. de reuoc. dona. Vide in hanc rem can. vlti. xvij. q. iiij.*

b *Pupillus nec velle nec nolle sine tutoris autoritate habere creditur l. pupillus. de reg. iur. Imò nec filiusfamilias patris iniussu donare potest. l. filiusfamilias. de donat.*

c *l. Modestinus. in fi. eodem. His si placet adde eum cui bonis interdictum sit. l. is cui. de verb. obliga.*

d *l his solis. l. pen. & l. vlt. C. de reuo. donat. cap. vlt. extra de donat.*

DE EMPTIONE ET VENDITIONE. TITVLVS III.



MPTIO [e] Et venditio contrahitur, simul atque de pretio vtraque pars cõsenserit, & hic quidẽ pretium soluerit, ille rem quæ venditur tradiderit. Nec hoc solùm modo, sed & si horum alter aut solutum pretium receperit, aut rem venditam acceperit, vt ita firma stabilísque & nulla ratione infringenda persistat venditio. Si quid enim arræ [f] nomine detur, argumentum est & probatio contractæ & constitutæ emptionis & venditionis, non item eius constitutio. Atque hæc quidem de emptione & venditione dicimus, quæ sine scriptis contrahitur. At vbi scriptura adhibetur, non aliter perfectam fore emptionem ac venditionem censemus [g], nisi & emptionis instrumenta conscripta fuerint vel propria vendẽtis [h] manu, vel ab altero quidem scripta, à venditore [h] verò subscripta. Quòd si per tabellionem fiant, completio subsequetur iam memoratæ subscriptionis ac instrumenti. Quòd verò arræ nomine datum est, cum sit in ea quæ pòst sequitur deliberatione & cõsilio postmodum ineundo positum, rescissa venditione si quidem emptor est qui à contractu discedit & pœnitudine ducitur, arras perdit: si venditor, duplum præstare compellitur, hoc est & id quod datum ei fuerat, & tantundem insuper. Contrahitur [i] sine scriptis venditio, vel si solum pretium persolutum fuerit, vel res tradita, vel satisdatum sit, vel citra satisdationem is qui vendidit emptoris fidem sit secutus. At quæ interueniente scriptura peragitur venditio, non aliter consistit quàm si de ea confectum fuerit instrumentum, omníque ex parte absolutum, quemadmodum tertio Institutionum libro sub titulo de emptione & venditione [k] qui vigesimustertius est

e *Inst. de emp. & vẽ. in prin. cui consentit l. necessario. quæ docet, quãdo perfecta sit emptio. de peric. & cõmo. rei vẽ.*

f *Facit quod scribitur l. quod sæpe. in prin. de contrah. emp.*

g *l. contractus. C. de fide instrument.*

h *Insti. dicto loco legitur contrahentiũ & contrahentibus.*

i *§. venditæ. de rerum diui. l. quod vendidi. & l. vt res emptoris. de contrahẽ. empt.*

k *In prin. versic. in iis autem quæ scriptura. In Latinis Inst. est hic titul. xxiij. Sed Theoph. titu. de seruili cognatione non seiungit à titu. de grad. cognat.*

a l.j.in fin.de cõtrah. empt.& vend.

b l.ij.C.eod.l.in venditionibus.cum aliquot ll.seq. ff.eod.

traditur. Emptio [a] iuris gentium est, & ideo consensu peragitur, & inter absentes, & per intermedium nuntium, & per epistolas.

Si [b] emptor à venditore vel in pretio dissentiat, vel in re, vel materia, nulla est venditio. Fortè enim ego Petrũ vendere, tu te Paulum emere putasti: aut æs pro auro veniit. Cæterùm error in rei venditæ nomine contractui nihil officit. Quòd si acetum ex vino, non item quod ab initio acetum fuerit pro vino venierit, valet venditio. Item si aurum venditum minus probum fuerit quàm emptor existimaret, firma est ac rata venditio. Et hæc quidem in publicis ciuilibúsque rebus accipi debent. In ecclesiasticis enim aliter statuit centesimadecima Nouella, libro quinto imperatorij voluminis.

DE MAGISTRATIBVS AC PRAESIDIBVS.

c l. non licet, & qui officij.eod.l.principalibus. si cert.pet.

d d.l. qui officij, legitur præterquàm si paterna eius à fisco distrahantur. Videtur hic autor legisse, præterquàm si à fisci patrono.

e l.aufertur.§ quod à præside.de iu.fis.& fac.l.his qui. in fin. de vac.muner.

f Hoc quoque prohibet l.vnic. C.de contract.iud.item l.pe. de off. præsid. & l solent.sub fi. de off. procons.

NEMO [c] ex officio quod administrat, quicquam emere potest mobile vel immobile, aut per se aut per alium. Alioqui & rem ipsam amittit, & datum pretium non recipit (quod ad procuratorem quoque Cæsaris pertinet) nisi à fisci [d] patrono. Eximuntur ij quibus hoc est specialiter concessum. Ei verò qui prouinciam administrat, ne nauem [e] quidem in eadem licet ædificare. Nouella quoque Cæsaris Romani senioris, idem penè statuit. Ne quis vltrà, conspicuorum [f] & spectabilium magistrorum aut patriciorum, neque eorum qui imperiis, potestatibus aut omnino principalibus dignitatibus insigniti sunt & ornati, neque item ciuilium, militarium aut delegatorum magistratuum, aut his substitutorum, neque metropolitanorum, aut archiepiscoporum, aut præfectorum, aut eorum qui sacris domibus præsunt, aut denique ad alium quéuis honorem seculi prouecti sunt, prædiorum aut fundorum possesionem, aut emptione aut donatione aut alio quouis modo adeat. Eos enim qui post præsentem constitutionem, eiusmodi quippiam moliri & aggredi ausi fuerint, inde iubemus absque suæ pecuniæ restitutione, detrudi, propriisque laboribus ac sumptibus fraudari, quos ad rem ornandam & pretiosiorem faciendam contulerunt, atque ipsam prædij æstimationem, si quidem conspicui viri sint & illustres qui hoc admiserunt, fisco applicari: sin abiectiores sint, & omnino absque vlla pretij restitutione expelli, & meritis insuper pœnis castigari. At quadragesima Cæsaris Leonis Nouella & vrbanis & externis pariter magistratibus potestatem [g] emendi, & noua ædificia extruendi facit, solo duce exercitus excepto.

g Quod ad superiorũ abrogationem pertinet.

EX MICRO, IVXTA ORDINEM QVEM ILLE TENVIT.

h l.j.ff.& C.de peric. & cõmo. rei vend. & l. necessario.ff. § cum autem emptio, atque ibi Theophil.Instit.de empt. & vendit.

Posteaquam [h] venditum atque emptum est quippiam iuxta leges & formas emptioni venditioníque præscriptas ac præfinitas, statim rei venditæ periculum ad emptorem pertinet, etsi maximè res necdum sit tradita. Itaque siue seruus est qui venierit, & is mortuus sit, aut parte aliqua corporis læsus, vt manu, pede aut oculo, siue ædes

ue ædes venditæ aut totæ collapsæ ſint, aut earum pars igni abſumpta, ſiue fundus aut totus aut ex parte vi fluminis perierit, aut aquarũ inundatione, aut arboribus multis ventorum vi deiectis, longè minor ac deterior ſit factus, horum inquam omnium damnum emptorem reſpicit. Omnino enim illud ſciendum, quicquid eiuſmodi abſque venditoris dolo aut culpa rei acciderit, in eo venditorem eſſe ſecurum. Quemadmodum [a] verò rei venditæ imminutio atque interitus qui fortuitò accidit emptorem ſpectat, ſic & ſi quid lucri rei venditæ acceſſerit, ad emptoris commodum attinebit. Vnde & ſi abſoluta venditione fundus per fluminis alluuionem & inundationem maior factus ſit, id commodi ad emptorem redundabit. Venditio [b] & exinde iam, hoc eſt ſtatim ac illico, abſque vlla præfinitione aut conditione & temporis mora ſeu interuallo peragi poteſt, vt ſi tuum mihi dederis vt hoc accipias, & ſub conditione ſimiliter contrahi poteſt: verbi gratia, ſeruus hic ſi tibi intra menſem placuerit, ſit tibi emptus nummis decem. Poſt abſolutam venditionem omne commodum & incommodum quod rei venditæ contingit, in emptoris commodum damnúmque redundat, niſi moram [c] in tradendo venditor commiſerit. Non [d] ex conuentione ſed ex traditione emptor fit dominus. Mors [e] ancillæ venditæ quæ iam peracta venditione contigit, ad emptoris diſcrimen & iacturam attinet, ſi tamen non ex vitio aliquo ante venditionem contracto deceſſerit. De emptione & venditione ita contractis vt quid in diem [f] addicatur, ſic eſt exiſtimandum, reſolui eam vbi intra diem in venditionis placito præſtitutum melior conditio oblata & auctum pretium fuerit. Cùm moram emptor adhibere cœperit, iam non culpa ſed dolus à venditore præſtatur. Quòd ſi per vtrunque mora fuerit adhibita, vtri potiùs [g] adſcribenda ſit, eſt attendendum. Conſtitutione [h] cautum eſt, nullam eſſe venditionem, niſi omnia concurrerint quæ ei adeſſe oportet. Quòd vendidi [i], accipientis non fit, niſi aut pretium ſolutum, aut ſatis eo nomine factum ſit, aut etiam ſine vlla ſatiſdatione fidem emptori habuero. Si iuſſus [k] à me ſeruus, rei, agri prædiiue fines demonſtrare, vel dolo vel errore plus demonſtrârit quàm ſit in re vendita, non me propterea condemnat [l]. Idem ſentiendum & de vacua poſſeſsione per ſeruum tradita.

LEX.

Venditor [m] ſi qua, commendandæ rei quæ venditur cauſa dixerit, non tenetur, niſi ea vt emptori imponeret, dixerit. Tum ſiquidem in eum actio de dolo competit.

SCHOL.

Cum quis mihi ſeruum venderet, ac efficere vellet vt mihi is placeret, probum eum eſſe ac fidum dixit, & nulla non in re dicto audientem. At longè alius poſtmodum extitit, vtpote nequam & mendax. Is itaque mihi eorum nomine non obligatur quæ commendandi duntaxat [n] ſerui, quò gratior mihi eſſet, dixerit.

a l. id quod poſt emptionem. de peri. & commod. rei vendi. Inſt. eo. §. ſuprà adducto. verſic. ſed & ſi poſt emptionem.

b §. pen. Inſt. de emp. & vend. facit l. hæc venditio. de contrahend. empt.

c l. j. de act. empti. & l. ſi traditio. C. eod. fac. l. illud ſciendũ. ff. de peric. & commod. rei vend.

d l. traditionibus. C. de pact. cum ſimil.

e l. vlt. C. de peric. & commo. rei vend. l. ſi in emptione. §. pe. ff. de contrah. emp.

f l. ij. de in diẽ addic. & l. ij. §. ſi in diem. pro emp.

g Quod docet l. ſi & per emptorẽ. de act. emp. & l. illud ſciẽdum. de pericul. & commod. rei vend.

h d. l. contractus. C. de fide inſtrument.

i l. quod vendidi. de contrah. emp. & d. §. venditæ. Inſtit. de rerum diui.

k l. ſed ſi communis. §. ſi ſeruus. de contrahend. empt.

l Neque enim qui nobis ſubiecti ſunt, cõditionem noſtram deteriorem faciũt. l. quanto. de iureiu.

m l. quod vẽditori. de dolo malo. l. ea quæ commendandi. de contrahen. empt. l. ſi quid venditor. cum l. ſequ. ſciendum. de ædilitio edicto.

n Si tamen aſſeuerauerit bonæ frugi ac fidũ eſſe, etſi furem eſſe ignorârit, ex ẽpto tenebitur. l. Iul. §. qd tñ. de ac. emp.

Quòd si artificem eum esse confirmauit, coquum forsan aut sutorem, aut aliqua alia arte edoctum, vt qui me talem emere velle notum haberet & exploratum, & ipso venditionis tempore, ampliori [a] propter huiusmodi artificia pretio accepto, me decepit, mihi actione de dolo ad id quod mea interest præstandum, est obstrictus. Nisi enim eiusmodi artificij peritum esse firmasset, haudquaquam eram empturus.

DE SERVO, EIVSQVE PECVLIO.

SERVVM [b] venditum non consequitur eius peculium. Vnde si qua res peculiaris à seruo surrepta ad emptorem peruenerit, non ea solùm, sed & quæcunque post venditionem peculio accesserunt, venditori redduntur, veluti partus, & quæ ex operis eiúsve peculio percepta sunt. Qui in potestate [c] patris est, ex castrensi peculio vendens obligatur, non secùs ac qui sui iuris est. Qui sciens [d] rem alienam emit, nũquam eius fit dominus. qui verò inscius, vsu quidem dominiũ eius quærit, sed posteà qui eam vendidit, tenetur domino.

DE TVTORIBVS.

TVTOR [e] rem pupilli emere non potest. idémque ad similia porrigendum, hoc est ad curatores & procuratores. Si in venditis ædibus reposita ab aliquo pecunia [f] ibíque per errorem relicta, inuenta fuerit, eius est, cuius ab initio fuerat. Si quis [g] rem suam ab altero vendi videat, nec contradicat, videtur ipse eam vendere. Inter [h] patrem & filium nisi de rebus castrensibus contrahi emptio non potest. Porrò sine pretio venditio nulla est.

DE EA QVAE SPECIE CAVSAVE DONATIONIS FIT, VENDITIONE.

SI quidem [i] vniuersa venditio donationis causa facta est, non valet. Si verò viliori pretio res donationis causa distrahitur, dubium non est valere venditionem. Cæterùm inter virum & vxorem ne hoc quidem modo facta venditio vllius est momenti. Quæ [k] donationis causa fit venditio, planè non subsistit. Quòd si vel minoris emisti, vel tibi remissum est pretium, firma est stabilísque donatio. Nam [l] simplex quidem donatio libera est & immunis tum à dando tum à faciendo. Quæ verò his non vacat, sed ad dandam pecuniam aut aliquid faciendum transfertur, pura est venditio.

Non si [m] pretium numeratum ac solutum non fuerit, continuò rescinditur venditio, nisi fortè ab initio donationis causa facta sit. Empti tamen ac [n] venditi fides sine quantitate nulla est. Porrò conuento pretio non numerato, sed sola alicui possessione tradita, non est eiusmodi contractus irritus. nec idcirco qui comparauit minus rectè possidet, quòd placitum pretium non soluerit. Quin etsi prædij venditio donationis specie facta sit, subsecutáque fuerit traditio, actione pretij nulla competente, perficitur donatio.

DE IMAGINARIA VENDITIONE.

IMAGINARIA venditio est [o], quæ venditionis speciem & simulacrum habet duntaxat, quæque rectè non fit: vt si quis ita venditionem

a *Vide l. Iulianus. §. si venditor. de act. empti.*

b *l. quoties seruus. cũ duabus sequentib. de contrah. emp.*

c *l. ij. eod.*

d *l. ij. §. si seruus meus. & l. qui fundum. §. qui bona fide. pro empt.*

e *l. si in emptione. in fi. de contrah. empt. contra l. v. C. eod.*

f *l. à tutore. de rei vẽ. Nam si thesaurus sit, alia est ratio, vt suprà dictum est.*

g *Facit l. quidam. de euictio.*

h *l. ij. de contrh. emp.*

i *l. si quis donationis. eodem.*

k *l. cum in venditione. eo. & l. iij. & l. empti. in fi. C. eo.*

l *Videtur esse scholium.*

m *l. inciuile. C. de rei vend. l. si non. C. de contrah. emp.*

n *Ad verbum ex l. empti. C. eod.*

o *Consentit hæc imaginariæ venditionis definitio cum ea quæ traditur à Modestino vt contractus imaginarius sit cum fides facti simulatur, nõ intercedente veritate. l. cõtractus imaginarij. de actio. & obliga. Cuius habes exemplum l. iiij. §. j. de manumiss. Et huc facit totus titu. C. plus valer. quod agitur, quàm quod simulatè cõcipitur.*

tionem concipiat: Fundum meũ tibi tanto pretio vendidi, aut ædeis meas ita vendo vt nihil inde pretij accipiam, vel si hoc nulla interueniente scriptura fecero, nulla abs te accepta pecunia.

** Scholium esse videtur.*

Imaginaria venditio illa est & dicitur, quæ, cùm alius tacitè ineatur contractus, speciem quandam præ se fert ac prætextum venditionis, re tamen vera venditio non est. Vt quid dico? Conuenit inter me & Petrum, vt transactionem iniremus, eóque iam erat peruentum, vt transactionis instrumentum confecturi & omni ex parte absoluturi essemus. Enimuerò transactionem ipsam non conscripsimus, sed venditionem contraximus, & quæ transactionis nomine dari conuentum erat, in venditione perscripsimus, quin & tantum tibi dari pretium depacti sumus, verbi gratia viginti nummos. Huiusmodi ergò scriptura, imaginaria & simulatitia nominatur venditio, neque ad pretium repetendum actio ex vendito competit. Cùm verò nihil eius generis inter partes conuenerit, sed directò ad peragendam venditionem animum adiunxerint, emptionis edito instrumento, conuento præfinitóque pretio, ac deinceps subsecuta pretij solutione, hæc imaginaria non est, sed vera germanaque venditio. Siquidem [a] imaginaria venditio non est pretio accedente.

Imaginaria [b] venditio pro non facta est, & ideo nec ea res alienari intelligitur. Si quidem vxore [c] comparante, ac re ei tradita, vir pretium duntaxat numerârit, est quidem ea, rei emptæ domina, sed potest vir actione persequi ac repetere pretium, quod, contractus ab ea celebrati causa persoluit. Quòd si vir ipse emit, sibíque re tradita, pretium ipse numerauit, verùm imaginariè duntaxat instrumento mulieris nomen est inscriptum, hîc veritas potius spectanda, cùm ipse rei sit dominus. Qui rem quampiam [d] à malæ fidei possessore bona fide emit: eam potest vsucapere.

DE RELIQVIIS SANCTORVM.

NEMO [e] sanctorum reliquias distrahat. Ad petendum [f] ac defendendum eadem plerunque solet esse emptoris causa, quæ & autoris.

DE DOLO.

DOLVS [g] venditoris, bonæ fidei emptori nihil nocet.

DE PACTIONE.

SI conuenerit [h], vt ad diem pretio non soluto emptor duplum præstaret, perperam adiectum videtur quod vsuræ legitimæ modum excedit. Vbi quid præscripto [i] legis commissoriæ termino veniit, si pars aliqua pretij data fuerit, nisi & quod reliquum est pretij intra certum diem exolutum sit, resoluta venditione amittit emptor etiam id quod est numeratum: ídque non absque ratione, sed vt intereà perceptos fructus lucretur. Quòd si nihil planè ab initio emptor soluerit, fructus quos intereà percepit [k] restituere cogitur, nihílque omnino penes eum ex re ipsa residet, cuius intra diem præscriptum non persoluit pretium. Porrò ea venditor retinet, quæ [l] arræ vel alio nomine ab emptore data sunt. Verùm & illud scito. Pecunia ad diem non soluta [m], si quidem velit venditor, lege commissoria abutitur, vt inemptus ager, quod ad se attinet maneat. Sin verò hoc vt in sua potestate [n] situm, sponte sua recuset, ac pretium ab

emptore

a l. imaginaria. de regulis iuris.
b l. nuda. de contrah. emptione.
c l. quod autem. §. si vxor. & l. si cùm mulier. de don. int. vir. & vxo l. quãuis. & l. multũ interest. C. si quis alt. vel sibi. facit l. j. & tot penè tit. plus valer. quod ag. quàm quod simul. cõcip. C.
d Instit. de vsucap in princip. & §. quod autem ad eas res.
e l. iij. C. de sac. sanc. eccles.
f l. inuitus nemo. §. plerunque. de regu. iur. facit l. traditio. de acquir. rer. domi. & nemo plus iuris. de regulis iuris.
g l. dolum. C. de peric. & commo. rei vẽd. Exemplum habes l. si vina quæ. ff. eo. & l. Iulianus. §. idem Iulianus. de act. emp.
h l. Iulianus. §. ibidẽ Papinianus. de actione. emp.
i l. si fundus. §. sed quod ait. de le. commissor.
k l. lege. eod. Idem in addictione in diem. l. item quod dictũ. & l. imperator. de in diem addict.
l l. de lege. in princip. de lege commiss.
m l. ij. eod.
n l. si fundus. §. eleganter.

emptore petat, non potest iam simulatque alterum elegerit, pœnitudine ductus ad alterum transire, sed sublata est omnino reuocandæ sententiæ facultas, altero iam semel delecto. Illud [a] insuper obserua, hîc debere emptorem etiam non interpellatum ad diem præstitutam soluere. Quòd si cui offerret non habuerit, securus est, nec pœnæ subiacet Quicunque [b] enim sese ad diem daturum facturúmve aliquid adiecta pœna spopondit, non est quòd interpellationem expectet: conuentam enim & præfinitam pœnam præstat.

Illud [c] in vniuersum teneto, neminem eorum qui ad diem quippiam debent, excusari, si non soluant: aut eo purgari, quòd sese ideo non soluisse dicant, quia non in mentem venerit. Qui enim ad diem debet, sibi ipse in memoriam reducat oportet, non autem creditoris expectet cõmonitionem, quemadmodum & multis aliis ex locis [d] licet deprehendere.

Sicut bonæ [e] fidei emptori, alterius dolus non nocet, sic nec eidem venditoris sui dolus prodest.

SCHOL.

Cum seruum haberet Primus, hunc ab eo inescato accepit Secundus. Eundem postmodùm à Secundo bona fide emi, vt qui Secundum eius esse dominum arbitrarer. Hunc triennio possûm vsucapere, nullo affectus incommodo ex dolo quem is qui mihi seruũ vendidit Secundus admisit. Vt igitur hoc æquum est, sic & quod sequitur iuri consentaneum: Si mihi rem minoris Primus tanquam suam vendiderit, is deinde minorẽ pellectum eò adduxerit, vt factæ consentiret venditioni, hoc certè dolo nequaquam iuuabor, sed poterit mecum minor experiri. Itaque sicut me bonę fidei emptorem alienus dolus non lædit, sic nec mihi quicquam venditoris confert versuta malitia.

Dolo caret [f] rei petitio, quæ bona fide fit. Si quis [g] fortè seruum emerit, & ab aliquo furti aut alterius delicti à seruo commissi nomine conuentus fuerit, potestatem habet vel serui noxæ dedendi, ac deinceps venditoris conueniendi, vel si seruum noxæ dare noluerit, præstandæ æstimationis rerum quarum nomine seruus est obstrictus, ac postea conueniẽdi venditoris, qui non amplius [h] quàm in pretio condemnabitur. Si in [i] possessionis iudicio, duplum emptor præstiterit, nihil vltrà aliarum rerum nomine de quibus in venditione caueri solet, præstare cogitur. Venditori [k] aduersus emptorem competit ad pretium petendum, non item ad rem vendicandam postquam eam tradiderit, actio. Emptor ex quo tempore res est tradita [l], vsuras debet pretij.

DE VSVRA.

SI Emptor [m] in pretio soluendo moram fecerit, vsuras duntaxat præstabit, & non quæcunque venditor soluto pretio potuit ex negotiatione, vt verisimile est, consequi. Etsi ex [n] mora soluta sit pretij sors, non tamen vsuræ peti possunt, cùm hæ non in obligatione sint, sed iudicis officio præstentur. Venditor [o] si rem non tradat, in id quod emptoris interest conuenitur, & si hoc interdum contingat ipsam pretij quantitatem egredi. Emptor re vendita sibi per vim ac iniuriam erepta, nullum habet ad venditorem [p] regressum.

DE

a Ead. l. §. vlt.
b Dies interpellat pro homine. l. Thais. §. intra. de fid. liber l. magnam. C. de con. & commit. stip.
c Ἐπεξήγησις est dicti præcedentis.
d Quos vide apud Acc. d. l. magnã. in glo. ad verbum, admonuit.
e l. sicut. de act. empt. l. Põponius. §. j. de acq poss.
f l. ij. §. generaliter. de do. except. l. qui in ius. §. nemo videtur. de reg. iur.
g l. quæro. l. cũ autẽ. §. Iul. de act. emp.
h In Græ. exemp. ante πλέον præponenda negatio ex legibus citatis.
i l. emptorem § Cassius. de act. emp.
k l. non idcirco. in fi. de cont. emp. C. l. inciuile. C. de rei ven.
l l. curabit. de actio. emp. C. & l. Iulianus. §. ex vendito. ff. eo l. ij. C. de vsur.
m l. vlti. de pericu. & com. rei vẽ. Idem in venditoris mora. l. si sterilis. §. cum per venditorẽ. de ac. ẽp.
n l. qui per collusionẽ. in fin. de act. emp. l. iiij. C. deposi.
o l. j. de act. empti. & d. l. si sterilis. §. cum per venditorem. eo.
p Iunge & duos alios casus, quibus de re euicta vẽditor emptori nõ tenetur, ex l. emptor fundi. C. de euict. cui cõcord. c. vlt. ext. de emp. et vend. Huc fa. l. vlt. C. de actio. emp. l. si per imprudentiam. ff. de euict.

DE REI VXORIAE VENDITIONE.

SI vir [a] rem vxoris distraxerit, etsi maximè ea, fraude inducta venditionis instrumentum signârit, nullum inde præiudicium mulieris affertur priuilegio, sed & in posterum indiget emptor aut vsucapione, aut longi temporis præscriptione. Donationis propter nuptias [b] & dotis res, ne mulieris quidem consensu alienari aut oppignerari possunt, nisi & secundò his, post biennium assensum præstiterit, vbi scilicet aliæ res viro sunt ex quibus ei cosulatur ac fiat satis. Quisquis enim res hui usmodi, hac iuris formula neglecta emerit, tantum abest vt mulieri præiudicet, vt ei obstrictus sit atque obligatus. Quæcunque sibi mulier reseruârit, neque in dotem [c] conscripserit, aut quæ ei constante matrimonio obuenerint, quæque sibi retinuerit, ea si à viro sciente & edito instrumento consentiente muliere alienentur, nō potest mulier soluto matrimonio reposcere, aut ius patriæ potestatis in medium afferre.

DE REI VENDITAE REDHIBITIONE, ET PRETII IMMINVTIONE.

ACTIO quidem qua fit vt res vendita [d] redhibeatur, intra sex menses intenditur. Quæ verò id agit vt rei venditæ pretium minuatur, intra annum. Currunt autem emptori sex menses, ex quo rei venditæ vitium [e] cognouit, aut cognoscere debuit.

DE VENDITIONE ANIMALIVM.

SI iam venditum animal causam aliquam ac vitium latens habere fuerit deprehensum, semestri tempore, quod & iure præfinitum est, redhibeatur. Quòd si & sex menses præterierint, ad actionem [f] quantò minoris licet confugere, nisi miles est qui emit. Si ea lege [g] seruum tibi vendidero, vt nisi placuerit, redhibeatur, si de tempore redhibitionis non conuenerit, licebit hoc tibi intra sexaginta dies facere, nisi iustum interuenerit impedimentum. Tum enim etiam post sexaginta dies locus est redhibitioni. Porrò & iumentorum [h] redhibendorum eadem est quæ & mancipiorum ratio. Quòd [i] si iugum ac par iumentorum veneat, si vnum in ea causa sit vt redhibeatur, redhibebitur vtrunque. Si in re vendita [k] quid affectus aut vitij deprehensum fuerit, vt seruus fugitiuus aut erro aut fur, vel mutum animans pulmonicum, aut depresso humero, aut deniq; quo alio vitio laborans, si quidem rei quæ distrahitur commendandæ causa dixerit atq; asseuerârit vitiosam non esse venalitiarius, potest intra sex menses emptor facere vt redhibeatur. Hoc exacto tempore non item, verùm ad annum vsque expletum potest æstimatorio seu quantò minoris iudicio agere. Quòd si non rei commendandæ causa dixerit, habet aduersus eum emptor iudicium redhibitorium intra [l] duos menses: vel quanti emptoris intersit, intra sex: propterea quòd oportet venditorem certiores emptores facere, quid morbi vitiique sit rei quæ venalis proponitur. Animantium [m] vi-

a l.ij.de reb.alie.non alien.C. Facit auth. si qua mulier.ad senat. Velle.& l.vni. §.& cum lex.de rei vxor.act.

b No.vt immob.ante nup.do. vnde auth. C.cuius initiū, Siue à me. sumpta est. ad Velleia. Fa.& l. seq. si mulier.

c Hæc παράφερνα dicuntur. l. si ego. §. dotis. de iure dot l. hac lege. C. de pact. con.tam sup do.

Romanum.

d Redhibitoria vj mēsibus, actio quantò minoris anno concluditur. l. ij. C. de ædil.act. l. sciendū. in fi.& l. cum sex. de ædil.act.

e Est enim his actionibus præstitutum tempus vtile, vt ex dictis legibus patet.

f l.si tamen.§.nō nocebit. Et vicissim interdum etsi æstimatoria seu quantò minoris agas, redhibitioni locus est, l.bouem.§. aliquādo.eodem.

g l.quòd si nolit.§. si quid ita.eod.

h l.ædiles.ij.in princ. eodem.

i d.l. §.si fortè iugū.

k l.j.§.j.eod.

l l.si vēditor.vbi tum demum hoc fieri dicit, si venditor de iis quæ edicto ædilium continentur, non caueat.

m l.j.§.j.& l. ædiles aiunt.in princ.

tia quæ in aperto [a] sunt palam, distrahentes pronuntianto, itidem & occulta: Et si reperti fuerint qui emere velint, nec certum consignatúmque pretium obtulerint, ne redhibendi his facultas detur, nisi ad proximum mercatum causam cur redihibeant, renuntiârint. Sin verò præsens & numerata offertur pecunia, pactis conuentis si qua sint, stetur. Pauida [b] & calcitrosa iumenta morbosa non sunt: animi enim sunt hæc vitia. Si itaque animi tantùm vitium est, redhibitoria locum non habet, nisi abesse prædixerit venditor. Potest tamen quanto minoris [c] agi. Si autem vel corporis solùm, vel & corporis & animi mixtum vitium est, redhibitoriæ locus est. Neque verò id exigimus, vt sonticus [d] sit morbus, sed quod vsum ministeriúmque [e] quoquo modo impediat. Neque enim id nunc agitur, cui rei hic ipse morbus obstet. Vitiosa [f] est & quæ calcitrat ac pessundat mula, & quæ sine causa [g] turbantur ac fugiunt iumenta. In vsu est, ne in simplariis [h] venditionibus redhibitio competat. Quæ rei [i] venalis commendandæ causa à venditore dicuntur, si palam appareant eum non obligant, vt seruum esse speciosum, domum bene ædificatam. At si dixerit hominem esse literatum vel artificem, talem præstare debet, vt qui hoc ipso pluris vendiderit. Qui [k] seruum vinctum vendiderit, de fuga non tenetur. Multò enim hoc facere amplius est, quàm pronuntiare in vinculis fuisse. Emptori siquidem æquum est exceptionem opponi, si de fuga sciat aut vinculis, cæterísque rebus similibus.

DE REI VENDITAE RESOLVTIONE AC RESCISSIONE.

QVI PER [l] vim rem vendidit, potest reddito quod accepit pretio, vi peractam venditionem rescindere, nec ipse modò sed & eius hæres. Si quis [m] rem suam minoris vendiderit, potest pretium restituens eam recipere. Est autem minus pretium quod ad dimidiam iustæ æstimationis non accedit. Quòd si maluerit emptor (habet enim horum delectum) quod iusto pretio deest refundere, rem obtinebit venditam. Idémque iuris in venditoris liberis locum habeat. Porrò actio huius rei nomine intra [n] quadriennium instituenda est. In emptionis [o] & venditionis pretio naturaliter licet contrahentibus sese mutuò circumuenire.

SCHOL.

Maiores [p] quidem, & qui ad legitimam atque absolutam ætatem peruenere, si res suas vendentes, ad dimidiam vsque iusti pretij circumuenti fuerint, vt rem fortè centum nummorum, quinquaginta distraxerint, venditionem reuocare non possunt. Id siquidem iure permissum est, vt rem nummorum centum, absque dolo quinquagenis comparemus. At in minoribus [q], secus. Hi enim etiamsi in rerum soli, [r] distractione minùs quàm ad iusti pretij dimidium circunscripti fuerint, restitui in integrum rescisso contractu possunt. Sciendum, si quidem is, qui minoris emit, cognita circunscriptione, ab empto prędio discedere voluerit, vt ne ad planè restituendos fructus damnetur, præstare eum oportere venditori & nudos partis prædij à se vltrà quàm decuerat possessæ fructus. Sin ratam esse venditionem

vo

a Si tamē tale sit vitiū, quod omnibus apparere potuerit, eius nomine nō teneri, firmāt l. quæritur. in fi. & l. si tamen. §. ei qui seruū.
b l. iiij. §. idem Pomponius.
c Act. ex empto. vt docet l. Iulianus. in prin. de act. emp.
d Quis hic sic docet l. vlt. §. j. de ædil. edi.
e Quid morbus sit, habes l. j. §. sed sciēdum. eodem.
f l. bouem. in prin.
g Ενωλίως habet Græc. exempl. sed non est dubiū ex l. d. legendum ἀναιτίως.
h l. si tamen. in fi. & quæ sint simplariæ venditiones, vide Bud. neglecto Accur. qui tribus aut quatuor expositionibus sibi ipse vix satisfacit.
i Hoc et sup. dictū ex l. ea quæ. de cō. emp.
k l. si tamen. §. ei qui. de ædil. edi.
l l. j. C. de resc. vend. l. iij. C. de iis quæ vi met. ve cau.
m l. ij & l. si volūtate. C. de resc. vē. Cōcor. c. cū dilecti. et c. vlt. ext. de emp. & ven.
n l. superuacuam. de tēp. in integ. rest. C.
o l. in causæ. ij. §. pen. de minor. l. item si pretio. §. vlt. loc.
p l. quisquis maior. C. de rescind. vendit. Facit d. l. ij.
q l. si quidem. de prædiis minor. C.
r Quæ nec sine decreto alienari possunt, vt constat iam dicto titulo.

voluerit, illudque exoluere quod iusto pretio desit, tum sanè eum par est vsuras [a] quoque non soluti pretij pensitare, quippe cum rata sit stabilisque venditio. Ita enim & Magister pronuntiauit, & aliis iudicibus visum est.

NOVELLA.

Nouella quoque Cæsaris Romani senioris ita habet: Si deprehensum & exploratum fuerit eos qui post à se peractam venditionem, si modò testibus peracta comprobetur, ad iudicium prouocârunt, intra quadrienniũ id fecisse ac conquestos esse, citra controuersiã his succurritur. Succurritur autẽ, non vt vendita suburbana recipiãt, sed vt si quidem emptor quod reliquũ est iusti pretij expletioni præstare voluerit, hoc ei facere [b] liceat. atque ita iustum rei pretium supplens ac persoluens, ipsa prædia sibi retineat, & qui de facta venditione queruntur iustum pretium quanti prædium ipsum æstimatur accipiant. Sin nolit emptor iustam rei æstimationem complere, pecuniam quam ab iis qui cum eo expostulant accepit vnà cum eius causis ac vsuris restituat, & è prædio decedat venditori restituendo.

Possunt contrahentes se inuicem circumuenire etiam ad [c] dimidiam vsque iusti pretij, quo res de qua contrahunt æstimatur. Qui verò vltra iusti pretij dimidium secum contrahentem circumuenit ac lædit, aut quod est amplius dimidio reddit, aut tota resoluitur ac rescinditur venditio. Haud quaquam [d] probabilis est causa propter quam rescindi consensu factam venditionem postulas. Etsi enim maximè duplum offeras pretium emptori, inuitus tamen ad rescindendam venditionem non vrgetur. Si fundum [e] tibi vendens, fines demonstrãro, & eum centum esse iugerum dixero, & aliqua eius parte euicta me euictionis nomine cõueneris, dimẽsoque fundo reperta fuerit eius magnitudo culturæ centum iugerum, nequaquam excluderis quin tibi satisfieri postules ob ea quæ euicta sunt. Finibus enim ab emptore demonstratis maiorem habuisti quàm iugerum dimensioni fidem. Itaque fines demonstratos præstare tenetur venditor.

DE EVICTIONE REI VENDITAE.

Siue totus [f] ager venditus, siue eius pars euincatur, tenetur venditor. Quæ post venditionem contingunt euictionis fortuitæ [g] causæ, venditori nihil obstant. Euicta re [h], simplex duntaxat eius pretium emptori præstat venditor, nisi & aliud [i] cõuenerit, insuper & id quod interest. Vnde & si minor [k] esse cœperit, damnum ad emptorem pertinebit. Qui à [l] malæ fidei possessore fundum bona fide emit, longi temporis præscriptione suum facit. Empti & venditi actio [m] longi temporis præscriptione non summouetur.

Si minoris [n] quàm mandaui res mea vendita fuerit, non videtur esse vendita. Quæ [o] a fisco distrahuntur, tum demum potest intra quinquennium dominus vendicare, si non tanquã creditor fiscus vendiderit. Si enim iure crediti [p] à fisco distractum sit quippiam, nullo temporis progressu à debitore potest reuocari. Si tamen

a *Ex præscripto l. curali. C. de act. emp. cum simil.*

b *In arbitrio enim emptoris est si velit supplere iustũ pretiũ, aut venditionẽ rescindere, cum res minus dimidia iusti pretij comparatur. c. cum dilecti. extrà de emp. & ven. & d. l. j. in illis verbis, si emptor elegerit. C. de resc. vend.*

c *gl. in d. l. in causæ. §. idem Pomponius. & glos. in l. non est. C. de resc. vend.*

d *d. l. non est probabilis. C. eodem.*

e *Hoc ad seq. titul. de euict. pertinet. Idem habes l. si fines. C. de euict. Amplius aliquid addit l. qui fundum. ff. eod.*

f *l. j. de euict. l. si eum. C. eodem.*

g *Vt si seruus venditus decesserit antequam euincatur. l. si seruus. in princ. eod. & l. si quis tibi seruum. C. eodem.*

h *l. euicta re. ij. eod.*

i *l. si dictũ. l. si plus. e.*

k *Neq; enim minuitur aut augetur vẽditori euictionis quantitas, siue deterior siue melior res fuerit effecta. l. ex mille.*

l *fa. l. qui alienam ff. & l. si obligata. C.*

m *l. empti actio C.*

n *l. diligẽter. § j. mãd. l. j. §. Celsus. de exce. rei vend.*

o *§. vlt Inst. de vsuca. quod corrigitur. l. ij. C. de quad præscr.*

p *l. pe. de fi. inst. & inha fis. x li. C. & l. j. de cap & distr pig. trib. cau. eodem lib.*

per collusionem [a] & fraudem vel vniuersi vel etiam maioris partis pretij, venditio sit peracta, licet debitori suum, oblatis quæ debet, recipere. Etsi res emptori [b] non fuerit tradita, sed eius tamen possessionem sine vitio fuerit nactus, habet aduersus venditorem exceptionem, nisi fortè iustam causam habet venditor, cur rem vendicet.

Rem à fisco [c] propter publica tributa & pensitationes distractam, neq; ipse debitor neque creditor potest vel si debitum offerat, reuocare. Omnibus enim fisci causa præfertur. Iuxta verò diuorum Marci & Commodi constitutionem[d], intra quinquennium duntaxat potest rem dominus vendicare. Si distrahente [e] fisco quod alicui alij pignoris nomine erat obligatum conticuerit creditor, actionem amittit quam in rem hypothecæ obstrictam habebat. Neque enim à fisco celebratæ venditiones temere reuocantur.

a l. vlt. C. si adu. fisc.
b l. j. §. vlt. de exce. rei vend. & trad.
c l. j. C. si propter pub. pensit. vend. cel.
d Cuius sit mẽtio Instit. de vsucap. §. vlt.
e l. si hypothecas. C. de remiss. pign.

DE VENDITIONE ET DONATIONE.

SI DVO [f] rem eandem seorsim in solidum emerint, qui prior eam accepit, potior est, etsi pretium non soluit, nec instrumentum rei venditæ obtinuit. Idem & in donatione [g] dicẽdum. Qui alienum [h] agrum emit, non priùs eum domino reddit, quàm pecuniam acceperit creditori qui pignori datum prædium habuit, solutam.

f l. quoties duobus. C. de rei vend. l. qui tibi. C. de hære. vendi.
g d. l. quoties. in fi.
h l. j. C. si vend. pign. ag. l. emptor prædium ff. de rei ven.

DE REI PVPILLARIS DISTRACTIONE.

SI quis [i] à matre rem filij emerit, rectè in rem actione conuenitur. Quòd si filius matri hæres extitit, pro qua portione ad eum hæreditas pertinet, matris venditioni cogitur acquiescere. Doli siquidem exceptione repelletur.

i l. si patri. C. de don. & l. cum à matre. de rei vend.

DE LIBERORVM DISTRACTIONE.

SI quis [k] magna pressus inopia ac egestate, victúsque penuria, filium filiámve distraxerit, valet quidem venditio, & hoc tantum nomine valet, vt non aliter distractas personas reddere cogatur emptor, ni aut pretium receperit quanti nunc valent, aut his simile mancipium. Liceat enim vel ei qui vendidit, vel ei qui est venditus, vel cuicunque alij, eum suæ ingenuitati ac natalibus restituere, sed ita demum si aut pretium offerat quanti nunc valet auctus & adultus ex quo venditus fuerat, aut pro eo mancipium præstet.

k l. ij. C. de pat. qui fi. su. distr.

DE RE FVRTIVA.

REI furtiuæ [l] emptor, rogatus vt venditorem nominet, non debet illud causari se ab ignoto & transeunte emisse, sed furem ipsum indicare. Quod temere [m] ablatum aut importunè surreptum est si fuerit venditum, vẽdicari potest, ne soluto quidem quod eius nomine datum est, pretio. Nec qui furto ablata restituit, potest pecuniam repetere quam pro iis contulit. Si furtiuam [n] ancillam bona fide emeris, quod ex ea apud te conceptum est ac natum potes vsucapere, etiamsi intra constitutum vsucapionis tempus eam furtiuam esse cognoueris. Et ita quidem Neratius [o] absque vlla distinctione tradidit. Ego verò ita distinguendum censeo, vt si quidem

l l. ciuile est. C. de furt. & ser. cor. Facit c. qui cum fure. extra de furt.
m l. si mancipium. C. de rei ven. l. ij. C. de furt. & ser. corrup.
n Pomponius in l. si ancillam. pro suo. Facit l. sequitur. §. de illo. & l. non solùm. in princip. de vsucap.
o In d. l. si ancillam. Trebatius legitur.

dem toto vsucapionis tempore, cuius esset ancilla ignorâris, aut scieris quidem sed domino renuntiare non potueris, aut cum & rescisses & nuntiare posses, renuntiâris, planè vsucapere posis. Sin verò cum scires & posses, non tamen certiorem fecisti dominum, partum nequaquam vsucapere queas. Tum enim matrem reliquo tempore clàm posidere videris. Neque verò potest eadem res & clàm & pro suo posideri. Qui à furioso [a] vt sanæ mentis homine comparat, longa possessione rei emptæ dominium quærit, verùm nec actionem habet de euictione, nec accessione possessionis eius vtitur.

Si [b] à furioso quem sanæ mentis putem, emero, neque mihi tempus possessionis eius quicquam prodest, vt simul cum mea connumeretur [c] possessione, neque eum ad alterutrum adigere possum, vt aut rem vendicet, aut eius pretium [d] reddat. Enimuerò quamuis ob furorem venditio non subsistat, si tamen rem mihi ab illo venditam præscripto decennij tempore absque vitio tenuero, dominium rei consequor.

Qui [e] litis æstimationem obtulit, pro emptore posidet. Item & pro emptore posidet, qui reuera [f] emit, non qui in ea est opinione vt se emisse putet. Licet [g] venditori, meliori sibi allata conditione, addicere posteriori, nisi prior plus adiicere paratus sit, quàm priùs scilicet obtulerat.

Ne dixeris [h] debere priorem emptorem plus secundo adiicere, ni rem à se auferri velit. Plus enim hoc non valet quòd fortè priorem oporteat amplius aliquid iis quæ à posteriore adiecta sunt addere, sed quòd posit ac debeat eo vti quod posterior adiecit, hoc est eadem vti adiectione qua posterior est vsus, si ratam esse voluerit sibi factam venditionem.

Melior [i] affertur conditio, & si pretio quid addatur, & si solutio offeratur pretij facilior ac maturior, & si locus opportunior, emptor accommodatior ac ditior. Item & si leuioribus conditionibus ematur, & vbi nulla à venditore satisdatio exigitur. Denique si cætera quæ in priori emptione venditori grauia erant emptor remittat, etsi viliori pretio emat. Quæcunque enim ad vtilitatem venditoris pertinent, meliorem eius faciunt conditionem. Si plus adiicienti [k] res accesserit, quæ non minoris sit, quàm quo pluris id quod in diem addictum fuerat veniit, non resoluitur prior venditio.

QVI POTIORES IN REI DISTRACTIONE HABEANTVR.

VBI alicuius [l] bona distrahuntur, externo quidem creditor vel cognatus in emptione potior est, cognato verò creditor, & inter crditores is cui maior summa debetur. Si in [m] fraudem creditorum minoris fundum vendidero, reuocatur quod est venditum, etiamsi pretium non restituatur.

SCHOL.

Cum creditores meos fraudare vellem, idque efficere, vt bona mea quàm maximè imminuerentur, quò id creditoribus damno esset, qui non essent habituri vnde sibi fieret satis, fundum mille nummorum Petro quadringentis vendidi, qui & mei consilij ac fraudis erat conscius & particeps. Datur creditoribus actio in factum, qua factam venditionem etiam pretio non restituto reuocant. Emptoris enim dolum lex vlciscitur, & in ipsum retorquet, quod in creditores ipse moliebatur.

a *l. ij. §. si à pupillo. versicu. si à furioso. pro empt.*

b *Videtur esse ἐπεξήγησις superioris.*

c *Quod alias fit. d. l. ij. §. emptori. & §. inter. Insti. de vsucapion.*

d *Cùm alias euictionis nomine venditor obligetur. l. ex empto. de act. empt. l. in vendendo. de contrah. empt.*

e *l. j. pro empt.*

f *l. ij. in princ. eod.*

g *l. licet. de in diem addictio.*

h *Acuta præcedentis legis explanatio quã ex verbis extremis l. necesse. eo. colligit.*

i *l. eum qui emit. §. vlt. cum l. subseq.*

k *l. si prædio. §. si fundus. eod.*

l *l. j. de priuileg. cred. Huc fac. l. vlt. C. qui bo. ced. poss. l. maiorem. & l. imperator. ff. de pact.*

m *l. si debitor. quæ in fraud. cred.*

Si quis Petrum aut Paulum [a] emerit, delectum habet venditor, vtrum velit dare. Et prioris quidem mors ad venditoris periculum pertinet. Quòd si & posterior, ad emptorem: sed & si pariter eodémque momento ambo decesserint, pretium ab emptore repetetur, nisi anteà id persoluerit.

a l. si in emptione. §. pe. de contrah. emp.

DE VINI VENDITIONE.

VINARII negotiatores [b], quibus voluerint pactis vina vendunt. Nemo enim vendere cogitur, cui aut pretium aut mensura displiceat, præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat.

b l. arbitrio. §. de eo. de dolo mal. l. imperatores. de contrah. empt.

DE EMPHYTEVSI.

EMPHYTEVTA [c] ius emphyteuseos vendere volens, tenetur primario domino attestationem transmittere, eúmque de pretio certiorem facere. Qui si emere noluerit, liberum esto emphyteutæ ius suum elapso bimestri transferre. Quin & emptorem cogitur admittere dominus, vbi primùm duo menses expleti fuerint.

c l. vlt. C. de iur. emphyt.

NOVELLA CAESARIS ROMANI, CVIVS INITIVM EST, ANTIQVA est prærogatiuæ lex.

SI qui communes [d] ædeis, fundum, vineam, aut quamuis aliam rem soli habentes, aut aliter quàm communionis iure propinquis prædiis aliqua ex parte permixti aut adiacentes, consortes, vel alioquin vicini & proximi, sua alienare aut venditionis aut emphyteuseos aut locationis nomine voluerint, ne priùs hæc alij cuiquam alienato, quàm testatum iis fecerint, quos in prærogatiua τὴν τάξιν, hoc est ordine succedentes dicimus: vt primi inquam vocentur permixtim quoquo gradu iuncti cognati, aut quibuscum aliquid est commune, vt ædes, fundus, vinea, aut quæuis alia res. Eiusmodi siquidem cognatos lex præfert. Vbi verò cognati communionem in re non habent, tum anteponuntur qui aliquid in ea communitatis habent. quibus ij succedunt qui tantùm permixti sunt, etsi omni ex parte ei qui rem alienat sint externi. deinceps & simul iuncti consortes. Postremò qui simpliciter aliqua ex parte rei alienandæ vniti sunt & vicini. Consortes porrò appellamus, quotquot sub eodem censore perscripti sunt, & in censum publicum relati, etiamsi propria tributa diuersis in locis pensitent. Enimuero cum multi finibus prædij alienandi circunquaque adiacent, suo cuique ordine testationis prerogatiua tribuatur, vt renuentibus fortè iis qui iure preferuntur, qui deinceps vocantur contractum, si velint, inire queant. Quòd si æqualibus omnes subnixi reperiantur priuilegiis, vt nihil omnino sibi inuicem in huiusmodi vocatione præiudicent, eadem quoque rursus fiat denuntiatio, vt intra triginta dies iustum pretium, quódque verus emptor haud segniter [e] præstaturus esset, i. si absque vlla mora

d Hæc Nouella pertinet ad abrogãdam l. dudum. C. de contrahend. empt.

e ἀῤῥαδιουργήτως, vel absque fraude, vel haud cunctater.

mora ſoluentes, pro rata parte vel ſponte ſua vel alicuius opera & arbitratu diſtribuant. Quotquot autem intra præfixum tempus, ſibi delatam pretij partem non præſtiterint, ius prærogatiuæ amittent, niſi ſi quis fortè eorum captiuus eſt, deportatus aut relegatus, aut ob publica priuatáve negotia citra dolum abſens, aut etiam nōdum ætatis viceſimumquintum annum expleuit. Horum enim qui adminiſtranda negotia ſuſceperunt, intra quatuor menſes, cum præſentibus nouis [a] emptoribus pro rata portione concurrunt, pretium explentes, quod à minoribus ſubducta ratione eſt præſtandum, vnà cum legitimis vſuris, & neceſſariis ſumptibus. Externos verò emptores in totum ſummouent, pretium cum vſuris ac ſumptibus, ipſis reſtituentes. Quin & in vniuerſitate villarum quæ dicuntur aut prædiolorum (Vniuerſitatis autem vnius ſunt, qui ex eâdem ſunt villa) longè ſatius eſt, vt earum habitatores ſibi mutuò præferantur. Quòd ſi omnes quibus in rei diſtractione prærogatiuæ ius datur, recuſârint, vel eos exploratum fuerit ei qui rem alienat & eius familiæ aut pecuniarij damni ſeu mulctæ autores fuiſſe, aut eius corpori ac vitæ inſidias ſtruxiſſe, grauiſsimámque infamiam peperiſſe, idque non fortuitò, ſed de induſtria aut per ſe aut per ſuos, hos inuito eo qui talia ſit paſſus nulla ratione volumus ad ipſius prædia adſpirare.

Poſt decennium tamen ſilentio peractum, aduerſus eos qui quouis modo contraxerint, quíve donatione aut teſtamento quippiam fuerint conſecuti, nulla omnino ab iis qui dictis ex cauſis prærogatiuæ ius habent, imò nec à fiſco controuerſia moueatur. Occaſione tamen dotis [b] aut propter nuptias donationis, ex teſtamento vel permutatione vel tranſactione, & propinquis & externis omnes alienent, abſque ſimulatione nimirum ac dolo. Si verò qui in fraudem noſtræ conſtitutionis alienant, aliud quid facere auſi fuerint, & aliud apertè ſimulare, ſi quidem poſt iuſiurandum conuicti fuerint tam ipſi quàm qui ita doloſè cum ipſis contraxerunt, & periurij pœnas dabunt, & hi quidem prædio, illi verò clàm ſoluto pretio excident, & vtraque fiſco inferentur, vt à fiſco propinquis venundentur. Sin verò ante iuſiurandum deprehenſi fuerint tale quippiam egiſſe, & quod actum fuerit erit irritum, & qui ſemel fundum præter iuris formulam alienare conatus eſt, vel inuitus poſteà cogetur iis vendere quibus ius prærogatiuæ conceſsimus. Et hæc quidem ita de his ſtatuenda.

Quod autem ad communionis [c] prærogatiuam attinet, huic debet decennij præſcriptio opponi. Verbi gratia, cum ædeis haberes, in quibus & mihi eſſet communionis aut propinquitatis ius, aut quid aliud, vnde mihi naſceretur prærogatiua, eas nulla mihi de ea re facta denuntiatione vendidiſti, totum mihi integrum ſeruatur decennium, quo actionem de prærogatiuæ iure intendere poſsim. Si enim illud dixeris, debuiſſe me ex legis præſcripto intra quadrimeſtre experiri, in promptu eſt reſponſio, legem hoc non abſque

dist

a *νέων, Alij minores ipſos intelligūt adſtantes. Ego alios emptores intelligi malim quibus eſt ius prærogatiuæ.*

b *l. ante diuiſionem C. de iur. dot.*

c *His tollitur l. j. C. cō-muni diuid. & aliquot ll. C. de comm. re. alien. vt j. pe. & antepenult.*

Romanum.

distinctione protulisse. Si enim certior factus sum, quadrimestri submoueor. Sin minùs, decennium mihi seruatur. Quòd si dixeris: Atqui tum aderas, cum ędes venderentur, nec es refragatus. Nam & tu qui emebas, me in re, cõmunionis, propinquitatis aut aliquod aliud ius habere perspiciebas: itaque prænuntiasses. Quapropter si prænuntiaris, quadrimestre tempus tibi est auxilio: sin minus, toto me decennio tueor. Et Magister in obseruationibus suis ita inquit: Vrget omnino lex præsentem eum cui ius prærogatiuæ tributum est, vt intra triginta dies aut pretium numeret, aut ius prærogatiuæ remittat. Quatuor verò menses in absentibus statuit, qui scilicet eorum curatoribus & negotiorum gestoribus concedantur. Prohibet insuper & Nouella hæc potentioribus, ne aut ex venditione aut donatione aut testamento quicquam à tenuioribus accipiant, nisi eorum sint cognati. Quod à nobis quondam vt otiosum ac superuacuum neglectum fuerat ac remissum. Itaque horum potentiorum inquam causa, & non propter vllos alios, illud est adiectum, qui donatione aut testamento quippiam fuerint consecuti. Non desunt & qui dicant totum id quod de decẽnio adscriptum est, propter potentiores duntaxat fuisse adiectum. Cæteris enim quatuor menses, ídque deliberandi tantùm gratia datos esse. Verùm hoc apud nos locum non habet: vt qui aliis quoque personis decennium in venditionis prærogatiua tribuerimus. Emphyteuseos siquidem & locationis prærogatiua iam in desuetudinem abiit.

Novella Caesaris Michaelis.

Potior est propinquus externo in rerum soli antichresi [a].

Nouella autem Cæsaris Emmanuelis [b] hæc insuper adiicit. Inquit enim in antichresi quoq; ius induci prærogatiuæ, atq; in antichresi ea omnia valere, quę & in donationibus superiori Nouella cauta sunt: & propinquitatis etiã ius concedi, etsi quis partem duntaxat rei immobilis, in qua alteri ius prærogatiuæ competit, vendat, partem verò vel minimam sibi relinquat non venditam, eam fortè quæ vicini ædibus aut fundo proxima sit, in quibus ius spectatur propinquitatis, neque huiusmodi curiosis commentis veritatem vinci, ita vt irrita maneant, quæ superiori constitutione super his statuta sunt, præualente ac prægrauante legique fraudem faciente morosa quorundam & arguta anxietate. Siquidem & qui rem soli vendit, etiamsi compositò diremptum ac seiunctum id vendiderit, quod vicino proximum est, hoc quoq; non alij quàm ei qui prærogatiuæ ius habet, vendere poterit.

Vbi distractio [c] fit, externo quidem creditor vel cognatus in emptione præponitur, magis tamen cognato creditor: inter creditores verò is est potior, cui plus debetur.

a Αντίχρησις est mutuus pro credito pignoris vsus: quo verbo bis Martianus vtitur, l si pecuniã. de pig. act. & l. si is qui. §. j. de pign. Etsi posteriori loco nonnulli ἀνθυποχὴ legunt, quod idem fere est.

b Pro Μιχαὴλ quidã μιχαὴλ legunt: quod & malim, cùm hæc sit epexegesis iam positæ Nouellæ Cæsaris Michaëlis.

c Hoc & sup. dictum ex l. j. de pri. cred.

Novella Caesaris Nicephori.

Ne se prærogatiuæ ius habere putent pauperes, cum potentiorum distrahuntur prædia, nec ex eo quòd consortes aut commune quid cum illis habeant, siue milites siue ciues deprehendantur. Sed ad eos iterum redeant prædia, qui dignitate aut opibus & copiis clari sunt, qui scilicet ad tenuiorum his adiacẽtium tranquillitatem & commodum tuendum spectent. Et potentiores quidem à potentioribus

ribus duntaxat emere volumus: milites verò ac pauperes ab iis quibus sorte idem ordo obtigit. Si præterierit absque denuntiatione & interpellatione quadriennium, postquam emptum fuerit abruptum iámque penè abolitum prædium, iam non potest quis de iure prærogatiuæ experiri. Romanum. Cum quis ex parte ob communionem, in ædibus prærogatiuam haberet, totas ædeis emere nolebat. Iudex verò ita statuit, vt cum ad vniuersarum ædium venditionem animum non appelleret, & prærogatiuam remitteret, quam ex parte habebat. Romanum. In venditoris enim & emptoris gratiam hoc recens ius est inductum, iustéq; institutum, vt ne scilicet propter communionis beneficium iure concessum, alia quæ adiacent, & ex eodem penè corpore sunt, inempta maneant. Is quidem qui in re quapiam communionis ius habet, præfertur. Verùm si in magnis amplísque ædibus exiguam habeam communionem, in eo solùm quo communico præferor, atque adeò vel vniuersas ædeis emere compellor, aut si non emero, communione excido. Si tamen nolit venditor me vniuersas ædeis emere, nequaquam ex perexigua communione iure possum vniuersas petere.

MAGISTER.

Et si ea, in quibus communionis causa cæteris anteponor, ab aliquo vendita donatáve, etiam sacræ ædi fuerint, id rescinditur. Atque id ex facto pronuntiauit Magister, huiusmodi reuocata donatione, suóque iure seruato ei qui ius habebat prærogatiuæ.

Ea quidem quæ vsu quæritur possessio, hoc est decennium, tutum pręstat, ita vt iam interturbari non possit, emptorem. At dominium quod ex vsu queritur, hoc est triennium, à repetitione quidem fructuum, eum facit immunem ac liberum, non item tutum ac solidum rei hypothecæ nomine obligatæ dominum constituit.

DE SACRIS DOMIBVS.

SACRA [a] & veneranda loca, si aliunde non suppetit vnde tributa fiscalia pensitent & compleant, rectè etiam prędia vendunt, discussa tamen priùs atq; disceptata apud Metropolitam alienatione, idque in conuentu episcoporum & clericorum, adhibitis sacris oraculis. Quòd si nulla alia subministretur facultas aut ratio soluendorum tributorum, confirmetur occultè venditio, detúrque fisco ex rebus venditis confecta pecunia, & cautio de iis quę persoluta sunt.

Illud insuper [b] legi adiicere æquum censuimus, vt qui seruum vendit, si eum sciat furem esse, furiosum aut phanaticum, huius rei emptorem præmoneat. Nisi enim hoc fecerit, & ipse seruum recipiet, & duplum pretium emptori restituet, præstaturus & si quod damnum in emptoris ædibus attulerit.

a Sumptum ex Nou. de eccle. re. immobil. alien. §. sancimus. Idem habes in Nou. de alie. & emphyt. §. si verò quis. vnde Authē. itē prædiū. C. de sac. san. eccl. est sumpta. Idem in rebus mobilibus. No. ea. §. pe. & l. sancimus. j. C. eo. cū Authen. præterea. subsequen.

b l. Iulianus. in princ. de action. emp. l. j. §. causa. de ædil. edict. & l. j. C. eod.

DE IVRE EMPHYTEVTICO.

TITVLVS IIII.



MPHYTEVSIS [a] neque locatio est neque alienatio, sed medium quendam inter hæc duo locum obtinet, & partim locationi cognata est, partim alienationi simillima, adeò vt vtrunque simul in se complecti videatur, atque esse velut locatio quædam simul cum alienatione coniuncta. Locatio siquidem semper non est, nec perpetuo tenetur, sed vbi semel contracta fuerit, esse iam post sui impletionem desinit. Emphyteusis [b] verò potest & perpetuò constare, nihilque obstat quo minùs omni tempore permaneat. Atque hoc est quo à locatione seiungitur emphyteusis. Rursus alienatio, venditio est absoluta, vbi nimirum persoluto pretio nihil quicquam vltrà emptor confert, nec verò quicquam quotannis præstare cogitur. At emphyteusis in singulos annos cùm fiat, velut annuam pensionem ac tributum exigit. Et hac re differt emphyteusis ab alienatione. Et quatenus quidem is qui emphyteuseos nomine rem quampiam accepit, facilè à quo accepit non expellitur, neque rem sibi datam in exiguum tempus possidet, neutiquam locationis nomine emphyteusis censetur. Vt verò rursum quotannis præfinitum & conuentum canonem præstat, neque item alienatio est ac perfecta venditio, sed media inter locationem & alienationem spectatur. Ideóque quę huic competunt iura peculiaria sunt, & ab iis distincta, quæ locationi & alienationi destinantur.

DE SACRIS AEDIBVS.

EMPHYTEVSES [c] à sanctissima maiore ecclesia regiæ ciuitatis, item & ab orphanotrophio, xenonibus, nosocomiis & ptochiis, non in personam tantùm eius qui accipit, sed & in alios duos deinceps hæredes fieri tradíque iubemus. Ruinæ & collapsa ædificia Constantinopolitanæ ecclesiæ in perpetuam concedantur emphyteusim, ídque sub tertia parte [d] pensionum quæ stante ædificio pensitabantur, vel sub dimidia earum quæ post factam ab emphyteuta reparationem colligi possent. In cæteris [e] autem ecclesiis, monasteriis, xenonibus ac reliquis venerandis domibus, quæ aut intra Constantinopolim, aut vbiuis terrarum sunt, harum quoque ruinæ iure emphyteutico in perpetuum ab iis qui dare voluerint dantur, ea tamen lege vt ne subleuatio fiat ei qui rem in emphyteusim accipit maior sexta reddittuum parte, qui ex eiusmodi re quæ emphyteuseos causa datur, percipi solent. Locationes [f] à venerandis domibus contrahi duobus modis permittimus, vel quoad emphyteuta superstes fuerit, vel in quantuncunque tempus contrahentibus libuerit, ita tamen ne triginta annorum excedant interuallum.

In ecclesiis [g] quidem & sacris domibus si per biennium emphyteuta

a *Ex l. j. C. de iur. emphy. & §. adeò. Inst. de loc. & cond. Vide hac de re & tit. ff. si ager vectig. pet. vbi tradit Paulus vectigales agros vocari qui in perpetuũ locantur. Emphyteuseos enim nomẽ nusquam in Pandectis reperies.*

b *Vide gl. j. c. vlt. ext. de loc. & conduct.*

c *No. de alien. & emphyt. §. emphyteuses. Ex qua nouella penè omnia ad finẽ huius titul. sumpta sunt.*

d *Hinc tollitur scrupus ille qui Accur. d. No. §. si verò quædã sunt loca. vnde Auth. si quas ruinas, quæ & in canones relata est. x q. ij. malè torsit, & quosdam alios tertiáne an duæ emphyteutæ remittantur partes ab imperatore.*

e *No. de non alie. aut permut. §. qui verò Leonis. vnde auth. perpetua quoque. C. de sac. sanct. eccl. est desumpta.*

f *§. locationes. d. Nou. de alie. & emphyt.*

g *Nou. de non alie. §. scire. & No. de non alien. & emphyt. §. si verò quis aut locator, vnde Authen. qui rem. C. de sacro san. eccl. sumpta est. At conductor qui pensionibus intra biennium nõ paret, sine metu pœnæ expelli potest. l. quaero. §. inter. loc.*

teuta conuentum non persoluerit canonem, cadit emphyteusi: in aliis verò, si per triennium. Oeconomis[a], orphanotrophis & huiusmodi quaruncunque sacrarum ædium procuratoribus, seu negotiorum gestoribus, insupérque omnium chartulariis, atque horum parentibus, filiis, & cæteris qui quoquomodo ipsis aut propinquitatis aut affinitatis iure sunt coniuncti, vetamus, ne emphyteuses, locationes aut oppignerationes suscipiant aut per se ipsi aut per intermediam personam, rerum quæ ad ipsas venerabiles domos spectant: qui & illud sibi persuasum habeant, si quid eiusmodi fecerint, & irritum fore, & eum quidem qui rem emphyteuseos aut locationis nomine acceperit, re spoliandum, quin & pretio eius nomine soluto mulctandum. Eos verò qui eam contraxerint emphyteusim œconomos, chartularios, & procuratores tanta simul pecuniæ summa mulctatum iri, quæ domui adiudicetur, quantum numerati pretij detrimentum passus est emphyteuta. Hæretici[b] rem soli ecclesiasticam ne possideant, neque emphyteuseos neque locationis iure. Quòd si quis eiusmodi quid, hæreticus fecisse deprehendatur, quod pro his dederit, amittat.

a *Dicta Not. de non alien. §. œconomis. duobus locis.*

b *Facit l. si qui orthodoxæ. C. de hæretic. & Manich. Concordat c. excommunicamus. j. & cap. vlt. extrà eod.*

DE MVTVO ET PIGNORE, EX MICRO, IVXTA SERIEM QVAM IS HAEC TRACTANS TENVIT. TIT. V.



EBITI[c] appellatio latiùs patet quàm mutui. Mutuum enim id est, quod ideò debetur, quia datum est aut numeratum, nihílque aliud ab hoc mutuum nominatur. Debiti verò nomen & ipsum amplectitur mutuum, & quod ex legato testamentóve relictum est, & quod ex rei alicuius diuenditæ pretio superest, ac in vniuersum hoc nomine censetur, quicquid qualibet ex causa debetur.

c *Quàm latè debiti seu crediti nomen pateat docet l. creditores. cum duab. seq. de verb. & rer. signifi. & l. j. de rebus cred. vtq; à mutuo differat, l. ij. §. creditum. eod.*

DE PROVINCIARVM PRAESIDIBVS.

PRAESIDES[d] in iis quas regunt prouinciis mutuam pecuniam dare, fœnus exercere & negotiari prohibentur, sed ipsi potiùs ab aliis fœnebrem sumũt pecuniam. Qui verò his subsunt magistratus, & mutuam & fœnebrem dare pecuniam nihil prohibentur.

d *l. eos. C. si cert. pet. l. principalibus. cum l. seq. ff. eo.*

DE PIGNORATITIIS FRVCTIBVS.

FRVCTVS[e] ex pignore percepti in sortem computantur, siqúe toti debito persoluendo satis fuerint, omnis actio tollitur & pignus restituitur. Si verò etiam debitum superent, restitui eos conuenit qui sortem egressi sunt. Operæ[f] ancillæ, & domuum quæ pignori detinentur pensiones debitum ipso iure releuant, adeò vt si abundè sit quod inde collectum est, actionem tollat. Fructus ex prædio pignori nexo[g] percepti, in exonerandi debiti rationem computantur, non solùm quos creditor percepit, verùm & quos perci-

e *l. j. C. de distractio. pig. Concordat cap. cum contra. extrà de pig. & cap. ex literis. cum gl. in ver. amplius. extrà de iureiuran.*

f *l. j. C. de pign. actio. & l. ij. C. de pact. pig.*

g *l. ex prædiis. C. de vsur. l. ij. C. de pig. actione.*

pere potuit. Sed & si agrum deteriorem effecerit, hoc nomine pignoratitia [a] actione conuenitur.

DE ANTICHRESI.

QVI mutua data pecunia domum pignori ea lege accepit, vt in ea habitaret [b], etsi legitimis vsuris, maior est, quæ ex domus locatione redigi poterat pensio, non tamen [c] illicitum & amplius quàm par sit fœnus exegisse, sed domum potiùs vilioris conduxisse videtur. Quòd si domo locata, pensiones ex ea redegerit, tum sanè si quid supra legitimum vsurarum modum [d] percipere potuit, id omne in sortem imputatur.

DE PACTIS PIGNORVM.

PROPRIE [e] pignus dicitur, quod creditori traditur, quod verò sine traditione, nuda conuentione tenetur, hypotheca est.

DE DISTRACTIONE PIGNORIS.

SI quis [f] accepto pignore pactiones aliquas super eo interposuerit, quæ placita & conuenta fuerint rata sunto. Sin verò nulla apposita conuentione, biennium ex quo sententia lata aut denuntiatio missa est, præterierit, liberum ei esto pignus [g] distrahere. Creditor [h] pignus distracturus, notum hoc si facultatem habet debitori faciat, eíque testatò denuntiet. Si quid tamen per fraudem in pignore distrahendo fecerit, actione quæ eo nomine competit, conuenitor.

Qui pignus [i] tenet, non tenetur. Neque enim rei seruandæ causa possidet.

SCHOL.

Cum quis diuersos haberet creditores, ab horum vno conuentus est & de credito interpellatus: qui cùm soluendo non esset, præsentemque non haberet pecuniam, creditori pignus dedit. Tradito pignore petierunt & reliqui creditores in possessionem mitti rerum debitoris, vt qui sui copiam non faceret, iudiciumque subire nollet. Hîc illud in quæstionem venit, num possint missi in possessionem creditores, pignus quoque illud accipere, quod priùs alij creditori datum fuerat. Et sanè non poterunt. Is enim qui pignus accepit, eò accepit vt sibi caueret ac prospiceret, quò haberet vnde sibi fieret satis, non autem ex generali creditorum possessione, seu rei seruandæ causa. Qui enim hac ratione possidet, vt qui omnium creditorum nomine possideat, resque debitoris omnibus seruet creditoribus, iure optimo ab illis, vt res in medium proferat, conuenitur [k].

Siue [l] ab initio siue postea de pignorum distractione conuenerit, siue nihil omnino conuenerit, rectè ea creditor vendit, eorúmque dominium [m] in emptorem transfert: nisi expressim conuenerit, ne distraherentur. Tum enim creditor si ea distraxerit, furti actione [n] obligatur. Si ita pactus fuerit creditor [o], vt ni ad diem præstitutam persoluta esset pecunia, rei oppigneratæ dominus fieret, eiusmodi pactùm inualidum esto. Si de distrahendo pignore [p] conuenerit, non ob sortem solùm, sed & ob vsuras & quæ in id impensa sunt, venire poterit. Pignus siquidem quod sortis nomine obligatur, tacitè & pro vsuris [q] obligatum censetur. Qui rem alienam pignori obl

a d.l.ij.& l.vj.C.de pig.act. Vide l.eleganter.in fi.ff. eod.
b Id quod ἀντίχρησιν Iurisconsulti appellant, vt suprà docuimus.
c l.si ea pactione. & l.si ea lege. C. de vsuris.
d Qui præscribitur l. eos qui.§.j.C. eo.
e l.si rem.§. propriè. de pign.act.l.plebs. §.pignus.de ver.& rer.sig. Institut. de action.§. item Seruiana. At Martianus l. res hypothecæ.sub fi. de pig. hæc nominis tãtùm sono differre tradit.
f l.vlt. de iure domi. impetr. Instit. quib. alien.lic.§.j.
g Cui si ex compacto seu ambitione aduersarij emptor inueniri non possit, in earum possessionem creditor mittetur. l. ordo.C.de executio. rei iudic.
h l.debitores.de pign. C.& l.iiij C.de distract.pig.
i l.illud constat quæ in fraud.cred.
k l.cum vnus.de bon. auto.iud possidend. l.vlt.C.eod.
l l.si conuenerit. de pignorat.act.
m l.non est nouum de acqui.rer.dom. l.ij. C.si antiq.cred pig. ven.
n l.si is qui rem pignori.de furt.
o l.vlt.C.de pact pig.
p l.si necessarias. §.vltimo.de pig.act.
q Facit l. in summa. C.de pign.

ri obligat, se ipse obstringit [a]. Neque enim quod pignori oppositum est eum obligat, eíve quicquam nocet, qui eius dominium nactus est. Etiamsi pactus fuerit debitor, vt si præfinitum solutioni tempus excederet, creditori facultas daretur pignoris distrahendi, non ideo tamen debitori actio tollitur [b] pigneratitia, si minoris creditor vendiderit, quin iure quod communiter obtinet, conueniatur.

Pignus ex causa iudicati captum [c], per apparitores præsidum venundetur. Quòd si nullus fortè reperitur emptor, aut reperitur quidem, sed qui non suo iustóque pretio rem comparet, voluerit autem is secundum quem est pronuntiatum, pignus maioris licitari, id ei non secus ac externo cuipiam facere licet. Potest creditor [d] cui à debitore quid pignoris nomine traditum est, & ipse rursum alij creditori illud in pignus dare, verùm ob tantum pretium ob quod ipse antea tenebat.

DE IIS QVAE FORTVITO POSSVNT IN PIGNORIBVS CONTINGERE.

QVAE [e] fortuitò in pignore contingunt, siue commoda siue incommoda, ea ad debitorem pertinent. Mutuos à me sumpsit quidam nummos quingentos, oppignerata mihi argentea supellectile. Cæterùm cum eum hac egere contigisset, eam vt sibi concederem rogauit, ac postmodum etiam eius diuendendæ facultatem petiit, quod & à me impetrauit. Interiecto postea tempore, hanc volo ab emptore vendicare. Verum nequaquam hoc mihi licere lex [f] inquit, quando semel distractioni acquieui, iúsque quod in pignore habebam remisi. Tutò itaque eam est habiturus emptor. Mihi verò aduersus debitorem salua permanebit [g] actio. Quæ fortuito [h] casu pignoribus accidunt, debitorem respiciunt. Si quis enim quid alicui mutuum dans, pignus à debitore acceperit, ac postea casu quodam pignus perire contigerit, creditori non solùm rei oppigneratæ nihil nocet interitus, sed & totum debitum potest in rem suam repetere. Porrò debet creditor nec culpam nec dolum [i] in pignore admittere, neque eo ad aliquid aliud vti, quàm cuius gratia sibi datum est [k]. Sicut fortuitos [l] pignoris casus creditor non agnoscit, sic dolum, culpam & custodiam in eo exhibere cogitur.

Si creditor [m] sine vitio suo & culpa pignus perdiderit, non tenetur: verùm eius est probare se perdidisse. Fortuita enim creditori periculum non creant, sed potest si rem oppigneratam fortuitu amiserit, quod sibi debeatur exigere. Si tamen inter contrahentes [n] placuerit, vt pignorum interitus debitorem liberet, ratum id ac stabile esto. Si quis [o] cum mutuum dedisset, accepto pignore in eam rem vsus fuerit, quæ debitori haudquaquam placeret, atque inde damni quippiam aut planè interitus pignori acciderit, id non debitoris sed creditoris periculo ascribendum. Non si pignus [p] debitori reddatur, continuò debitum remissum intelligitur, nisi specia-

a *Vel cōtraria pigno ratitia. l. si rē alienā. j. in prin. de pig. act. l. antepe. & pe. C. si res alie. pig. da. Vel crimine stellionatus. l si quis in pignore. §. j. de pigno. act. l. ij. C. de crimi. stellionat.*

b *l. j. & pe. si vendit. pig. agatur. C.*

c *l. ordo. de execut. rei iud. C. l. ij. & to. tit. C. si in cau. iud. pig. cap. sit. l. à diuo Pio. §. si pignora. de re iudicata.*

d *l. grege. §. cū pignori. de pign. l. debitor. in fi. de pig. act. l. j. & tot. tit. C. si pign. pig. data sit.*

e *l. si inter. §. quicqd. de pig. Inst. qui. mo. re contr. obl. sub fin.*

f *l. ij. l. cū te. & l. vlt. C. de remiss. pig.*

g *facit l. distractis. C. de pignor.*

h *l. quæ fortuitis. & l. pignus in bonis. C. de pig act.*

i *§. vlt. Inst. quib. mo. re contr. obli. l. si cū venderet. in fi. cum l. seq. de pig. act.*

k *Alioqui furtū admittit. §. furtum autem. Inst. de obliga. quæ ex del. nascun. & l. si pignore. in princ de furt.*

l *l. sicut. C de pigno. l. creditor. ij. C. de pignor act.*

m *l. si creditor. C. eodē.*

n *Dicta l. quæ fortuitis. in fi.*

o *Fac. l. qui ratiario. de pig. act.*

p *l. postquam verò pignus. de pactis. contrà, si cautio reddatur. l. Labeo. præcedenti.*

liter hoc actum & conuentum esse probetur. Qui pignori [a] aut hypothecæ res plures accepit, nisi expleto vniuerso quod debetur, vnam liberare non cogitur.

DE REBVS QVAE PIGNORI HYPOTHECAEVE OBLIGANTVR.

HYPOTHECAE [b] quidem appellatione illud intelligimus, quod debitori quidem permanet, sed creditori confecto instrumento [c] obligatur, quò ei in tuto magis sit creditum, & satis pro eo accipiat. Pignus autem id dicimus, quod creditori in manus traditur. Cæterùm communi nomine tam quod traditur, quàm quod obligatur [d] pignus vocitari solet. Creditor [e] qui fundos aut domos hypothecæ nomine accepit, damnum in cædendis arboribus & diruendis ædibus, à se datum in rationem debiti deducere cogitur. Quin & si non dolo aut culpa rem oppigneratam deteriorem fecerit, & hoc nomine pignoratitia tenetur, vt talem restituat qualis obligationis tempore fuerat. Creditor autem sumptus necessarios [f], quos in rem oppigneratam fecit, exigere non prohibetur. Res pignori oppositas [g] actione personali, hoc est pignoratitia directa debitores repetunt. Quo iure fit, vt neque creditori liceat res debitoris citra conuentionem aut præsidis iussum auferre, hoc est ea distrahere quæ pignoris causa detinet. Si pignori data domus [h] exusta est, & quispiam empta area extruxit, etiam in eo quod extructum est, pignoris persecutio perseuerat. Sed bonæ fidei possessor non aliter ædificium restituit, quàm si sumptus, quatenus pretiosior res facta est, receperit. Si rem alienam [i] quis pignori dedit, cuius postea ratione aliqua factus sit [k] dominus, nihilo minùs validè oppignerasse visus est, ex eo scilicet quod est subsecutum atque effectum.

Ex iis qui hypothecam habent potior est & is qui prior eam accepit [l], & hæres eius. Cum ablatis à Melio debitore prædiis, is postea creditori controuersiam mouisset, quòd ea non suo pretio distracta fuissent, pronuntiauit Magister, vt is persoluto debito prædia sua reciperet [m]. Cum verò petiisset, vt solutioni dies præfiniretur, dati sunt ei à tempore quo hoc in acta relatum est, sex menses. Quòd si & hunc prætergressus esset terminum, adiudicabat aduersario prædiorum dominium. Diuturna [n] possesio ius pignoris non tollit. Creditor [o] atque eius hæres longi temporis præscriptione sese tueri non possunt, quò minùs exoluto debito pignus reddant: at tricennio [p] possunt. Sunt & pignora ac hypothecæ quę tacitè [q] contrahuntur. Qui enim ob ædificij [r] restitutionem mutuum dedit, aut mandato domini qui ædificij sumptus redemptoribus ministrat, ædeis habet sibi obstrictas, atque adeò cæteris creditoribus, si eas ædeis quò sibi cautum sit accipere voluerit, præfertur.

a *l. qui pignori. de pignor fac. l. quadin. C. de distr. pig.*
b *De hac re supra diximus.*
c *Quanquam & nudo pacto absq; scriptura hypotheca cõtrahitur. l. contrahitur. de pignor.*
d *Vt constat ex l. j. de pig. act. vbi pignus non solùm traditione, sed etsi traditũ non sit nuda conuẽtione contrahi dicit.*
e *Ad verbum, ex l. creditor. ij. C. de pig. actio. l. eleganter. §. vlt. ff. eod.*
f *l. si necessarias. in principio. l. si seruos. eodem.*
g *l. pignoris causa. C. eo. l. si rem. §. omnis. ff. eodem.*
h *l. domo. de pignora. actione. l. Paulus. §. pen. de pig.*
i *l. cum res. C. si aliena res pignori data sit.*
k *At si creditor factus sit dominus, pignus esse desinet. l. si rem alienam. ij. de pig. actio.*
l *Facit l. creditor qui prior. in principio, qui potiores in pig.*
m *Facit l. j. & totus penè titu. C. si vend. pig. ag.*
n *Id est vsucapio. l. vsucapio. C. de pignoribus.*
o *l. neque mutui. C. quibus non obstat longi temporis præscri. Facit l. si vxor. C. de pignor.*
p *Personales enim actiones vltra triginta annorum spatiũ non pretenduntur. l. sicut. C. de præscriptio. triginta vel quadraginta annor.*
q *Cuius rei est & peculiaris titu. ff. ac C. in quib. cau pig. vel hypoth. tac contrah.*
r *l. j. eod. & l. interdum. qui pot. in pig.*

DE PRAEROGATIVA MVTVI.

SI duobus [a] eodem die pignus idem datum est, non aut præcedentes aut subsequentes horæ, prærogatiuam horum alteri gignunt, sed ambo pro quantitate debiti pignus habent obligatum. Si quis [b] cui mutuârit, pòst & ipse eidem mutuâro, vt ad has nundinas negotiandi causa proficisceretur, profectus autem ad nundinas qui mutuū acceperat, decesserit, priore creditore potior sum in iis mercibus quas debitor in nundinis mercatus est, vt qui huius rei causa mutuârim.

Illud in vniuersum tene [c]: Creditorem omnem aut personalem esse, aut hypothecarium. Ac personalis quidem is est, qui nullo accepto pignore aut hypotheca, cuipiam mutuum dat, solumque ipsam eius qui mutuum accepit, personam credito obligatam habet, non item facultates. Hypothecarius verò qui hypothecæ nomine domum accepit aut fundum, estque longè validior personali, quippe qui & oppigneratas res sibi obstrictas habeat.

In personalibus [d] actionibus si posterior creditor, mutuò datum receperit, & silentio transcursum fuerit triennium, nec [e] tamen id prior creditor rescierit, eius qui anteuertit ius non immutat. Qui proprium debitum est consecutus [f], antiquiorem quòd negligens fuerit summouet. Iura enim vigilantibus non altum stertentibus scripta sunt. Si à quopiam eadem res pignori opposita fuerit, primùm quidem creditori priuato, deinde fisco, tum & doti, præfertur dos etiam fisco [g], quòd hæc [h] anterioribus creditoribus anteferatur, qui quidem [i] & fisco potiores sunt [k]. Antiquiores creditores, doti præferuntur, quam quis se filiæ [l] daturum spopondit. In contractibus, cúmque illud quæritur, quis in his potior habeatur, non solutionum [m] sed obligationis contractæ tempus attendimus.

Quibus in casibus [n] is qui hypothecæ nomine quid accepit, necesse habet contractum implere, vt in dote, in his nullam numerationis habemus rationem, sed dicimus firmum esse ac validum contractum ab initio quo peractus est. Vbi verò in eius & contrahentis potestate situm est, vt contractum si libuerit impleant aut non impleant, ibi numerationem inspicimus [o], non initium contractus.

Prior creditor qui generalem habet hypothecam, eo potior est [p] cui posteà res aliquæ specialiter pignori dantur. Itaque & qui ab illo priore emit, eo nomine à posteriore [q] nequaquam turbabitur. Quòd si & multis creditoribus [r] eadem pignora diuersis temporibus obligata fuerint, si tamen vnius ex his pecunia emptus fuerit fundus, quem ei specialiter obligatum esse côuenerit, non dubium quin hic quod ad fundum attinet, cæteris prẹponatur. Si quis creditoribus obẹratus [s], cum soluendo non sit, sibi delatam hæreditatem vel legatum repudiet, non eò in fraudem creditorum facit, q̄ nō admittat. Neque enim quicquam rerum suarum possidere desinit. Is enim

a *l. si fundus. §. si duo. de pig.*
b *l. huius enim. qui po tiores in pig. l. licet. C eodem.*
c *Scholium est.*
d *Idem habes suprà lib. j. tit. de actionibus, speciali titu. de mutuo. De qua re suprà nonnihil diximus.*
Romanum.
e *In exemplari Græco, hîc non apponitur negatio, quam nos ex lib. j. adiiciendum censuimus.*
Romanum.
f *l. pupillus. quæ in fraudem cred.*
g *Contrà dotem & fiscum paria facit l. ij. C. de priuil. fis.*
Romanum.
h *l. cum tibi. & l. assiduis. C. qui po. in pi.*
i *l. iiij. C. eod.*
Romanum.
k *Qui enim me potior est, si te superē, multò magis aduersum te obtinet. l. de accessionibus. de diuers. & tempor. præscrip.*
l *Maximè si id in fraudē fiat. l. hac in factum. in fi. quæ in fraud. cred.*
m *l. prima. qui potiores in pig.*
Romanum.
n *Eadem l. & l. qui balneum. eodem.*
Romanum.
o *l. Titius. quæ res pignori vel hypothecæ datæ obliga. non possint.*
p *l. secunda. qui potiores. l. si generaliter. C. eodem.*
q *l. tertia. de distractione pignor.* *r* *Dicta l. licet. C. qui potiores.* *s* *l. non fraudantur. de regul. iuris. l. nemo. §. illud. pro socio. l. qui autem. j. quæ hæc omnia fusè tractat. quæ in fraudem creditor.*

dem

demum tenetur, qui cum debeat, & bona habeat, de his aliquid diminuit. Porrò hæreditas & legatum non in bonis sunt debitoris, sed ex liberalitate ad eum peruenerũt. Si ergò ea debitor acquirit, cogitur creditoribus exhibere. Meritò itaq; lex, inuitum eum non cogit hęreditatem aut legatum accipere. Satius enim ducit eum à quo hoc in ipsum beneficij cõferebatur his frui, quàm ad creditores sine vllo donatarij emolumento peruenire. Si pignus [a] prior creditor vẽdiderit, secundo nihil superest. Sin debitor ipse priori, prærogatiuæ iure vel in solutum dederit, vel vendiderit, potest quidem secundus illud consequi, verùm ita si quod priori creditori debitum erat, obtulerit. Qui in refectionem domus [b] mutuum dedit, potior haberi solet.

SCHOL.

Obserua personalium creditorum varia esse genera. Sunt enim qui priuilegium exigendi habeant, sunt & qui non habeant. Et ij qui priuilegium habent, post hypothecarios quidem secundas obtinent, iis autem qui nullam habent hypothecam, potiores sunt. Cæterùm qui priuilegium habent, sunt & alij plerique [c]. Nunc verò & ei priuilegium exigendi competit, qui ob ædium restitutionem mutuò dedit, vt in eiusmodi specie. Cum ruinosam domum haberet Petrus, mutuam à Paulo pecuniam rogauit. Is facilè adductus, ea lege Petro mutuam dedit pecuniam, vt eam in ruinosarum ædium restitutionem impenderet. Quod & factum est. Interiecto tempore Petrum Paulus conuenit, mutuo datum repetens. Eundem conuenerunt & alij creditores personales, qui solùm ei mutuò dederant, nullo subnixi priuilegio. His præfertur Paulus, ac primus crediti nomine satis accipiet. Posteà verò & cæteri personales creditores, si quid in bonis debitoris superfit, inde sibi cauebunt.

Si tibi [d] quæ habiturus sum obligauerim, & alij fundum Petri, si in dominium meum peruenerit, ambo in pignore concurritis, si meis nummis fundus emptus est, ille quidem ex generali hypotheca, hic verò ex speciali. Neque quicquam præiudicat, quòd ex nummis priori creditori pignoratis [e] fundus emptus sit, quippe cùm rerum nondum quæsitarum hypotheca sit generalis. Si pro [f] filia mea dotem in fraudem creditorum conscripserim, tenetur filia de dote actionem cedere.

SCHOL.

Petrus cum varios haberet creditores, & horum fraudandorum consilium iniisset, filiam emancipatam viro elocauit, ac pro ea dotem socero huius doli ignaro [g] dedit, vnde rem suam imminuit. Habent aduersus filiam creditores in factũ actionem, eamque compellũt, vt sibi de dote actionem quam priùs habebat, cedat: quam acceptam intendunt, dotémque soluto matrimonio repetunt. Finge autem patrem cum dotem daret non esse stipulatum, vt sibi dos restitueretur, sed simpliciter dotem dedisse.

Inter eos [h] qui hypothecam habent, potior est & is qui priùs accepit, & eius hæres. Constitutione [i] cautum est, si quis filiæ dotem in fraudem creditorum constituerit, posse & eos conueniri qui eam acceperint. Si creditores [k] partem ex bonis parati sint consequi, ratio habenda priùs necessariarum personarum, si idoneæ sint.

In personalibus [l] actionibus qui mutuo dederunt, vt primis creditoribus daretur, in eorum locum succedunt. Si primi creditoris

Romanum.

a *l. cum prior. de distr. pigno. Vnde collige distinctionẽ in Græco exemplari ante τῷ δεύτέρῳ statuẽdam, non post. Neq; enim est intelligendum secundo creditori priorem vendidisse, vt & monet Accur. in glo. j. ad l. j. C. si antiq. credi. pig. vend.*

b *l. creditor. de rebus cred. si cer. pet. l. j. de ceß. bo. l. j. in quib. cau. pig. vel hypot. taci. contrah.*

c *De quibus in titu. quæ in frau. cred.*

d *l. idemq;. §. si tibi. qui potior.*

e *Res siquidẽ ex nũmis aut fructibus pigneratis empta, pignorata non est. d. l. & l. quamuis. C. in quib. cau. pig. vel hypoth. tac. contra.*

f *d. l. hac in factum. quæ in fraud. cred.*

g *Facit l. vlt. §. j. eod.*

h *Facit l. potior. & præcedens qui potiores. Hoc & suprà dictum est.*

i *Hanc habes l. ij. C. de reuoc. iis quæ in fraud. cred. Facit l. ait prætor. §. si cum mulier. ff eo. Adde & leges suprà citatas.*

k *l. Imperator Antoninus. de pact.*

l *l. j. C. de iis qui in priuat. loc. succ. l. ij. de ceß. bon.*

ris [a] consensu res alij oppignorata fuerit, præfertur secundus. Creditor [b] est cui quacunque ex causa, absque perpetua exceptione quippiam debetur, vel ciuili vel prætorio iure, non itèm cui natura quid debetur.

a Facit l. si prior. §. à Titio. qui potior.
b l. creditores. cũ duabus legibus sequẽtibus, de verbor. & rer. signific.

SCHOL.

Creditoris & debitoris nomen consuetus ac communis loquentium vsus, maxima ex parte de iis qui mutuo quid dant & accipiunt dicit atque intelligit. Quod cum exploratum haberet Iurisconsultus, docet illud in primis iis qui iuri operam dant obseruandum, non eos tantùm qui pecuniam crediderint, creditorum appellatione accipi, sed omnes quibus ex aliqua causa quæcunque tandem illa sit, debetur: vt ex venditione pretium, ex locatione merces, ex stipulatione & promissione hominis, quippiam, ex pœna, quodlibet, ex iniuria aut furto, ea quæ legibus statuta est pœna, hi quoque creditores dicuntur. Quique his debent, quoquo modo & quacunque ex causa teneantur, debitores nominantur. Porrò illud adiicit, illum esse ac dici creditorẽ, cui absque exceptione debetur, hoc est qui exceptione summoueri non potest. Verùm quid exceptio sit, audi. Triginta annorum est haud dubiè. Si cui itaque pecuniam mutuam dedero, effluxeritque tricẽnium, quo nec debitorem de mutuo interpellâro, ac neque creditorum nummorum vsuras cepero, (Hæ enim præscriptionis tempus interrumpunt) neque vllum aliud signum dedero, quòd à me debitor sit interpellatus, sed altum silentium toto tricennio egero, si hoc elapso experior, nihil planè possum consequi. Me siquidem debitor exceptione repellit, vt qui his se verbis tueatur: Te interuallo vici tẽporis, cúmque toti exacti sint anni xxx, nihil iam est quòd mihi molestus sis debitum exigens: & rectè sanè tueatur. Non solùm autem in mutuo, sed & in stipulatione & huiuscemodi personalibus actionibus [c], perpetuæ exceptioni hoc est triginta annorum intercapedini locus est. Si enim à quoquam stipulatus fuero, vt mihi decem aureos nummos det, aut dotem, aut quiduis denique aliud, & ex quo stipulatus sum præterierit tricennium, nec tamen quicquam dixero, aut promissorem cõuenero, hac exceptione perpetua summoueor. Et Iuriscõsultus quidẽ eo quod dixit, absque perpetua exceptione, hoc est xxx annorum præscriptione, illos expressit creditores, qui per hanc repelluntur, siue ex mutuo sint, siue ex stipulatione, siue ex alia quacunque actione, quæ annorum xxx metis clauditur. Tu verò, vt sanè quicquid est hac in re accipiendum intelligas, non hoc de sola perpetua exceptione, sed in vniuersum creditorem eum esse dic, cui quauis ex causa absque quacunque exceptione debetur. Sunt etenim & permulti creditores, qui aliis quoque summoueantur exceptionibus: vt cui iniuriarum nomine debetur, biennio [d] excluditur: & qui debitum remisit pacti conuenti exceptione repellitur: & alij aliis quæ nequaquam ad xxx annos pertingunt. Quod si cum verbis Iuriscõsulti idem sentire velis, vt rectè ea ad quoduis creditorum genus trahas, perpetuam intellige exceptionem [e] non tricennij præscriptionem, sed exceptionem omnem quæ perpetuum aduersario silẽtium indicit, absolutéque & non ad tempus iudicium & agendi facultatem summouet: vt si cum debitore meo paciscar, debitum mihi intra trimestre, aut si hoc acciderit, persolui, exceptione summoueor temporaria, non autem perpetua, hoc est ad tempus repellor ne agere possim. Vbi enim duo menses elapsi, aut id de quo est conuentum acciderit, rectè ago, & iure ante hoc creditor sum. Is autem creditor non est, cui debetur quidem, sed perpetua exceptione repellitur, vt temporis præscriptione, remissi debiti aut trãsactionis, atque id genus exceptionibus. Ciuili inquit vel prætorio iure. Cuicunque homini aut ciuili iure debetur aut prætorio. Ciuili quidem, ex omnibus contractibus, vt venditione, locatione, permutatione, & similibus, atque adeò ex omnibus iis quæ lege duodecim tabularum inducta sunt, quæ & apud omnes respublicas in suo perstat robore, & iuris ciuilis nomine accipitur. Prætorio autem iure debet, qui ex lege debet à prætore lata, cuiusmodi est qui iniuriarum alicui tenetur, ac iniuriæ debet æstimationem, item qui vi bonorum raptorum tenetur, & quod rapuit, debet restituere. Hæc enim honorario [f] iure inue-

c l. sicut. C. de præscriptione triginta vel quadraginta annorum. l receptitia. C. de constit. pecu.
d Suprà lib. j. anno dixit, quod & iuri nostro, vt eo loco, docuimus, est consonum.
e Exceptiones quasdam esse perpetuas & peremptorias, quasdam tẽporales & dilatorias, & quam vim ac naturam vtrunque genus habeat, docet Caius l. iij. de exception.
f Vt apertum est ex titu. de iniur. & vi bon. rap.

cta sunt & instituta, neque hæc modò, sed & pleraque alia. Vt itaque summatim dicam, quicunque debet, aut ciuili debet aut honorario iure, hoc est aut xij tabularum lege, quæ ciuilis, vt dixi, appellatur, aut prætoriè, lege nimirum à singulis quibusque prætoribus aut præsidibus introducta. Enimuerò cui natura tantùm debetur, is creditoris loco non est. Sicuti enim qui exceptione quauis summouetur, creditum, quemadmodum diximus repetere nequit, sic neque is cui natura tãtum debeatur. Cæterùm cui naturâ deberi dicatur, hinc accipe. Qui quidem absolutæ ætatis & prudenti homini, quem & iura agnoscunt, pecuniam crediderit, ei debetur, & naturaliter primùm. Quemadmodum enim nummos dedit, sic & ei, vtpote qui dederit, deberi natura ipsa compertum habet atque exploratum. Eidem insuper debetur & legitimè, quatenus obligatum eum lex agnoscit, cui mutuũ est datum. Qui verò ei mutuum dat, cui dari lex vetat, vt ei qui sui iuris non sit, aut pupillo, aut furioso, legitimè quidem ac ciuiliter huic nihil debetur: propterea quòd etiamsi reuera his mutuum dederit, non tamen exigendi iure facultatem habet. Qui enim memoratis personis mutuat, nullam aduersus eos actionem habet, qua id quod dederit consequatur. Verùm naturaliter [a] duntaxat ei debetur, cùm natura & ipsa veritas eum dedisse certum habeat. Quemadmodum itaque creditor non est, qui exceptione summouendus non potest quod sibi debeatur petere, sic neque cui natura tantùm debetur [b]. Neque huic enim iure petendi crediti fit potestas.

DE DOTE.

ET in hypothecis [c] præfertur dos prioribus creditoribus, etiamsi consumptæ fuerint res mulieris, nec liberos procreârit. Et hæc quidem de dote non item ante nuptias donatione statuimus. Hæc enim suis examinatur temporibus: præsertim cùm nõ pro lucro mulieres, sed ne damnum patiantur, foueamus.

Si cancellatum fuerit instrumentum [d] vel chirographum, debitor præsumptione liberatus videtur, nisi sibi adhuc deberi creditor ostenderit. Si quis se mutuum accepisse inficiatus [e] fuerit, posteà verò huius rei conuictus cautiones protulerit particulatim factarum solutionum, nihil id ei quicquam proderit, sed vniuersum exoluere cogetur debitum. Cui pars debiti remissa [f] est, residuum verò pactus est se intra certam diem persoluturum, si eam excesserit, totum præstat debitum. Si decem [g] tibi nummos dedero, vt nouem mihi reddas, non ampliùs quàm nouem debes. Si verò, vt vndecim reddas, decem tantum condico. Si quis [h] pecunias mutuò acceperit, etsi in aliena negotia accepit, ipse tamen obligatus manet, nulla causæ habita ratione.

DE CONTVMACIA [i] SEV REBELLIONE CREDITORVM.

QVI absque iudicis autoritate temere in res inuadit debitoris, & ius crediti [k] perdit, & tertia eius bonorum pars publicatur [l], & infamia insuper notatur. Non compelluntur [m] inopes debitores, creditoribus propriis seruire. Creditor qui locauit [n], aut in seruile aliquod ministerium debitoris accepit liberos, & creditum amittit, & ęqualem debito summam, filio quem detinuit, eiúsve parentibus præstare cogitur, præterquàm quòd corporali etiam supplicio afficitur. Sancimus, si quis superstite adhuc illo quem sibi obstrictum existimat, eius ædeis inuaserit, & adhuc

sup

a Quæ sit naturalis obligatio, docet planissimè Accurs. l. sed etsi lege. §. consuluit. de petit. hær.

b Nisi abusiuè, vt docet Iulianus l. fideiussor. §. fideiussor. de fideiussor.

c l. assiduis. C. qui potiores.

d l. si chirographum. de probat.

e No. de tri. & semis. §. studium verò. vnde auth. contrà qui propriam. C. de non numer. pecunia. est sumpta.

f Facit l. si intra. de pact.

g l. rogasti. §. si tibi. si cert. pet.

h l. eum qui. C. eod.

i Αναρχία est cum quis absque iudicis autoritate, in debitoris res inuadit.

k l. extat. de eo quod met.

l l. j. ad legem Iul. de vi priuata.

m l. ob æs. C. de actio. & oblig.

n No. vt nulli iudic. §. quia verò & huiusmodi. vnde authen. Imò à debito. C. de act. & oblig. deprompta est.

superstiti molestus sit, eiúsque domesticis, vxori nimirum, liberis ac toti familæ, aut etiam sigilla, propria autoritate rebus eius imposuerit, non priùs decreto legitimóque ordine [a] post eius qui debere dicitur mortem seruato, hunc actione quidem omni, siue iustam eam habet, siue non, cadere, & quantũ sibi deberi contendit, tantũdem insuper ab eo exigi, quod eius hæredibus cedat, qui iniuria fuerit affectus: item & tertiam eius bonorum partem fisco adiudicari. Sed etsi quis defuncto, quod ad sepulturam attinet, iniurius fuerit, ac ne efferatur obstare voluerit, iisdem pœnis subiaceat. Si quis indebitũ [b] cui soluerit, si quidem ignorans, condictionem habet: si verò sciens, cessat repetitio. Videtur enim plenè absolutéque donasse.

DE NON NVMERATA PECVNIA.

Si quis se indebiti [c] cautionem fecisse dicat, idque obscurum est ac incertum, qui accepisse dicitur, sibi debitum solutum probare compellitur. Quòd si aperte causas exposuerit, quibus adductus debitum conscripserit, his cogitur acquiescere, nisi perspicuè ex scripturis ostenderit se indebiti cautionem scripsisse.

DE TESTAMENTIS CREDITORIS AC DEBITORIS.

DEFVNCTI [d] rationes quibus sibi quid deberi perscripsit, per se ad probationem non valent. Sed nec quod quis in testamento de iis quæ sibi debeantur dixerit, ad probationem efficax est. Creditoribus licet [e], etiamsi debitor de suis facultatibus moribundus iurârit, alióve quouis modo de earum modo & quantitate asseruerit, ampliùs adhuc hac de re perscrutari & inquirere. Quæ quis pro se in testamento scripserit, ea neque quicquam ei prosunt, nec creditoribus [f] præiudicant, quò minùs facultatem habeant omnium quoquo pacto voluerint inquirendorum. Vir si vxoris minoris adhuc, debita exegerit, nullum ei affert præiudicium [g], nisi maior facta quod ab eo actum est, ratum [h] habeat. Si prolata fuerit instrumẽti depositio, indicans mutuo quempiam ante annos aliquot sumpsisse, tempus [i] quidem quo eiusmodi conscripta est depositio posteriores vincit creditores aut contrahentes. Cæterùm tempus ex depositione, hoc est quòd quis dicit se ante annos tot, mutuo sumpsisse, verè ostendi debet, neque vllas habet vires, nisi aduersus priores creditores ostensum fuerit. Si cui hæres [k] pupillus extiterit, eum oportet hæreditaria debita dissoluere. De hæreditariis debitis hæredes [l] tenentur, non item legatarij.

DE LIBERIS, VT PARENTES ALANT.

OMNES ascendentes ac descendentes ad inopiam redacti, sese mutuò alere [m] coguntur.

DE LIBERIS AC PARENTIBVS.

FILII parentes inopia pressos alere compelluntur, sicut & hi illos, non item æs ab ipsis contractum [n] exoluere. Ius sanè ad-

a In Nouel. vt def. seu fu. eo. §. sancimus. Concord. c. ex parte j. iuncta gl. ad verb. appellationem. ext. de sepultur.

b l. cuius per errorem. de reg. iur. l. j. de cõdict. indeb.

c Facit l. cum de indebito. in fi. de probat. & l. ij. C. de nõ nu. pec. item l. generaliter. eodem.

d l. rationes. C. de prob.

e No. de iu. à mor. pr. Vnde Authẽ. quod obtinet. C. de proba. sumpta est. Concord. c. literas. cum gl. ad verbum, graue, extra de præsump.

f l. filiusfamilias. §. diui. ij. sub fi. de le. j.

g Habet enim in rebus mariti hypothecam, ex quo ille exegit. l. vlt. C. de pact. conuent.

h Tum enim restitutioni aut rescißioni nullus est locus. l. j. & ij. C. si ma. fac. rat. hab.

i l. tamen, priuilegia. de pri. credi. non ex tempore vult sed ex causa creditorũ priuilegia æstimari, vt latè exponit Acc. gl. maxima illius l.

k l. iij. sub fin. quib. ex cau. in poss. eat.

l l. quoties. C. de hære. inst. l. vlt. de hæred. actione. C.

m tot. tit. C. de alẽ. lib. l. si quis à liberis. ff. de liber. agnoscend.

n d. l. si quis à liberis. §. parens. toto tit. C. ne fil. pro patre.

a l. vlti. de primip. xij libr. C.

b l. j. & ij. C. de repu. vel abst. hæred.

c l. ait prætor. §. si cũ mulier. quæ in frau. credit.

d l. in iis. §. vlt. cum l. sequen. de solut.

e In Græc. exempl. legitur ἔτω. Sed apparet ex d. l. nec enim. aut ὅν legendũ aut ὅυτω.

f l. testium. C. de test.

g Vnde & nouatio dicitur. l. j. de nouat.

h Huc fac. l. vlt. C. eo.

i l. si Stichum. §. vlti. ff. eodem.

k Potest enim quis ignorantem atque inuitum liberare. l. solutionem. l. si pro me. de solutio. l. soluendo de neg. gest.

l l. nemo ex iis. de regulis iur. l. nemo. & l. is qui. de except.

m l. si verò non remunerandi. §. si adolescẽs luxuriosus. mãdati. l. quòd si minor. §. restitutio. de minor

n l. j. ij. & iij. de compensat. l. si constat. & l. vlt. C. eod. §. in bonæ fidei. Institut. de action.

mirandum constitutio [a] statuit, vt filij etsi patri hæredes non sint, ex iis solùm debitis teneantur quæ pater primipilum gerens contraxerit. Ac rectè quidem ex sola primipili causa teneri dixit. Nulla enim prorsus actione [b] conueniri à patriis creditoribus possunt, qui patris hæredes non fuerint, nisi ex sola primipili causa.

DE MVLIERIBVS.

SI mulier [c] in fraudem creditorum debitum viro, constituendæ dotis causa acceptum fecerit, & omnis à marito quam debuerat pecunia exigitur, & mulieri perit actio de dote. Neque enim in fraudem creditorum dos potest constitui.

DE ORDINE ET SORTIS ET VSVRARVM.

SI cauerit [d] creditor sese id quod solutum est in sortem & vsuras imputare, id primo loco in vsuras cedit, ac tum demum si quid est reliquum, sorti ascribitur. Neque [e] enim scripturæ ordinem attendimus. Qui scriptis [f] sese debere professi fuerint, haud facilè audiuntur, si sese aut vniuersum debitum aut eius partem absque scriptura, productis testibus soluisse asserant. Itaque nisi citra scripturam factæ solutioni quinque idonei testes affuerint, qui & iurisiurandi religione interposita, in sua præsentia persolutum debitum firment, aut debiti depositionem à creditore factam, non aliàs quis admittitur factam à se sine scriptura contendens solutionem.

DE TRANSLATIONE DEBITI.

SI transfusio fiat atque translatio debiti, perimitur [g] omnino prior obligatio. Tum demum debiti fit transfusio, cum quis apertè [h] & expresim ita conuenerit, Priorem debitorem obligatione libero, & te accipio. Si verò non illud expresim addatur, primum debitorem libero, sed cum is fortè abesset, & eius bona alicui obligata essent, successerim ipse debiti soluendi causa, tunc duos habet sibi obligatos creditor [i]: & primùm quidem is tenetur, qui se ipse interposuit [k], si soluendo est: sin secus, ad primarium reditur præcipuúmque debitorem, qui nulla se tueri potest exceptione.

Qui se debere [l] negauit, non prohibetur & alia vti defensione, nisi lex impediat.

SCHOL.

Conuenit quis iudicio quempiam, quòd sibi deberi centum fortè nummos dicat. Conuentus, sese debere negauit. Necessariò itaque, inficiante reo compulsus est actor ostendere sibi deberi: quod & ostendit. Prolatis ab actore probationibus non protinus à reo probatum debitum exigitur, sed potest & noua se tueri exceptione, ac dicere, etiamsi actor debitum probârit, nequaquam tamen à se præstari ac solui oportere, quòd eo tempore quo est mutuatus, minor esset, & mutuo acceptos nummos malè perdiderit, itaque pro se legem illam facere, quę eum statuit qui minori malè consumpturo [m] crediderit, debitum amittere. Quin & aliam afferre potest defensionem, quòd triginta anni effluxerint. Etiamsi enim debere me probaueris, te tamen vinco, & temporis præscriptione liberor. Rursum inquit lex [n], si cui decem aureos debeo, & is item ex me vndecunque decem habet, tacitè

te horum compensationem admitti. Si quis ergo cuipiam à quo decem habet, actionem intenderit, post actoris probationes, reus etiamsi negârit, hac se tueri potest compensationis æquitate: Etsi me debere ostenderis: nihil tamen tibi sum daturus, quòd ipse quoque ex me decem habeas. Inde itaque quod mihi credidisti compensa. Quòd si in his omnibus dixerit quis, debuisse reum his se ab initio tueri exceptionibus, debere se quidem, hoc est debitum accepisse, verùm restitutionem habere, vel tempore esse liberatum, & alia id genus, verùm cum inficias ierit, iam his vti non posse, neque vllum ei ad hæc restare confugium: sciat is ac discat rectè eum dicere se non debere, qui quanquam accepit, restitutionem tamen ob ætatem habet, aut præscriptione tutus est, aut compensatione, quæ quidem iure ipso tacitè debitum perimit, ac debitorem liberat. Non prohibetur ergò qui se debere negârit, & aliis eiusmodi exceptionibus vti, quæ rectè scilicet afferuntur, quæque speciem habent aliquam. Nam si apertè lex afferri prohibeat defensionem, proculdubio nec afferri potest. Verbi gratia, quid dico? Lege [a] cautum est, si quis vt debitor conuentus fuerit, & is debitum negârit, non posse hunc postea quàm ab actore legitimis probationibus hoc approbatum fuerit, dicere se debitum soluisse. Quî enim fieri potest, vt admittatur cum sese soluisse dicit, qui priùs se debere inficias ierat?

Qui iustam[b] nactus est exceptionem, is debitor esse desinit.

DE ECCLESIA.

SI priuato cuipiam ab ecclesia debeatur, cogitur is & pro debito res soli accipere [c].

Dicebat Patricius [d] tum debitori ad debitum exoluendum quatuor menses cócedendos, cum & prædiis & rebus aliis permultis affluit. Vt hæc liberè & non festinato vendat, aut etiam his forsan oppigneratis pecuniam conficiat. Vbi verò ex tenuiorum numero sit creditor, non esse ei quadrimestre largiendum: quippe cum nihil inde aut creditori aut debitori commodi accedat, quin potius damnum & iactura, cùm posit qui interpellatur quas nunc habet facultates dissipare. Perparuum itaque dicebat ei temporis interuallum præfiniri oportere, ac litem terminandam vt ne rursum controuersiæ, res ob friuolas ac vanas moueantur, ac iudiciaria sententia in longius tempus prorogetur.

DE THESAVRIS PVBLICIS.

NEMO [e] ex principali ærario mutuo sumat. Quòd si quis ex sacro promptuario aut clàm, aut palàm, interposita aut non interposita cautione, aut adhibitis fideiussoribus, absque iussu principis mutuum sumpsisse fuerit deprehensus, proscribatur ac deportetur. Quin & is qui ex sacris thesauris mutuum quid dederit, capite plectatur.

Mutui actio [f] si ab initio in personam instituta fuerit, annorum xxx exceptione tollitur. Hypothecaria verò ad quadragesimum vsque annum protenditur.

DE PRAEDIIS QVAE PECVNIAE LOCO CREDITORI DANTVR.

SI quis [g] aurum mutuo dederit, in eius rebus cui dedit, fidem ac spem collocans, is verò aurum quidem non posit restituere, sed

a *Fac. Auth. contrà qui propriam. C. de non nume. pec.*

b *l. Marcellus. de reg. iur.*

c *Iuxta formam præscriptã No. de alie. & emphyteu. §. hoc etiam super ipsis, vnde Authẽ. Hoc ius porrectum. C. de sacr. ecclesi. est deprompta.*

d *Hoc & antè dictũ est lib. j. tit. de quadrimestri quod debitoribus conceditur.*

e *to. tit. C. libr. x. de iis qui ex pub. rat. mu. pecun. accep. & de iis qui ex publi. collat.*

f *Hoc & j. lib. tit. de act. dictum est. illinc ergò pete.*

g *Ad verbum ex Nou. de fideiuss. & mand. §. quod autem de cætero.*

res soli habeat, cùm interim creditor auro penitus inhiet atque hoc sibi reddi planè postulet, cuius tamen debitori non sit facultas, neque vllius rei mobilis, potestatem facimus creditori, si libuerit, & soli res pecuniæ nomine accipere. Sed si nec alius [a] quisquam qui eius res immobiles emat reperiatur, quòd creditor adsistens sæpe dictitet & rumorem dissipet obligatas eas esse, atque hac ratione emptores absterreat, tum sane in hac quidem felicissima ciuitate celeberrimi & clarissimi nostrę reipublicę magistratus, pro iurisdictione quę cuique iure ac à nobis concessa est, in prouinciis autem ij qui controuersiis dirimendis præsunt, dent operam vt rebus debitoris accuratè & ad vnguem æstimatis, creditoribus, earum pro modo debiti possessio detur, idque cum eiusmodi cautione quàm adhibere debitor potuerit. Cæterùm earum quæ creditori traduntur immobilium rerum, habeat ipse delectum. Haud enim æquum ac rationi consonum fuerit, eum qui pecuniam quidem dederit, sed quam cum recipere nequeat, rerum soli possessionem accipere compellatur, non etiam optima quæque ex debitoris rebus & quæ ipse tanquam eximia selecturus esset consequi, & hoc saltem se solari, quòd si pecuniam non accepit, at certè id pro eo sit consecutus quod iudicio suo delectum sit.

a In Græco exempl. legitur ἄλλου δέ τινος, sed ex No. vnde hæc sumpta sunt legendum ἀλλ' οὐδέ τινος, cum ibi legatur, κἄν οὐδέ τις.

Dominus qui seruum [b] suum alicui præposuit negotiationi, tum demum de contracto ab eo mutuo tenetur, si ei & mutuari permiserit. Quòd si non ostenditur permisisse, tum de peculio serui quærimus [c], & primo quidem loco domino satisfit, deinde ex eo quod in serui peculio superest creditori soluitur.

b l. v. §. non tamen. de instit. act.

c §. cum autem quæritur. Institut. quod cum eo qui in alie. pot. neg. ge. Facit l. nec seruus. in fin. de pecul.

DE FIDEIVSSORIBVS ET SPONSORIBVS. TITVLVS VI.



SI Quis [d] assumpto fideiussore, mandatore aut sponsore mutuũ dederit, is ne initio statim mandatorem fideiussorem, vel sponsorem conueniat, neque posthabito eo qui mutuum accepit, eos qui sese interposuerunt interpellet: sed cum eo primùm experiatur qui pecuniam accepit & mutuum contraxit. A quo si creditum acceperit, in alios ne feratur. Sed si à debitore non potest nec totum consequi, nec aliqua ex parte debitum, quantum ab eo recipere non potuerit, eo nomine aduersus fideiussorem, sponsorem vel mandatorem aget, vt ab his residuum assequatur. Ac si præsentes quidem ei adfuerint vtrique, tam præcipuus debitor, quàm qui pro eo fideiussit, mandauit aut spopondit, omni ratione quæ iam dicta sunt seruentur. Sin hos quidem adesse, præcipuo absente contigerit, demonstret creditor fideiussorem aut mandatorem, & is quidem qui causæ cognoscendæ assidet iudex, fideiussori, seu, quod & idem est, sponsori & mandatori tempus concedat, si præcipuum exhibere voluerit, vt & ille prior

d Ad verbum penè, ex Nou. de fide. & mand. §. j. & ij. vnde authẽ. præsente. C. eod. deprõpta est. Concor. c. ij. iuncta gl. j. extrà eod.

actionem iudiciúmque ſubeat, & ſimul hoc pacto ipſi in reliquum ſubſidiũ actori reſeruentur. Atque in eo fideiuſſori, mandatori ſponſoríve ſuppetiæ feruntor, quòd eum pro quo interuenerunt ſiſtant ac proferant, quò ipſe conuentus interim eos actione liberet, qui pro ſe interpellati fuerant. Quòd ſi exceſſerit huic rei præfinitum tempus, tunc iudicium ipſe ſubeat fideiuſſor, ſponſor vel mandator, & pro eo debitum perſoluat, pro quo fideiuſsit, mandatum conſcripſit aut ſponſionem interpoſuit, ceſsis ſibi à creditore actionibus. Neque verò in res debitoris, ſi ab alio detineantur, priùs inuadat creditor, quàm perſonalibus actionibus mandatores, fideiuſſores ac ſponſores conuenerit. Ac ita demum ad res deueniat primarij debitoris, quæ etſi ab aliis teneantur, iis interpellatis qui eas occupârunt, ſi neque inde quò ſibi fiat ſatis poſsit conſequi, tum poſtremò ad res ſeſe conuertat fideiuſſorum, mandatorum & ſponſorum: idémque dictu eſt, & ſi quas hi ſponſiones habuerint, his inquam omnibus & obligatis, & qui hypothecaria actione teneri poſſunt, ac id quidem aduerſus præcipuum & bona eius, ſiue perſonalibus ſiue hypothecariis protinus, ſiue vtroque ſimul vti voluerit actionum genere, horum omnium ei poteſtatem facimus, iam dictam viam ac ordinem in aliis quoque perſonis & cauſis ſtatuentes. Neque hoc in creditoribus modò locum habere volumus, ſed & ſi quis quid à quopiam emerit. Qui alterius debitum [a] in ſe recepit, ſi ſpoponderit & debitum conſtituerit, rectè ſuo nomine conuenitur. Qui pro alio [b], ſtipulanti creditori ſpopondit, ſatis ei debet facere, etſi ipſe à debitore non accepit.

Finge [c] quempiam cum eſſet ab aliquo mutuam pecuniam accepturus, creditori alium quempiam exhibuiſſe, qui fideiuberet, & ſeſe ſolutioni ſi reus interpellatus non ſoluiſſet, ſubiiceret. Hic ergò fideiuſſor ita exoluendo debito ſeſe obſtrinxit, vt etiam antequam obligatus eſſet, reus teneri cœperit.

Si te pro [d] alieno debito ſoluturum conſtituiſti, conſtitutæ à te pecuniæ actio non ſolùm aduerſum te, ſed etiam hæredes tuos perpetuò competit.

a *l. ſi ſoluere. C. de nouationibus.*
b *l. ſi quis delegauerit. & l. doli mali exceptio. de nouat. l. ſi pater. C. eod.*
c *Scholiũ, cuius ſpecies ſumpta videtur ex l. fideiuſſor obligari. in fin. de fideiuſſ.*
d *l. j. C. de conſtit. pec.*

DE MVLIERIS FIDEIVSSIONE.

FIDEIVBERE [e] mulier & intercedere pro nullo poteſt, ſed nec ſi interceſſerit, eo nomine tenetur. Tum demum autem pro aliquo interueniens obligatur mulier, cum quid ob hoc ipſum vt intercederet, acceperit [f]. Quod enim fideiubendi cauſa dedit, in cauſa eſt cur obligationi ſubiaceat. Tunc quoque obligatur, cum apertè dixerit ſe iuri proprio ac legi renuntiare [g] in fauorem mulierum introductæ, ne ſi interceſſerint teneantur. Cæterùm lex huiuſmodi ab autore, Velleiana appellatur. Mulieri pro alio intercedenti ſubuenitur: verùm ſi pro aliquo ſoluerit [h], repetitio nulla eſt. Neque clericus fideiuſſorem ſeſe exhibet, quemadmodum cautum eſt viceſimo ſanctorum Apoſtolorũ canone [i]. Gradu enim ſuo, ſi hoc fecerit, deiicitur. Si interceſſura [k] mulier numerârit, aut pro ſe debitorem

e *l. j. ad ſen. Velleian. l. mulierem. C. eod.*
f *l. antiquæ. C. eo.*
g *l. vlti. §. pen. ff. eod. No. vt ſine prohib. mat. §. propterea igitur.*
h *l. iiij. eo. & l. j. C. eo.*
i *Idem habes can. te quidem. xj. q. j. & c. j. extrà de fideiuſ.*
k *l. quamuis pignoris. §. planè ſi mulier. ad Velleian.*

rem delegârit,ceſſat ſenatuſconſultum. Obligatæ ſiquidem ſenatuſcõſulto releuantur mulieres,nõ in iis quæ diminuerunt, reſtituũtur.

Quæ pro aliquo numerauit [a] mulier,non intercedit. Mulier ita cum aliquo mutuo accipiens [b], vt viciſſim & pro parte intercedat, etiam ſenatuſconſulto iuuatur. Mulieres ſi debitum conſtituant, tenentur [c], vbi non interceſſerint, hoc eſt proprio nomine lucríve cauſa quid conſtituentes tenentur:at pro aliis intercedentes aut conſtituentes ſubleuantur. Deceptis [d] non item decipientibus mulieribus opitulatur ſenatuſconſultum, ídque in omni obligatione, cúmque alium defendendum ſuſceperint. Neque enim defendere mulieri permittitur, neque maritum, neque filium, neque patrem. Quòd ſi eum defendat qui damnatus ad eam regreſſum habeat, intercedere non videtur. Vult conſtitutio [e], mulierem quæ accepto præmio,alicuius nomine ſpoponderit, non vltrà ſenatuſconſulto iuuari,ſiue ſcriptura adhibita,ſiue citra ſcripturam interceſſerit. Si decipiendi [f] cauſa mulier,vel cum ſe non teneri exploratum haberet, interceſſerit, nihil ei hæc prodeſt exceptio. At qui mandato mulieris interceſſit, hac iuuatur. Si præter [g] iuris præſcripta mulier minori fideiuſſerit,ſi quidem ſoluendo eſt prior debitor, non tenetur: ſin minus,tenetur. Mulier etiamſi ſæpius [h] poſt quantuncũque temporis interuallum pro viro ſuo ſtipulanti ſpoponderit, tanquam intercedens ſubleuatur. Si quæ interceſſit mulier, biennio [i] ab interceſſione elapſo, ſecundò ſpoponderit, aut fideiuſſorem adhibuerit,non iam ſenatuſconſulto ſe tueri poteſt.

De externo [k] autem hoc,non de proprio viro dicit.

Non mulier [l] ſolùm quæ interceſſerit, exceptione iuuatur,ſed & huius fideiuſſor. Nam etſi pro viro vxor interceſſerit, reſtituitur.

Poteſt qui in patris eſt poteſtate,pro eo [m] fideiubere. Nam & ſui iuris effectus in id tenebitur, quod dum erat in poteſtate fecerit. quin & dum in poteſtate manet, condemnari poteſt. Si fideiuſſerimus [n] pro aliquo ego & mulier, dabitur in ſolidum aduerſus me actio. Quòd ſi ſimul cum minore interceſſero,& hic reſtitutus fuerit,tum demum mihi totum onus irrogandum eſt, ſi primo loco interuenerim,niſi & dolo creditoris in fideiuſſorem minor aſſumptus ſit. Ex multis fideiuſſoribus [o], ſi vnus pro parte quæ ſibi competit ſoluerit,haud quaquam repetit. Neque enim ſolutio facta eſt indebitæ quantitatis. Si quis pro quopiam [p] ſpoponderit ſeſe eum intra hoc tempus repræſentaturum,alioqui pœnam daturum, ſancimus etſi eum intra ſemeſtre tempus (ſi hoc eſt conuentum) non exhibuerit, tantundem inſuper ipſi temporis concedi. Sed ſi longius ab initio tempus pręfinitum fuerit,ſex tantum ei dilationis menſes prorogari. Fideiuſſor in vſuras [q] non tenetur,niſi hoc expreſſim cautum fuerit. Qui pro minore fideiubent [r], abſtinente eo, nec ea præſtante in quæ pro eo fideiuſſerunt,iuuãtur. Denuntiatio [s] cui tempus adiectum non eſt,decem dierũ habet præfinitionem. Qui

præſ

a d.l.iiij.eod.
b l.vir vxori.§.vlti. eodem.
c l.ij.C.eod.l.j.§.j.de conſtit.pec.
d l ij.§.pe.& vlt.iũcta l.ſeq.ad Vellei.
e l.antiquæ.C.eod.
f l.ſi decipiendi.eodẽ.
g l.ſi apud. de minor.
h Nou.vt nul.iudi.§. & illud verò.vnde Authẽ.ſi qua mulier. C.ad Velleian. ſumpta eſt.
i l.ſi mulier.ij.C.eod.
k Epexegeſis eſt ſuperioris dicti.
l l. mulierem. & l.ſi vxor.ſeq.C.eodem.
m l.ſi dubitetur.§.vlt. de fideiuſſ. & l.filiusfamilias.C.eod.
n l.ſi Titius & Seia. eodem.
o l.ſi teſtamento.§. penult.eod.
p l.ſancimus.C.eod.
q l.fideiuſſores.§.pro Aurelio. de fideiuſſoribus.
r Huc facit l ſi pupillus.de acquir.hære.
s Fa.l.promiſſor.§.j. de conſti.pecu.

præsente tabellario, velut cum attestatione pro aliquo in priuata causa fideiubet[a], tantùm intra duos menses tenetur, nisi fortè expresśim fideiusserit in longius tempus. Si verò in publica causa fideiusserit, videtur adhibita scriptura fideiusśisse.

a *l. pen. §. sancimus. C. de fideiuss.*

Obserua[b] igitur eum qui citra scripturam fideiubet, intra bimestre tempus ex præsumptione teneri.

b *Scholium esse videtur.*

Si nummos[c] credidero, non possum fideiussorem accipere, qui pro his triticum dare spondeat. Neque enim in aliud quàm quod creditum fuerit, assumi potest fideiussor. Nam merces quidem pecunia numerata, hæc mercibus æstimari non potest aut debet.

c *l. si ita fideiussorẽ. ff. eodem.*

DE VSVRIS. TIT. VII.



SVRÆ Stipulationis vinculo[d] non munitæ nõ exiguntur. Etsi super vsuris interposita stipulatio[e], in acta relata non fuerit, valet tamen & plenum habet robur. Quoties inter aliquos de lucro[f] controuersia est, præfertur is cuius in lucro causa tempore præcedit.

d *l. quãuis. C. de vsur. l. in iis. §. penul. ff. de solutio.*
e *l. j. C. de vsur.*
f *l. quoties vtriusque. de regul. iuris. fac. l. quoties. C. de rei vẽ.*

* *Scholium.*

Cum, inquit, duo aliqui de lucro consequendo, iudicio concertant, potior est cui priùs huiusmodi lucrum debebatur. Verbi gratia, vt quid dicatur intelligas: Petro decem nummos credidi, pactus simul de vsuris, fortè in singulos menses vnius nummi. Anno interiecto aut duobus, tu quoque eidem aureos nummos decem mutuos dedisti, & de vsura quoque nummi vnius in singulos mẽses accipiẽda pepigisti. Cum sat longũ præteriisset tempus, interpellato debitore sortem quidẽ ambo accepimus. Cæterùm cum & ambobus vsuræ deberentur, quæ quidem lucro annumerantur, inuentis aliquibus debitoris facultatibus (finge enim inopem eum ac tenuem fuisse) cõtendebamus vter nostrum exiguas illas facultates repertas, in sibi debitas vsuras acciperet. Pone enim satis fortè non fuisse perpauca illa bona persoluendis in solidum & meis & tuis vsuris. Statuit itaque lex, inuentis eum potiturum, qui prior mutuauit, quíque in vsuris tempore antecesśit, hoc est qui prior, sibi vsuras deberi, est stipulatus.

Vsuræ vsura[g] non exigitur, sed nec vsura in stipulatum non deducta, hoc est de qua initio facti non sit interposita stipulatio, aut pactum conuentum. Vsurarum sortem duplantium[h] vsura locum non habet. Magnum est latúmque in vsuris discrimen stipulationis & pacti[i]. Si enim promisśioni hoc est insertum, Spondes dare mihi etiam vsuras: id ad eas exigendas efficax est. Sin verò ita simpliciter scriptum est, Hoc abs te sum mutuatus, & vsuras quoque me tibi daturum pactus sum, id sanè non vim magnam habet ad vsurarum exactionem. Vsuras quæ competierint[k], nullo certo earum modo adiecto, stipulari, nullius est momenti. Qui ex[l] liberalitate vsuras diu non petiit, haud rectè superioris temporis vsuras exigit. Si quis cum sortem deberet[m], vsuras soluerit indebitas, non repetit. Sed si vsuras supra legitimum modum soluit, haud quidem repetit, verùm eas sorti imputat. Quin & si sortem soluerit, sortem vt indebitam solutam repetit, siue ante sortem vsuras, siue posteà, siue vtrunque simul soluit. Pupillares vsuræ tertiam cente-

g *l. placuit. de vsur. l. vlti. C. eodẽ. l. si non sortem. §. j. de condi. indeb.*
h *d. l. si nõ sortem. §. j.*
i *Pecuniæ siquidẽ credita vsuræ nisi in stipulationem deductæ, non debentur. l. Titius. de præscri. verb. d. l. quamuis. C. de vsur.*
k *l. quod in stipulatione. l. tutor. §. vlti. eodem.*
Romanum.
l *l. cum quidam. §. j. eod. fac. l. qui semisses. eod. de eo qui cũ maiores promisisset, per multos annos minores præstitit vsuras, de qua re est & l. aduersus. C. eod.*
m *l. si non sortem. de condi. indeb.*

ſimam [a], hoc eſt nummos quaternos non excedunt. Indebitæ vſuræ [b], ſi quidem ante ſortem ſolutæ fuerint, in ſortem imputantur. Sin verò poſt ſortem, quia iam nihil eſt reliquum, cuius nomine ſoluantur, iure optimo condicuntur. Siue ſupra [c] ſtatutum modum, ſiue vſurarum vſuras quis ſtipulatus fuerit, omiſſo eo quod iuri aduerſatur, id quod ſupereſt exigitur. Vſuræ ex pacto conuento [d] ſolutæ, neque vt indebitæ repeti, neque in ſortem accepto ferri poſſunt. Non ſolutæ verò exigi nequeunt. Debet creditor [e] & debitum & vſurarum ſtipulationem comprobare. Quòd enim per aliquod tempus vſuras ex conſenſu receperit, id nullum gignit debitori præiudicium. Si quid mihi abſque vſuris [f] à quopiam debeatur, deinde cum mihi debitum non perſoluatur, litem fuero conteſtatus, atque in debitorem lata ſententia, ab eo tempore quo iudicium inquam eſt acceptum, vſura & omnis cauſa ſimul cum debito exigitur. Elapſo à condemnatione quadrimeſtri [g], ſiue publicum ſit ſiue priuatum debitum, centeſimæ præſtantur vſuræ.

QVID SIT VSVRA CENTESIMA.

CENTESIMA vſura eſt, cum ob centum nummos toto anno duodecim præſtantur, propterea quòd pro centum nummis vnus quoque menſe nummus detur, qui ſi cum vniuerſis centũ conferatur, omnino centeſimam habet rationem. Vnde & iure huiuſmodi vſura, centeſima dicta eſt. Atque ex his minimo negotio deprehendes, quid ſit quarta centeſima, quid tertia, ſemis, item & bes.

SCHOL.

Tertia quidem centeſima eſt, cum pro libra quatuor aurei nummi fœnoris nomine quotannis penduntur. Dimidia centeſima, cum ſex. Quare & quarta centeſima, cum terni pro libra nummi penſitantur. Centeſima ſiquidem vſura in ſingulas libras duodenos exigit nummos. Cæterùm quî fiat vt centeſimæ nominentur vſuræ etſi libra non centum ſed lxxij tantùm aureos [h] complectatur, hinc intelliges, quòd centeſima quantitatem ſignificat, quæ poſſit in duodecim partes diſtribui ac redigi [i]. Donatum eſt autem centeſimæ nomine id quod duodecim partes complectitur, propterea quòd priſcis temporibus qui centum alicuius generis res haberent, ex his, duodecim in commune conferebant. Et hæc quidem ita apud veteres reperiuntur. Nos verò vt nunc fieri videmus, ita quoque de his dicimus.

Qui traiectitias [k] pecunias aut fructus fœnori dat, poteſt integram centeſimam ſtipulari & accipere. Vbi periculum creditoris in traiiciendo mari non vertitur, non eſt quòd maiores [l] exigat vſuras. Qui fœnus exercent improbum [m], vſurarúmque vſuras exigunt, infamia notantur.

DE FRVCTIBVS.

MVTVO datorum fructuum [n] poſſunt vſuræ vel ex nuda conuentione exigi. Cum mutuò dantur fructus, licet vel grauiores vſuras ob eorum incertitudinem [o], ſtipulari. Quoties de lucro [p] inter aliquos lis eſt, præferendus is qui in lucri ratione, tempore prior eſt. Conſtitutio [q] & certum vſuris modum præſcribit, vt

a Imò ſi Accurſio credimus l. j. C. de vſu. pupil. l. iij. arbitr. tute. l. tutor. j. §. pecuniæ. ff. de admi niſt. tuto. ad centeſimam perueniunt. Ille enim his omnibus locis vſuras legitimas centeſimas intelligit.

b d. l. ſi non ſortem. & l. indebitas. C. de vſuris.

c l. vſuras l. placuit. ff eodem.

d d. l. iij. C eod.

e l. creditor. C eod. l. ſi certis. de pact. C.

f l. ij. & l. videamus. §. ſi actionem. de vſuris.

g toto titul C. de vſur. rei iudic.

h Vt antè dictũ eſt, ex l. v. de ſuſce. lib. x C.

i Alij, atque haud ſcio an rectiùs centeſimas vſuras inde dici putant quòd cẽteſimo menſe ſortẽ exæquẽt. Si enim quoq; anno pro cẽtum, xij fœnoris cauſa excolnas, centum menſibus hoc eſt viij annis, iiij mẽſibus vſuras deprehendes ad ſortis magnitudinẽ excreſcere.

k l. eos. §. in traiectitiis. C. de vſur.

l Fac. l. nihil intereſt. de nau. fœ. l. ij. C. eo.

m l. improbum fœnus. C. ex quib. cau. infa. irrog.

n l frumenti. C. eo. Simile habes l. etiam. ff. eodem.

o l. oleo. C.

p Hoc ſ. ſub initiũ huius tit. dictum eſt.

q l. eos. §. j. C.

bit, vt

bit, vt ij quidem qui gradum tenent illustrium, aut etiam hos antecedunt, non vltra tertiam centesimæ fœnerent. Argentarij autem & negotiatores vsque ad bessem centesimæ. Cæteris non liceat dimidiam centesimæ transgredi. Quòd si venerabili domui pecunia credatur, tum ab ea omnes iam memorati quartam duntaxat centesimæ accipiant. In nauticis autem fœnoribus aut speciebus quæ fœnori dantur, in quibus veteri iure licebat grauiores vsuras exigere, centesima duntaxat & non vltrà exigatur (cùm ne retentis quidem pignoribus velit constitutio [a] maiores vsuras exigi) neque iudices vnquam occasione cuiusuis locorum consuetudinis, in vsuras maiores quenquam damnent. Porrò si quis his ampliores vsuras exegerit, sibi eas in sortem imputet, quoquo modo tandem & cuiuscunque rei nomine acceperit. Sed nec pro vsuris futuri aut præteriti temporis [b] cuiquam liceat vsuras stipulari, ne si ea quidem forma id fiat, quæ veteribus statuebatur, vt paulatim scilicet [c] solutæ vsuræ duplum sortis non excedant.

a *l.iiij.C.*

b *l.vlti.C.*

c *& per tempora, vt inquit l.vsura.C.*

NOVELLA CAESARIS LEONIS VSVRAS PROHIBENS.

Etsi maiorum nostrorum plerisque visum est tolerandam esse vsurarum solutionem, fortè propter creditorum molestias & incommoda, nos tamen vt nostra Christiana repub. planè indignam, auersandam & execrandam censuimus, tanquam iure diuino [d] interdictã. Ideóque nostra vetat serenitas, ne cuiquam omnino in vllo negotio liceat vsuras accipere, vt ne dum iuri seruando studiosius addicti sumus, legem Dei violemus: sed & si quis vel tantillum ceperit, sorti imputator.

In sacros ordines cooptato nequaquam permittitur vsuras [e] accipere. Quin & alibi reperias de clero tolli, quisquis hoc fecerit, quemadmodum xvij canone [f] Nicenæ quæ & generalis fuit synodi, & decimo Trullanæ quæ & sexta dicitur, præceptum est. Quî enim hoc sacris initiato liceat, cui ne facultates quidem possidere conceditur, aut temporalibus simul & ecclesiasticis occupari?

d *Deuter.xxiij.d. & Psal. xiiij. sub finẽ. Ezechie. xxij. cap.*

e *De hac re xiiij. q. iij.iiij. & v. & c.si quis clericorum. ca. quoniã. ac penè per totam dist. xlvij.*

f *Quem habes à Gratiano versum c. quoniam multi clerici. xiiij.q. iiij.*

DE LOCATIONE, VBI ET DE REDEMPTORIBVS OPERVM AGITVR, EX MICRO ORDINE. TITVLVS VIII.



OCATIO est, cum quis ædeis aut fundum alicui pactus fuerit, vt annuam de qua conuentum sit pensionem [g] accipiat, aut cum materiam aliquam vt æs, aurum vel argentum artifici dederit [h], vt ex eo mercede opus faceret. Eodémque modo & in ædium extructione, & cæteris ministeriis quę mercede [i] peraguntur, definienda est locatio. Locatio ex consensu actionem [k] parit: & ipsa, & quæcunque quis faciens mercedem eius rei nomine accipit, ob locationem fieri dicuntur,

g *Fa.l.j.& ij in prin. loca & Inst.eod.in principio.*

h *d.l.ij.§. adeò.Inst.§. item quæritur.*

i *Quoties faciendum aliqnid datur, locatio est. l.itẽ si pretio. §.j.eod l.naturalis. §.at cum do.de præscrip.verb.*

k *Inst.eod.in princi.l. præses.C.eod.& l j. ff.eodem.*

a Fac.glo.j.ad §. At cum do.l.naturalis. de præscr.verb.

totúmque huiusmodi factum locatio nominatur. Porrò locatio etiã est, si quis ædeis suas aut fundum sub pacto [a] alicui det. Est enim & hoc modo quodam iis haud absimile quæ mercede fiunt. Pacti autem nomen non ipsam tantum conuentionem indicat, sed & id quod ab aliquo cuipiam ex conuentione solui debet ac præstari. In iure vbicunque nomen hoc ὁ μισθώσας inueneris, is significatur qui mercedem dat. Vbi verò nomen ὁ μισθωσάμενος, eum intellige qui mercedem accipit. Apud cæteros autem scriptores, μισθώσας quidem vox est haud multum vsitata. At μισθωσάμενος eum indicat, qui mercedem præstat. Μίσθωμα vbique in iure aut plurimùm, id dicitur quod is qui mercedem accipit pro mercede solui & præstari paciscitur, interdum verò & rarissimè quidem, etiam illud ipsum quod mercedis causa datur. In locatione vim omnem cui resisti non potest dominus [b] agnoscit, vt fluminum & hostium damna, atque id genus.

b l. damnum. l. iudicio. C. loca. l. ex conducto. §. j.

DE STERILITATE QVAE IN FRVCTIBVS CONTINGIT.

c l.licet.C.loc. & d.l. ex conducto.§.j. & penult ff.eod.

d l.si merces.§.vis maior. eod.

VVLT constitutio [c], eam quæ cæli vitio accidit sterilitatẽ, non ad coloni sed domini potiùs damnum pertinere, nisi contrà sit conuentum, aut hoc regionis consuetudo postulet. Oportet autem cum iis quæ iam euenerunt agri vbertatibus, eam quæ nunc accidit sterilitatem compensari, atque ita colonum damno subleuari, quod ex sterilitate contigit. Qui pecunia conduxit, damnum immodicum [d] quod frugibus vi maiore & ea quæ θεομηνία hoc est numinis ira dicitur, accidit, nequaquam agnoscit, sed modicum duntaxat. At partiarius colonus, quasi societatis iure & lucrum & damnum cum domino fundi partitur. Qui ex re aliqua commodum percipit, debet & damnum sentire.

SCHOL.

e Species sumpta ex l.id quod.in prin.de pericu.& commod. rei vend.

Verbi gratia, si inter duos aliquos plenè contracta fuerit venditio, ac forte fortuna venditus ager accessionem [e] aliquam & incrementum ceperit. Quid enim si ei proximum flumen, ex agro vicino reuulsam terram, paulatim & citra alicuius sensum solo agri venditi adiecit? tale commodum ad emptorem proculdubio attinet, etsi venditum agrum necdum acceperit. Et quoniam ad eum fundi commodum attinet, cogitur vicissim & eius damnum suscipere. Nam si fortè contrarium fluuius egerit, & ex vendito potiùs fundo partem aliquam paulatim & absque cuiuspiam sensu reuulsam vicino agro adiunxerit, eiusmodi iactura emptori inuehetur, nec quicquam damni patietur venditor fundum tradens imminutum, ac extremis partibus detruncatum. Vt enim ante traditionem accessio commodo cedebat emptoris, sic & nunc damnum ad eundem spectabit. Eodem quoque modo & vinum si venierit, & antequam tradatur aliquid vitij sustinuerit [f], emptoris erit damnum, & contrà si pretiosius ac exquisitius factum fuerit, eiusdem commodum.

f l.j.eodem.

g l.si vno.in prin.loc.

Si quis annum [g] colono propter sterilitatem remiserit, & sequentibus annis contigerit vbertas, etiam eius anni quem remisit, integram pensionem exigit. Quòd si nouissimus erat annus sterilis, quo ei pensionem remiserit, etsi superiores vberes fuerint, si hoc scit locator, non debet is ad computationem vocari. Colonum qui in

agro per totos triginta annos permanserit, possum vel inuitum cogere [a], vt eum colat, neq; eum aut prohibere possum, aut expellere.

Si prætereuntibus [b] militibus migrârit conductor, & milites fenestras aut aliud quippiam sustulerint, vtroque modo tenetur, siue cum resistere non posset, domino non renuntiauit, siue cum posset, militibus non restitit. Culpæ [c] conductoris ascribitur, si propter eius inimicitias vicinus arborem exciderit. Sed & ipse si exciderit, non ex locato tantùm tenetur, verùm & arborum furtim cæsarum, & interdicto quod vi aut clam.

a *Hoc de ascriptitiis intellige. l. cum satis. de agri. & censi. lib. xj C.*
b *l. item quæritur. §. exercitu. l. habitatoris. §. fi. & l. si fundus. in fin. loc.*
c *l. si merces. §. culpæ. eodem.*

DE FORTVITA EXVSTIONE.

SI contigerit eos qui domum conduxerint, lege locationis pacisci, vt innocentem [d] ignem habeant, & fortuitus casus incendij causam intulerit, non tenetur qui conduxit. Si verò eius culpa id acciderit, tenetur.

d *l. si quis fundũ. §. j.*

DE GREGE.

QVI gregem conduxit [e], non tenetur, si abactum esse eum à latronibus citra fraudem ipsius probari posit. Quin & mercedes temporis quod insecutũ est si præstârit, recuperat. Pastor [f], & qui sarciendum quid poliendúmve conduxit, & culpam præstare debent, & quod negligentia aut imperitia peccârint.

e *Ea. l. §. Imperator.*
f *Ead. l. §. Celsus.*

DE INCENDIO.

SI in locatione conuenit [g], Ignem ne habeto, & habuit, tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium. Si pactus fuerit cõductor sese in ædeis fœnum [h] non componere, & composuerit, deinde vel seruus eius vel quilibet externus igne illato succenderit, iudicio locati tenebitur.

g *l. videamus. §. j. eod.*
h *Ea. l. §. vlt. cũ l. seq.*

DE CAELATORIBVS.

SI quis includendas [i] aut insculpendas gemmas acceperit, & hæ fractæ sint, si quidem artificis imperitia, locati actio est. Si verò vitio materiæ factum sit, non est, nisi periculum quoque in se artifex receperit.

i *l. item quæritur. §. si gemma. & l. vlt. eo. l. si seruus seruũ. §. si calicem. ad legem Aquiliam.*

DE FVLLONIBVS.

SI vestimentum fulloni [k] datum mures roserint, tenetur. Item & si alij alterius vestimentum dederit, etsi id ignarus fecit.

Si expleto [l] conductionis tempore, in eadem conductor, tacito vtriusque partis consensu permanserit, renouatur in eum duntaxat annum locatio, non etiam in subsequentes, etsi lustrum fortè ab initio conductioni fuerat præstitutum. Id quod & in prædiorum reipub. locatione verum est. Sed & si secundo anno permanserit, eius nomine tenetur, atque in cæteris deinceps eodem modo. Si vel ignarus [m] vitiosa pertusáque dolia locauero, & vinum effluxerit in id quod interest tenebor. At si saltum pascuum locâro, in quo cum malæ herbæ [n] nascerentur, ex his pecora vel demortua sint, vel deteriora facta, si sciebam, quod interest præsto: si ignorabam, pensio-

k *Ead. l. §. si fullo.*
l *l. item quæritur. §. qui impleto. cum l. subseq. & l. legem. C. eodem.*
m *l. sed addes. §. j. eod.*
n *Fac. l. pen. C. de ædil. act.*

nem non peto. Si cum in annum [a] habitationem conduxissem, totius anni pensionem dederim, & ea sexto pòst mense corruerit, vel incendio consumpta fuerit, residui temporis pensionem ex conducto actione repetam. Quoties faciendum aliquid datur [b], locatio est.

Si conuenerit vt arbitratu domini opus [c] approbetur, viri boni arbitrium quærimus. Idémque seruatur, si alterius cuiuslibet arbitrio permissum opus fuerit. Neque verò facultatem ille habet prorogandi temporis, quo opus fieri conuentum est, sed operis duntaxat probandi. Si quis transportandam columnam [d] conduxerit, & ea dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, haud tenetur nisi id ex propria culpa & eorum quorum opera vteretur, acciderit. Vacat autem culpa, si omnia facta sunt quæ diligentissimus quisque fecisset. Idem & ad dolia, ligna & cæteras huiusmodi res quas quis vehendas transportandásve conduxerit, transferri potest.

Qui iumento [e] ad certum onus vehendum conducto, onus imposuit grauius, rupto læsóve iumento tenetur, quisquis tandem ille est qui læserit. Qui mercedem [f] pro rei alicuius custodia accepit, is huius periculum pro custodia præstat, excepto si quid damni ei rei ab alio datum sit, nisi fortè ne damnum daretur, custodire potuit. Quòd si & ipse custos damnum ei dedit, tenetur vtique. Qui locatum sibi seruum surripit, furti quoque [g] tenetur. Si locator conductori pœnam præstare sponderit, si eum ante impletum quinquennium expelleret, sine metu pœnæ eum expellet, si aut pensionibus intra tempora præfinita [h] non paruerit, aut vt oportet non coluerit. Qui rem conductam [i] expleto locationis tempore candido animo non restituunt, sed rei domino facessunt molestiam, & ad lites eum vocant, vbi damnati fuerint, non rem solùm, sed cum ea totam quoque quantaquanta est rei æstimationem reddere compelluntur, vt duplo mulctati ex perceptis detrimentis doceantur posthac grati esse & candidi. Si absque iusta causa fundum conductor [k] necdum expleto tempore deseruerit, totius temporis pensiones soluit. Inquilinis diu hoc est toto biennio non apparentibus [l], nec eius temporis pensionem [m] exoluentibus, licet iis quorum interest, ædeis aperire, & præsentibus publicis personis, ea quæ ibi sunt describere. Pulchrè sanè & commodè constitutione [n] cautum est, inquilinum tantisper dum pensionem soluit, à domino pelli non oportere, nisi fortè in proprios ac necessarios vsus dominus ædibus egeat, aut eas instaurare velit, aut etiam inquilinus malè in his versatus sit. Si iam effectum opus terræmotu [o] concussum fuerit, locatoris est periculum. Si corruerit priùs quàm probaretur fundamentum [p], si quidem soli vitio id accidit, locatoris est detrimentum: si ex operis vitio, conductoris seu redemptoris. Si quis fundum [q] vendiderit, cum in eo colonum haberet, non cogitur emptor colono potestatem eius fruendi & colendi facere, nisi fortè fundum ea lege emit.

DE

a Dicta l. sed addes. §. si quis cum in annum.
b l. item si pretio. §. j. eodem.
c l. si in lege. in princ. eodem.
d d. l. si merces. §. pen.
e l. qui insulã. §. qui mulas. eod.
f l qui mercedem. cũ l. seq.
g Non locati solùm. l. si locatum.
h Intra biennium scilicet. l. quæro. §. j. & l. cum domini.
i l. si cui. in fi. eod. & l. pen. C. Facit l. videamus. §. pe. ff. eo.
k l. si in lege. §. si domus. & l. dominus. in fi.
l d. l. cum domini.
m Στεγανόμιον habet Græcum exemplar. Estq; exponẽte Suida ὁ μισθὸς ὁ ὑπὲρ τῆς μονῆς τῷ πανδοχεῖ διδόμενος.
n l. iij. C. eod.
o l. Martius. l. opus. l. si fundus quem. ff.
p Idem de riuo dicit l. vlt. eod.
q l. emptorem. C. eod. l. si merces. §. j. & l. qui fundum. ff. eod.

DE INCENDIO ITERVM.

SI fornacarius [a] seruus obdormierit, & domus fuerit exusta, iudicio locati conuenietur colonus, si negligens in eligendis ministris fuerit. Cæterùm si alius ignem fornaci subiecit, vterque tenetur. Si coloni seruus [b], ædificium aliquod exusserit, & ex locato & lege Aquilia tenetur: quarum actionum vna instituta, protinus cessat altera. Sed & potest colonus seruum qui exusit, noxæ dedere, quò indemnem præstet dominum, si modò ipse culpa caret. Alioqui si noxiorum [c] seruorum opera vsus fuerit, damni iniuria tenetur qui tales habuerit. Eadem & circa inquilinorum personas seruanda dicimus.

a l. si seruus seruum. §. si fornacarius. ad legem Aquil.

b Ead. l. §. Proculus

c l. j. §. pe. fur. aduers. naut. caupo. §. item exercitor. Institu. de oblig. quæ ex quasi del. nascun.

DE REDEMPTORIBVS OPERVM [d].

CÆLATORES, vermiculatorũ ac tessellatorũ operum artifices, marmorarij, gypsarij & reliqui id genus opifices, quoquo tandem in opere pactum interposuerint, & quippiam arræ nomine receperint, ne eo relicto alterius aggrediendi facultatem habento, nisi prius illud planè absoluerint. Quòd si aut materiæ inopia, aut eius qui opus eis locauit malitia mora facta fuerit, vtpote cùm artifici non subministrentur ea quæ ad confectionem operis accommodata sunt ac necessaria, tum id artifex cuicunque sit addictus opificio, cum proclamatione aut attestatione, locatori denuntiato. Quo moram committente, causam ad prouinciæ præsidem reuocato, ac tum demum postquam de ea re disceptatum & cognitum fuerit, operi accingitor.

d De his sæpe in iure fit mentio vt l. redẽptores. de rei vend. & l. in lege. & l. ea lege. §. locaui. loc. & l. ij. §. j. de oper. pub. Item & plerisque aliis locis.

Prouinciale.

Cum insatiabili habendi desiderio aut versuta malitia impulsi ij, quorum & iam meminimus, operum redemptores, opere quod susceperant relicto aliud aggressi fuerint, locatori liceat his testatò denuntiare, præsentibus qui audiant, ita vt simul etiam conuentionem in memoriam reuocet, aut in scripta relatam, aut nudis verbis interpositam. Ac si eam locationis legem implere noluerint, apud præsidem conueniantur, túmque alterum operi faciendo relocare [e] possit locator. Qui verò conuentis non steterunt redemptores, fustibus castigati & detonsi relegẽtur, compellantúrque insuper quicquid mercedis nomine acceperunt reddere, quod quidem locatori detur, ipsis ab opere sine vlla mercede repulsis. Quòd si fortè locatori materia non suppetit, ad alia opera, eo tamen præmonito aggrediantur, vt ne si otiosi desideant opifices, victus laborent inopia.

Prouinciale.

e Quando opus vni locatum alij relocare liceat, vide quid tradat Vlpianus l. item quæritur. §. si in lege. loc.

Porrò quicunque tandem artifex variis inhians operibus, quò ab omnibus pertrahatur, nunc quidem hunc inescat, nunc verò imponit alteri, est & quando loquacitate sua & inani garrulitate pelliciens, mercedes cumulat, vt iniqua pactione statutas, si quidem reuera, decernente præside deprehensum fuerit opus ampliùs patere quàm pro datis pactísve mercedibus, ac in opificis detrimentum redundare, siue aliter quidem conuentum, posteà verò alio pacto visum fuerit conductori faciendum opus, siue rectiùs forsan siue dete-

Prouinciale.

rius, siue etiam operis iunctum est specimen & approbatio, æstimetur eiusmodi opus præsidis adhibita cognitione à peritis artificibus, siue commutatum[a], siue ex improuiso ac denuo factum sit. Ac denique quod in emptionis fit ac venditionis[b] lege, idem & in conuentionibus obseruetur, vt si quid reperiatur esse conuentum & iuxta pacta conuenta effectum, & merces quidem iusti pretij dimidio minor sit, rescissa ac resoluta conuentione opus æstimetur: si verò dimidio amplior, pro conuentorum ratione mercedes reddantur[c]. Quòd si quid aut operi accesserit, aut in eo fuerit commutatum, ipsa æstimetur accessio aut commutatio.

Qui parietes extruunt, & latas spatiosasque testudines[d] aut fornices, certissima ac tutissima instructi sint huius rei peritia, vt ne aut fundamentum labefactetur, aut quod superextruitur obliquum sit aut inæquale. Si enim intra decimum[e] annum ruina ædificio absque cæli vitio & maiore quadam vi[f] contigerit, teneatur qui id extruxerat, propriis sumptibus reficere. Et si quidem magnum est opus quod auri libram excedat, redemptor quidem qui id fecerit, gratuitò vnà cum iis ædificet, quorũ opera priùs in excitando opere vsus erat. Locator verò materiam suggerat. Sin ex cœno constructum est opus, expectetur per annos sex: intra quos si artificis imperitia[g] collapsum erit, rursum & hoc qui extruxit, gratis instauret. Atque hæc eadem omnia in quibuslibet operum redemptoribus seruentur. Enimuerò si qui præter iam præscriptum ædificandi modum fecisse deprehendentur, cæsi ac tonsi relegantor.

DE DEPOSITO.

TITVLVS IX.



DEPOSITVM Est[h], quod custodiendum alicui datur. Qui rem[i] aliquam apud quempiam deponit, si abundè sibi cautum ac prospectum velit, & literas quidem ab eo accipiat, cui rem adseruandam tradere instituit: verùm ne eius tantùm chirographo contentus sit, sed insuper & testes aduocet atque adhibeat integros ac spectatę fidei homines. Depositi actio bonæ fidei[k] est, ideò & fructus & vsuras & omnem causam exigit.

Siue vsuram depositarius ex sibi traditis commissísque rebus sit consecutus, siue his etiam vsus[l], vsuras præstat. Idem & in cęteris bonæ fidei actionibus. In iis quæ tumultus, incendij, ruinæ, naufragiíve causa deposita sint, aduersus ipsum quidem qui acceperit, in duplum actio competit: aduersus hæredes, quod quidem dolo malo testatoris factum esse dicetur, in simplum[m], quod ipsius in duplum. In cæteris autem quæ deponuntur, iudicium in simplũ datur. Siue cum eo actum fuerit apud quem res est deposita[n], siue cum eius hærede, & sua natura res ante rem iudicatam interciderit, fortè enim seruus erat, & is mortuus est, absoluitur vterque: siquidem & ea res actori

a *De permutatione operis vide l. cum in plures. §. lege. eod.*

b *Vbi naturaliter cõcessum est inuicem se circunscribere. l. in causæ. §. penul. de minor. l. item si pretio. §. vlt. cum l. seq. loc. nisi id vltra iusti pretij dimidium fiat. l. ij. C. de rescin. vend.*

c *Facit l. cum in plures. §. mãdaui. in fi. §. ff. loc.*

d *Θόλους. Est autore Hesychio θόλος, οἶκος εἰς ὀξὺ ἀπολήγων καὶ ἔχων τὴν στέγην καὶ ἐσκολασμένος.*

e *l. omnes quibus. C. de oper. pub. xv annos statuit.*

f *De tota hac re vide in primis obseruandam glo. in d. l. Martius. locati.*

g *Quæ culpæ annumeratur, vt antè dictum est ex l. si quis fundũ. §. pe. eo.*

h *l. j. in prin. deposi.*

i *No. de instru. caut. & fid. §. si quis igitur. vnde authen. si quis vult. C. qui pot. in pig. sumpta est.*

k *l. j. §. hanc autem actionem. deposi. l. ij. C. eod.*

l *l. iij. & iiij. C. eod.*

m *Contextus Gr. aliũ sensum præfert, vt ex testatoris dolo in duplũ, ex ipsius in simplũ actio detur. Sed locũ esse corruptum apparet ex l. j. §. j. ff. eod. vnde hoc sumptũ est.*

n *l. si plures. §. siue. cũ qua cõfer & l. si in Asia. §. vlti. qui pugnare videtur.*

actori restituta, erat interitura. Rei depositæ & fructus & vsuræ & omnis denique causa [a] repetitur. Is qui rem deposuit [b], potest statim depositi actione agere, & qui suscepit si reposcenti non reddat, dolo facit, nisi aut alibi res est, aut in eo loco inclusa, cuius tunc aperiendi non sit facultas, aut non extitit depositionis conditio.

Siue seruus [c] meus, siue qui mihi bona fide seruiebat, rem ad me pertinentem deposuerit, actio mihi datur depositi. Etiam quod seruus hæreditarius deposuerit [d], hæres actione cōsequitur. Siue superstes est qui deposuit [e] seruus, siue mortuus, siue etiam manumissus aut alienatus, domino semper actio depositi competit, non item aut ipsi manumisso, aut nouo eius domino. Seruus tuus pecuniā apud me deposuit [f], ita vt tibi pro libertate eius darem: si quidem sic dedero, vt te huius rei per comites certiorem fecerim, quasi ob hoc penes me depositam, haud sanè depositi teneor. Si verò quasi meam numerauero, reddere vt depositum teneor. Qui enim quasi de suo dat, haud quaquam videtur depositum reddere.

a *Hoc iam est dictū.*
b *d. l. j. §. est autē. & §. pe. Concord. extra eod. c. ij. §. sanè. iūcta glo. in verb. reuocare.*
c *Ead. l. §. nō solùm.*
d *§. item si seruus. l. cum hæreditas. C. eodem.*
e *§. si seruus. deposuit.*
f *§. eleganter.*

DE FORTVITO CASV.

FORTVITVS casus [g] eius periculo non est, qui depositum accepit. Solum enim dolum & latam culpam pręstat, vbi scilicet aliud nominatim non conuenerit. Qui in deposito vt in suis rebus curam & diligentiam non præstat, is vtique fraude [h] non caret. Si latronum incursu [i] depositarius sibi commendata perdiderit, detrimentum & periculum ad eius hæredes non attinet. Qui enim depositum accipit, dolum duntaxat & negligentiam ac culpam præstare debet, nisi expresśim aliud conuenit. Non videtur rem amittere, qui [k] eius non fuit dominus.

g *§. sæpe euenit. d. l. j.*
h *l. quod Nerua. eo. c. bona fides. in prin. extra eo. Confer & §. pe. & quæ ibi ab Acc. not. Institut. quib. mod. re contrah. oblig.*
i *l. j. C. eod.*
k *l. non videtur rem. de regul. iur.*

SCHOL.

Vt in hac [l] specie: Centum ab aliquo nummos mutuò sumpseram, dato ei pignore. Huius possessio penes creditorem erat Etiamsi autem pignus creditor teneat, eius tamen esse dominus non desino. Contigit amitti pignus huiusmodi, incendio fortè, furto aut morte, (Quid enim si animantia aut seruos pignori dederim?) aut aliquo alio naturali interitu. Interpellabat me de creditis nummis creditor. Excipiebam, si mihi ille pignus redderet, me quoque debitam pecuniam exoluturum. hìc itaque rectè mihi legem hanc creditor referet, hac verborum formula: Ego quia pignoris dominus non fui, neque illud amisisse videor. Tu cùm eius esses dominus, periculum quoque agnosce. Rectè inquam hæc mihi opponet, atque à me debitum repetet, neque tamen pignus restituere compelletur, præter quàm si eius dolo aut culpa res perierit [m]. Tum enim damnum ad eum spectat, & quamuis res eius propria non fuerit, eius tamen agnoscit discrimen ac interitum.

l *Quæ videtur sumpta ex l. si creditor, & l. quæ fortuitis. C. de pignor. act.*
m *l. si cum venderet. in fi. ff. eo. l. sicut. C. de pignor.*

Si abusus causæ alicuiúsve alterius fortuiti casus prætextu [n], res quas aut apud se depositas habet, aut dolo desiit possidere hęres non restituit, actione depositi tenetur. Qui pro eo qui depositum susceperit, fideiussit [o], tenetur, etsi dolo quidem non fecit qui suscepit, est tamen res apud eum. Quid enim si fureret is apud quem est depositum, vel pupillus sit, vel absque successore decesserit? Teneatur ergò fideiussor, vt omnia præstet quæ depositi actione pręstari solent.

n *l. j. versi. quod si prætextu. C. dep.*
o *l. j. §. idem etiam Pomponius. versic. planè si fideiussisti pro eo. ff. eo.*

Qui ab vtraque parte vel transactionis vel cuiusuis alterius contractus instrumenta depositi nomine acceperit [a], necesse habet pactis stare, quibus ea suscepit. Qui rem apud se depositam [b], apud alium quempiam adhibita scriptura deposuit, haud rectè quæ accepit restituere recusat, cautionem proferens qua sese ostendat apud alium deposuisse.

- a l. is penes quē, cum l. praced. C. eo.
- b l. desiderium. cum l. seq. C. eod. cum quibus confer. & l. si is apud quem. ff. eo.

DE COMPENSATIONE.

COMPENSATIO in aliis omnibus rebus admittitur [c], præterquam in sola depositi actione: vbi enim quis depositum repetit, & cū depositario experitur, nullus planè ei qui depositū suscepit, inducendæ compensationis locus relinquitur. Sed & si inducere conatus fuerit, à iudice non auditur, sed cogitur omnino rem depositam reddere. Mirè autem hæc & præclarè constitutio iubet, varias eorum improbitates & versutias reprimens, apud quos res deponuntur.

- c l. vlti. C. de compensat. l. pen. C. depos. §. in bonæ fidei, sub fi. Instit. de act.

DE SOCIETATE. TIT. X.



OITVR Societas [d], vel dum viuunt qui eam contraxere, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione. In societate coëunda [e] nihil attinet de renuntiatione cauere. Ex natura siquidem societatis, qui renuntiat intempestiuè, tenetur. Quoties ex consensu [f] & contractu habito societas inita est, tū nascitur actio pro socio. Quoties verò citra consensum & sermonem ea de re habitum, κοινοπραξία est, hoc est negotium communiter gestum. Morte [g] soluitur societas, adeò vt nec ab initio paciscì liceat, vt hæredes etiam societati succedant, præterquàm in vectigalium [h] societate. Inter fratres inito consortio [i], & stipendia cæteráque salaria, in commune, iudicio societatis rediguntur. Si specialiter [k] omnium bonorum societas est contracta, & hæreditas & legata & donata, & lucrum denique omne communioni acquiritur.

Si ea lege societatem coierimus vt si qua iusta hęreditas [l] alterutri nostrum, vt credi par est, obuenisset, ea communis esset, non de ea quæ ex testamento sed quæ iure legitimo obuenerit intellexisse videmur. Coiri potest societas & re [m], & verbis, & per nuntium. Distrahitur renuntiatione, morte, capitis diminutione, & egestate. Contrahitur & in rebus vniuersis, & in vectigali, & in vna re, & inter eos qui non sunt æquis facultatibus. Plerunque enim pauperior, quod patrimonio deest, studio & opera compensat. Si simpliciter [n] cōtracta fuerit societas, neque distinctum qua in re, videtur vniuersorum coita quæ ex quæstu & lucro veniūt, vt si quid lucri ex emptione, venditione, locatione & cōductione descendit. Quæstus enim est qui ex labore & opera cuique paratur. Enimuerò his non continentur hæreditates, legata & donationes. Donationes enim & reliqua id genus, velut pręcedentis meriti merces nobis accedūt. Eius quod lucr

- d l. j. pro soc. l. tandiu, cum l. sequē. C. eo. §. manet. Insti. de soc.
- e l. sed & socius, in fin. ff. eod.
- f l. vt sit pro socio, cū tribus ll. sequen. quæ apertè docent quid inter societatem & communiter gestum negotium intersit.
- g l. nemo. l. adeò. & §. soluitur. Instit. eo.
- h d. l. adeò. & l. verū est. §. in hæredem.
- i l. si fratres. §. idem Papinianus.
- k l. iij. §. j. & l. si societatem vniuersarum, cū similibus.
- l Ea. l. §. de illo.
- m l. iiij. cum l. seq.
- n l. coiri societatem, cum quinque aut sex sequen.

lucrifecerit, socius vsuras [a] non prestat, nisi aut moram in eo reddendo adhibuit, aut eo quoque vsus est. Socius socio [b] culpæ & negligentiæ nomine tenetur, quod non est ad exactissimam diligētiam & cautionem redigendum. Satis enim est, dum talem adhibeat qualem rebus suis adhibere solet. Si quid in re communi socius admiserit [c], quódve ei damnum dederit, id etiā eius hæres, legis Aquiliæ iudicio præstat, etsi maximè ex hac lege in hæredes actio non competat.

a *l. socium, in princ.*
b *l. socius socio. & §. vlt. Instit. eo.*
c *l. item quamuis. cōmun. diuid. Hoc enim iam ad sequē. tit. spectat.*

DE RERVM COMMVNIVM DIVISIONE.

SI commodè non possint res inter aliquos diuidi, licitatione admissa vni adiudicantor [d]. Quòd si litigatorum vnus cùm pauper sit, maiori pretio liceri non possit, admittatur & externus ad rei licitationem. Si facta inter nos qui ætatis essemus perfectæ ac legitimæ, communium rerum diuisio [e], omissa aut translata possessione, finem non sumpserit, reuocari quæ mutua fide & consensu terminata sunt, non possunt. Renuntiatio sæpe in iure dicitur societatis dissolutio [f]. Etsi conuenerit [g], ne intra certum tempus à societate abeatur, ex iusta nihilominus ac probabili causa renuntiationi locus est. Quid enim si conditio qua societas erat coita, non impleatur, aut iniuriosus & damnosus sit socius, aut etiam ea re frui non licet, cuius gratia instituta fuerit societas? Quæ in societatem [h], non propter societatem impensa sunt, communia sunt.

Si socio absenti societatem renuntiāro [i], quęcunque quoad is scierit acquisiero, in commune redigentur, detrimentum ad me solum spectabit: quod lucrifecerit socius, eius erit solius, detrimentum ab eo factum commune. Quæ propria culpa acciderunt incommoda, agnoscit [k] socius, etsi in multis aliis industria sua societatē auxit.

Æs alienum [l] manente societate contractum de communi soluitur. Quòd si ante eius solutionem, fortè enim sub conditione debetur, dirempta fuerit societas, de solutione diuidenda sibi inuicem caueant [m]. Si pecuniam in cōmunem negotiationem contulerimus [n], & mea perierit, communitati perit, si quidem ea peritura non erat, nisi societas esset coita. Si verò posteaquam eam destinassem, necdū contulissem, perierit, mihi soli non societati perit. Socius rei communis nomine, etiam furti actione [o] mihi obligatur, nec vna actio alteram tollit. Fortuita & fatalia damna [p] socius non præstat. Vnde æstimata pecora, si quidem à latronibus abacta fuerint, commune damnum est. Si verò à furibus surrepta, eius duntaxat est detrimentum, qui æstimata accepit. Eius enim erat in rebus quas & æstimatas acceperat, exactam & absolutam præstare custodiam. Datur itaque in eum pro socio actio, si modo societatis causa pascenda data sunt, quamuis æstimata. Si socius ad merces [q] communi nomine comparandas profectus in latrones inciderit, & pecuniam résve proprias perdiderit, quas nisi mercium comparandarum causa secum non tulisset, partem damni & impensarum, si quæ in medicos

d *l. Mauius. §. pen. fami. hercisc. l. iij. C. cōmu. diuid. §. quædam actiones mixdam, in fi. Instit. de actio.*
e *Maximè arbitro accepto. l. vlt. fami. hercisc.*
f *Vt l. idémque. l. sed & socius, & aliis multis locis, pro soc. & l. vlti. C. eo.*
g *l. si conuenerit, cum l. seq. pro soc.*
h *l. socium §. socius.*
i *l. sed & socius. §. si absenti. & l. actione. §. diximus.*
k *l. non ob eam. cum l. seq. l. cum duobus. §. j.*
l *l. omne æs, cum l. seq.*
m *d. l. & l. cum socij. commu. diuid.*
n *l si id quod, in prin. & §. j. nostro tit.*
o *l. rei communis. eo. l. si socius. de furt.*
p *d. l. cum duobus. §. damna. pro soc.*
q *Ea. l. §. quidam sagariam.*

reo fortè aut seruis vulneratis factæ sunt, agnoscit socius. Idem dicendum etsi naufragio quid ex mercibus perierit, cùm non aliàs solerent quàm naue merces aduehi. Vnus ex sociis argentariis[a], quæ sibi aliunde quàm ex argentariæ causa quæsiit, non communicat.

a d.l.§. vltimo.

Sic & fratres[b] etsi communionis nomine parentum indiuisas retinuerint hæreditates, quæ aliunde parârint, in commune non redigunt. Socius si cessantibus aliis cõmunes ædeis refecerit[c], optionem habet, vt aut impensas cum vsuris intra quatuor menses postquam refectum erit opus, recipiat, & tum habet in exigendo priuilegium: aut etiam ædes elapso quadrimestri proprias habeat & dominij iure, aut si id mauult, vt actione pro socio, quod sua interest consequatur. Fortè enim dominium insulæ, suæ rei posthabet. Propterea autem tempus his rebus, quatuor mensium est præfinitum, quia hoc expleto tempore lex ei dominium concedit qui opus refecerit. Qui ob communiter susceptam negotiationem, peregre est[d] profectus, eos duntaxat qui eam in rem facti fuerint sumptus, societati imputat. Si in venditione aut locatione contracta sit societas[e], etiam post vnius ex sociis mortem quicquid lucri detrimẽtíve factum sit, commune est. Commune binarum ædium vestibulum[f], vel inuito altero ex dominis diuiditur, vbi aliàs non pateat aditus.

b l. si fratres, in princ.

c Ea. l. §. idem respõdit. Socius.

d Dicta l. §. penul.

e l. actione. §. si in rẽ.

f l. arbor. §. j. commu. diuidund.

DE SOLVTIONE SOCIETATIS.
TITVLVS XI.



SOLVITVR societas[g] intereuntibus personis, vel rebus, vel voluntate, vel actione. Persona quidem, cum damnatus fuerit alteruter sociorum aut mortis, aut relegationis, aut publicationis, aut etiam communi morte decesserit. Intereunt res, cum aut prorsus nullæ relictæ fuerint, aut conditionem mutârint, vtpote consecratæ aut publicatæ. Voluntate distrahitur, cum renuntiarint, & separatim vnusquisque eorum agere sibique negotiari cœperit. Actione denique soluitur, cum aut stipulatione aut iudicio mutata sit societatis causa. Qui enim ideò iudicium dictat, vt societas distrahatur, haud dubiè societati renuntiat.

g l. verum est. §. vlti. cum duab. legibus sequen. pro socio. & §. manet, cum §. seq. Instit. eo.

FINIS TERTII LIBRI.

LIBER QVARTVS.

DE CONSENSV SPONSALIVM, ET EORVNDEM DISSOLVTIONE.

TITVLVS I.



SPONSALIA (Græcè μνηςεία) sunt futurarum nuptiarum promissio. Prouidere siquidem ac præmunire præparaerque id quod postea sit futurum, & rem aliquam ad sese pertrahere ac transferre, μνηςεύεσθαι hoc est spondere appellant. Significat autem & nomen ipsum μνηςείας, promissionis mentionem [a].

Spōsalia sunt futurarum nuptiarum promissio, quæ nihil interest [b] vtrum literarū interposita testatione, an sine scriptura cōtrahantur. Quorum in nuptiis [c] consensus desideratur, eorum etiam in sponsalibus exigendus est. Semper autem intelligitur consentire pater, nisi euidenter dissentiat. Præter pupillæ voluntatem tutor [d] neque ei cōstituit sponsalia, neque iam contracta dissoluit. Pater, in potestate manentis filiæ sponsalia potest soluere, emancipatæ non item [e]. Vt nuptię sic & spōsalia [f] consensu contrahentium fiunt, ideo & filiamfamilias consentire oportet. Videtur autem ea patri consentire, quæ non repugnat. Ac tum demum ei dissentire licet, cum moribus indignum vel turpem ei sponsum eligit. Dissentiente filiofamilias [g], non fiunt eius nomine sponsalia. Alteri sponsa & alteri nupta infamia [h] notatur. Alij desponsata renuntiare sponsalibus [i] & alteri nubere non prohibetur, remisso nimirum [k] repudio. Qui id quod fit intelligit [l], sponsalia contrahere potest, id est si septem annis minor non sit.

a Nam & vtrūque Florentinus iūxit l. j. de spons. Notā vero nominis subiungit Vlpianus l. ij.
b l. in sponsalibus. j. eod. l. neque sine. C. de nup.
c Ead. l. §. in sponsalibus. & l. si vt pro ponis. j. C. de nup.
d l. si puellæ. ff. hoc tit. l. in copulandis. C. de nuptiis.
e Nisi certa lege. l. in potestate. ff. hoc tit.
f l. sponsalia sicut, cū l. seq.
g l. filiofamilias.
h l. quid ergò. §. item si alteri. de infam. Concord. c. desponsatam & desponsatas. xxvij. q. ij.
i l. j. C. de spons. Huc vide c. requisiuit. & quæ in illud no. extra eodem.
k l. ij. in fi. C. de repu.
l l. in sponsalibus. ij. ff. hoc titu. Concord. xxx. q. ij. c. j. & ij.
m Iustinianus titu de nup. in prin. ad contrahendas nuptias idoneos esse vult masculos quidem puberes, fœminas autem viripotentes. Quod eo loco ita Acc. intelligit, vt puberes sint maiores annis xiiij, viripotentes, duodecim. Cæterùm pubertatem nō ex annis sed corporis habitu, generandique potestate æstimari vult c. puberes. ext. de desp. impub.

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

Hoc ipsum his verbis statuit: Nos quoque sancimus nec sponsalia quoquomodo infra septem annos contrahi, neque etiam sacris ritibus sponsalia firmari, nisi spōsa quidem decimum tertium annum attigerit, sponsus verò decimumquartum sit emensus [m]. Verùm hoc quidem ad communem reipub. vsum vetitum est. Quòd si princeps, id quod sæpe vsu venit, coniugium aliquod ac familiam aut sponsalia constituens, etiam eam quæ iure diuino ac sacris adhibitis fit vnionem inter eos qui desponsantur intra iam præfinitos annos decreto suo firmârit, id proculdubio iuri nihil aduersatur. iis siquidem quibus à Deo rerum summa permissa est & credita, licet supra legem qua subditi reguntur, dispensare ac statuere.

NOVELLA CAESARIS ALEXII.

Illa esse dicit propriè veréque sponsalia, ac sine vlla simulatione

vim eandem cum nuptiis habere, quæcunque & tempus quod Principis Cæsaris Leonis constitutione præscriptum est, integrum in sese habuerunt, & sacram benedictionem subsequentem agnouerunt. Quòd si qua iuxta vulgo consuetum morem facta sint sponsalia, in quibus & instrumenta iam sint edita, sed nondum præfinitum subsit tempus, quo interponi solet ea quæ apud Christianos fieri debet benedictio [a], necdum etiam enuntiatæ preces per sacerdotem super iis qui desponsantur fundi solitæ, hæc quidem sponsalia quod ad ecclesiasticam subtilitatem attinet, exacta nec esse nec dici, sed solùm vt quædam hominum placita stipulatione vallata, vim quandam in se habere ac efficaciam.

a c. aliter. xxx. q. v.

EIVSDEM.

Valere tamen legem illam veterem, quæ de sponsalibus lata fuerat, in personis tantùm prohibitis ob disiunctam sponsam, idq; propter eum qui etiamnum apud Christianos superest Reipub. statum. Etsi enim quod agitur, si accuratam rationem spectes, absoluta omni ex parte sponsalia non sint, quia tamen propositum habet sponsaliorum finem, ac inde matrimonij fundamenta iaciuntur, haud sanè alienum fuerit, si iam vetitas personas, iterum iungi prohibeamus: vt ne quis vxorem eam ducat, quam lex vetus [b] cum alteri spõsa fuisset, solutis sponsalibus non permisit alteri matrimonio iungi.

b l. quid ergo §. item si. de infam.

NOVELLA. Si imperfecta facta sint sponsalia, necdum matrimonij capacia, præter iuris præscripta [c] sunt, ac pro nullis habentur.

c Contra l. in sponsal. ij. hoc tit & c. j. iij. quæstio. ij.

LEX. Furor [d] sponsalibus impedimento est, sed posteà superueniens iam contracta non infirmat.

d l. furor. de spons. idẽ & de matrimonio statuitur l. oratione. §. vlt. de ri. nupt.

DE FVRORE.

PORRO centesimavndecima Cæsaris Leonis Nouella, & centesima duodecima eiusdem, etiam furore sponsalibus interueniente dirimi coniugium statuunt: verùm si quidem ante nuptias aut ipso die nuptiarum furor alterum sponsorum occupârit, protinus, inquiunt, diremptio quoque matrimonij consequetur. Post nuptias autem si sponsa quidem in furorem [e] inciderit, non viri culpa aut insidiis, neque eo fraudis conscio, sed aliunde morbo contracto, perferat ad tres annos vir hoc infortunium, atque hoc mœrore angatur. Ac nisi per hoc temporis interuallum sese furor remiserit, neque ad sese quæ furore laborabat redierit, tum sanè dirimatur societas, & tam pernicioso intolerabilíque casu vir liberetur. Sin verò sponsus ipse furere cœperit, per totum quinquennium, qui connubio sunt copulati ne disiungantur. Quòd si intra hunc temporis ambitum non cessârit hæc calamitas, nec resipuerit qui furore correptus est, tum sanè dissoluatur coniugium. Ita enim neutrius coniugum culpa noui damni quippiam alteri accidisse videbitur. In potestate [f] manente filia, potest repudij nuntium pater remittere, & sponsalia dissol

e De tota hac re habes l. patre furioso, de iis qui sui vel alie. iur. sunt. & l. si eum dotem §. si maritus, sol. mat. quẽadmod. dos pet.

f d. l. in potestate. de sponsal.

dissoluere. Si verò post sponsalia emancipata fuerit filia, non iam potest contracta sponsalia infringere. Vnde & si qua dotis nomine in eiusmodi sponsalibus dederit, ea nec condicere potest, si modò emancipata est, vt dixi, filia. Qui puellam despondit [a], neque in sponsalibus contrahendis de tempore conuenit, debet eam, si quidem in eadem agit prouincia, intra biennium ducere, si verò in procul dissita regione, intra triennium. Quod tempus si excesserit, potest alteri puella coniungi.

Obserua [b] autem esse hoc de puberibus intelligendum.

Ex iusta [c] probabilíque causa etiam vltra quadriennium sponsalia protrahuntur, forsan ob sponsi sponsæ've valetudinem, aut parentum mortes, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes quæ ex necessitate fiunt. Despondere quis potest & præsens [d] per se, & per internuntium, & per epistolam. Etiam inter absentes [e] sponsalia contrahuntur, si tamen quod actum est postea ratum habuerint. Quæ virum eluget [f] mulier, intra id tempus sponsa esse non prohibetur. Furiosorum liberi [g] etiamsi in potestate sint, patrum consensu, in nuptiis nimirum & sponsalibus contrahendis non indigent: sed in vrbe quidem Constantinopoli iudicio præfecti vrbis, in prouinciis autem præsidis aut episcopi, præsentibus patrum curatoribus nuptias contrahunt. Post contracta sponsalia non possunt puellæ parentes sponsum cogere, vt acceptæ dotis fideiussorem [h] interponat, quòd sæpe in sumptibus faciendis profusus sit, aut si is fideiussorem non exhibeat, sponsalia dirimere. Sed absoluitur & constat omni ex parte matrimonium, & dos marito datur. Quòd si constante matrimonio videt mulier suam profundi & disipari dotem, tum ei liberum est [i] agere.

De repetenda poena nuptiali, decima Nouella Cæsaris Leonis ita inquit.

Sic itaque deinceps iussu legis, quod iam consuetudine firmatum est, & valeat & seruetur, quemadmodum & ad hæc vsque tempora, & pœna [k] præstita mulctetur quisquis sponsalia rescindit.

DE SPONSALIVM DISSOLVTIONE.

Solvvntvr sponsalia [l], & si alieno ex semine vterum gestare mulier deprehensa fuerit, & propter nouum aliquod atque adhuc ignotum religionis genus, dogmatúmque diuersitatem, item & ob morum turpitudinem, Fortunæ've ac status immutationem, aut propter veram detonsionem ac ad monasticam vitam transitum, aut quòd eius res hypothecæ nomine obligatas, aut alicui publico muneri obstrictas & obnoxias esse sit compertum.

DE HAERETICIS.

Hæreticorvm liberi [m] si Christianismum susceperint, parentes suos cogent, vt & sese alant & induant, & dotem aut

ante

a *l.ij.C.e. & l.ij.C.de repud. Iustæ tamen ac necessariæ causæ etiam vltra quadriennium sponsalia trahunt. l.sæpe. ff.de spons. Huic rei iure Can. tempus nõ est præfinitum. c. e illis. extra. eod.*

b *Schol. Nam impuberũ alia ratio est, vt habes toto tit. extrà de despons. impuber.*

c *d.l.sæpe.de spons.*

d *l.vltim.eodem.*

e *l.sufficit, cum l.seq.*

f *l.solet, in fi.de insa.*

g *l.si furiosi.C.de nup.*

Romanum.

h *Toto titu. C. Ne fid. vel mand.dot.dentur.*

i *l.si constante. solut. matri. l.vbi adhuc. C.de iu.dot.*

k *Sintne ad matrimonium cõpellendi qui sponsalia cõtraxerunt, docet c.de illis, extra de desponsa. impub. Debet tamẽ ab obseruatione pœnæ matrimonium esse liberum. l.vlti. & eo loco Accurs. C.de sponsa. & ar. sponsa.*

l *l.vlt.C.de.spons. & l.Deo nobis. de episc. & cler.*

m *His concedit hæc omnia & alia pleraque Anastasius l. cognouimus.C. de hæret.*

ante nuptias donationem nomine suo perscribant, idque pro patrimonij ac facultatum modo.

DE ARRIS SPONSALITIIS.

Titvlvs II.

a fac.l.vlt.C.de spon.



PONSALITIA Arra eam habet vim [a] ac naturam, vt is quidem qui accepit, si sponsalium fidẽ non impleat, duplũ eius quod accepit, præstet, qui verò dedit, arris excidat. Si eorũ inter quos spõsalia contracta sunt decesserit alteruter qui & nullũ impedimentũ morámve attulerit, quò minùs celebrarẽtur nuptiæ, restituũtur [b] omni ex parte, quæ arrarum nomine data fuerant. Cæterùm arris sponsaliorum nomine datis, si intereà diem suum sponsus aut sponsa obierit priùs quàm peragerentur nuptiæ, iubemus arrarum nomine data restitui: nisi fortè causam quò minùs explerentur nuptiæ, defuncta persona iam præbuerit. Fortè enim iam vir id effecit, vt in culpa esset, ne contrahi posset coniugium, cúmque superstes adhuc arrarum iacturæ sese reddidisset obnoxium, tum decessit.

b l.arris.C.eo. l.cum veterum. & l.si à sponso.de donation. ante nupt.

Sæpenumero pater susceptis pro filia sponsaliorum arris, vita defungitur, necdum contractis nuptiis. Deinde post eius mortem aut tutor aut curator efficere conatur, vt dirimantur sponsalia. Cauetur itaque constitutione [c], infringi & labefactari nequaquam oportere, quæ superstite patre probata & conuenta sint.

c l.si pater.C.de spon.

DE HAERETICIS.

QVI diuersæ [d] sunt persuasionis, quod tamen ignorent ipsi, si inuicem sponsalia contrahentes, horum nomine arras mutuò dederint, iis integrum est quicquid dederint, distractis sponsalibus, recipere. Nam si cum se diuersum fidei genus profiteri exploratum haberẽt, arras connubij nomine dederint, tum vir quidem quæ dederat amittit, mulier autem accepta in duplum restituit. Si sui iuris mulier [e] perfectam agens legitimámque ætatem, arris acceptis nuptias recuset, duplas eas præstato. Si verò cum minor esset, ætatis tamen veniam impetrârit, sicque arras acceperit, rursum eas duplas reddito. Sin & minor est, nec ætatis veniam impetrauit, simplum id ipsum quod accepit restituet, si modò apud ipsam extare comperiatur. Neque enim quia minor est, lucrum eam oportet ex alterius detrimento facere. Quòd si per imbecillitatem ætatis perierit [f] atque absumptum fuerit, nihil ex eo damni mulieri inuehetur.

d l.si legibus.C.de episcop.aud.

e d.l.vlt.in princ.C. de sponsal.

f Huc fac. l.ait prætor.§.non solùm.in fin.& l.quòd si minor.§.restitutio.de minor.

DE IMPETRANDA AETATIS VENIA.

ÆTATIS autem veniam impetrant [g] viri quidem à vicesimo ætatis anno ad vicesimum quintum, fœminæ verò à decimo octauo ad quintũ itidem & vicesimũ: id nimirum à principe postulantes, vt se è curatorum potestate eximant, tanquam per se ipsi iam

g De hac re diximus & lib.1.tit.xij.in de petito.

rebus

rebus suis superesse, & negotia sua tractare valeant: qua in re & de existimatione sua & frugalitate testatum facient. Ac tum demum ætatis veniam consecuti, ea gerunt quæ à maioribus geri solent, præterquam quòd necdum citra decretum quicquam ex rebus suis abalienare possunt. Sed & si aut pater [a] puellæ aut mater arras filiæ nomine receperit, aut etiam auus pro nepte quæ iam legitimam ac iustam ætatem attigerit, ipsi quoque in duplum teneantur, si cum peragendarum nuptiarum facultatem habeant, harum tamen celebrationem detrectent. Quòd si tale futurum est matrimonium, vt constare non possit, ipsæ quidem reddãtur arræ, sed simplæ. Sin constabat quidem matrimonium, sed ob causam tamen aliquam probabilem ei renuntiant, si & ante sponsalia causam nôrant, sibi imputent, quòd eiusmodi sponsum elegerint. Sin ignorabant, quòd sæpe post contracta sponsalia vsu veniat eiusmodi causa, simplum duntaxat reddatur. Atque eadem de sponso dicta volumus, qui sponsalibus renuntiârit. Etsi legibus prohibitæ non sunt speratæ [b] nuptiæ, post datas tamen sponsalium nomine arras sponsa consortium recusat sponsi, propter turpes eius luxuriosósque mores, aut religionis persuasionísve diuersitatem, aut propterea quòd quasi vir, coitum (vnde seminis ac partus spes nascitur) inire non possit, aut ex alia iusta probabilíque causa. Ac si quidem ostensum fuerit, antequam ipsæ darentur arræ, id mulierem eiúsve parentes cognitum habuisse, sibi debent imputare. Sin horum ignari, arras sponsaliorum nomine susceperint, aut post datas arras, iusta quæpiam interuenerit pœnitudinis causa, his tantùm redditis, ab alterius simpli pœna liberi ac immunes seruantor.

a *d. l. vlt. C. de sponsa.*

b *Hinc facilè emendes quod l. vlt. C. de spon. vbi eadem reperies, legitur separatæ pro speratæ.*

DE PRAESIDIBVS PROVINCIARVM.

NEQVAQVAM oportet præsides [c] ex ea prouincia cui præsunt, sibi puellas despondere, atque his arras dare sponsalitias. Quòd si hoc fecerint, puellæ liberum sit eiúsque parentibus, tutoribus aut curatoribus, & nuptias recusare, & datas arras lucrari. Quod idem in filiis [d] quoque præsidum obtineat, item & nepotibus, propinquis, domesticis & consiliariis eorum, atque omnibus denique qui ipsis quoquo modo iuncti subditíve sunt, si præsidis fauore sponsalia cõtraxerint. Si tamen postea quàm potestate exierit, non detrectet eius consortium puella, stabile est coniugium.

Obserua [e] autem tum demum hac constitutione matrimonij contractum prohiberi, si is qui munus aliquod obit, & potestate ac imperio præcellit, possit parẽtibus puellæ formidabilis esse. Nam etsi magistratu quidẽ fungebatur, verùm non is erat qui puellæ parentibus obstare posset, haud quaquã sanè prohibentur spõsalia.

Quin & decimaquinta Cæsaris Leonis Nouella ita inquit: Sancimus non filios solùm, cæterósque mares cognatos ac propinquos, sed & filias & reliquas fœminei sexus personas, eorum quibus prouinciæ cuiusque obuenit administratio, prohiberi ne in ea contrahãt sponsalia. Si sponsus [f] aut etiam sponsa post acceptas vel datas arras, vitam delegerit monasticam, sponsus quidem quas dederat reci-

c *l. vnica. C. si rector prouinc. & l. vnic. C. si quac. pr. ad pot.*

d *l. qui in prouincia. in prin. de rit. nupt.*

e *Schol.*

f *l. Deo nobis. C. de epis. & cler. facit c. ex parte tua. extra de conuer. coniug.*

pit: sponsa verò eas duntaxat restituit quas acceperat, nec duplum præstare cogitur, pœna nimirum vtrinque remissa.

DE SPONSALITIIS DONATIONIBVS.
TITVLVS III.



I VIR Non accepta dote [a] velit, id quod sæpe fieri solitum est, propriæ sponsæ quam & vxorem ducturus est, dotem constituere, si quidem ei specialiter res aliquas donârit, atque has postea in dotem ab ea susceperit, & absoluta donatio est, vt quæ ante nuptias facta fuerit, & dos constituitur, vt quæ per traditionem prouenerit. Si verò tantùm conscripserit se dotem accepisse, cùm nihil acceperit, quod datum sibi non sit haud dubiè repetere non potest.

a l.j.& l.si consentiente. C. de donat.ante nuptias.

Donationum ante nuptias dominia [b] debent iam inde ab initio constitui, sub conditione verò reuocari [c], si non subsecutæ fuerint nuptiæ. Nisi specialiter tradiderit [d] quis propriæ sponsæ, quæ ei donauit, etsi ea sese dotis habere nomine fassus fuerit, nihil ab eo potest peti.

b l.quod sponsæ. C. eodem.
c l.ij.C.eodem.
d dicta l.j.

Id quod [e] de sola sponsa intellige, de qua & dictum est. Si enim vxori quis est largitus, etsi donationis nomine tradiderit, debet in eadem permanere voluntate [f].

e Scholium.
f Ad mortẽ vsque. Nam etsi iure ipso inter virum & vxorem donatio non valet, morte tamen donantis confirmatur. l.si inter virũ. de reb.dub.fac. l.cũ hic status. §.si sponsus. de donat. inter virum & vxorem.

Si quis sponsæ res quaspiam ea lege & præfinita conditione donarit [g], vt tum demum earum cõsequeretur dominium, cum subsecutæ essent nuptiæ, nullius est ea donatio momenti. Et ratio aperta est. Ad tempus enim matrimonij refertur, quo quidem ratæ non sunt donationes inter coniuges factæ. Et meritò sané. Constante siquidem matrimonio non potest vir rerum vxoriarum dominus fieri, neque item vxor rerum ad virum spectantium dominium proprietatémque nancisci. Si enim tanquam sponsæ vir donasset, valeret haud dubiè donatio. Sed quoniam vt vxori donauit, eam enim vim habent verba illa, cum subsecutæ essent nuptiæ, profectò inualida est omnino, ex illa iuris ciuilis regula, qua cauetur, donationibus inter virum & vxorem nullum esse [h] locum.

g d.l.quod sponsæ.C. de donat. ante nup.
h l.j.& ij. de donat. inter vir. & vxor.

DE MINORIBVS.

SI quas res minor [i] viginti quinque annis, sponsaliorum tempore non vltra modum donarit, huiusmodi donationem prætextu ætatis non reuocat. Quæcunque vir, sponsæ parentibus eo nomine donat [k], vt peragantur nuptiæ, ea non expletis nuptiis ipsi restituuntur. Mulier [l] quædam alicui nuptura, virum in dotis negotio fraudauit, vt quæ nihil apertè pollicita, spe duntaxat opimę dotis virum lactârit. Vnde inductus vir nudè ac temere interposita stipulatione spopondit vxori sponsalium nomine certam & apertam dari pecuniæ summam, fortè ducentûm nummûm. Atque his legibus contractum est matrimonium. Posteà decesit vir, fratre relicto hærede. Mulier itaque fratrem viri hæredem iudicio conuenit, poscens

i l.j.C.si aduer.don. Romanum.
k l.ij.C.de dona. ante nuptias.
l Species sumpta ex l.pollicitatione.C.de donat.ante nup.

ſcens ab eo quæ ex ſtipulatu ſibi à viro deberi contendebat. Itaque fratri conſtitutione [a] Imperatoria hunc in modum eſt reſcriptum: Quòd pollicitationem à fratre quondam tuo ſponſalium cauſa factam atque adeò in ſtipulatum deductam impleri poſtulat mulier, ei propterea præſtanda non eſt, quòd in dote virum fefellerit.

a *d.l.pollicitatione.*

Quoniam ſponſæ quidem donari poteſt, nuptæ non item, iure ſanè quærebatur ſi ipſo nuptiarum die donationem factam contingeret, an ea tanquam in ſponſam collata valeret, an verò tanquam in vxorem, ſubſiſtere non poſſet. Inquit igitur conſtitutio [b] in tanto ſcrupulo illud eſſe inquirendum ac perueſtigandum, vbinam mulier eſſet, cùm in eam collata eſt donatio: vt ſi quidem in ſuis etiamnum ædibus erat, in ſponſam videatur collata, atque ideo valeat: ſin verò in viri ædibus, in nuptam. Iam enim ab eo tempore nupta, & non vltrà ſponſa videtur eſſe mulier. Collata à ſocero ſocrúve in ſponſam aut generum donatio, ne principis [c] quidem reſcripto reuocatur, ita ſcilicet vt dirimatur coniugium. Neque enim principē decet in alicuius detrimentum vana & inania conferre [d] beneficia.

b *l.cum in te.C.eod.*

c *l.cum te.C.eodem.*

d *Fac.l.ij.§.ſi quis à principe. ne quid in loco public. l.reſcripta. C.de prec.imp. offerend.*

DE OSCVLO SPONSORVM.

SI ſponſaliorum tempore ſponſam oſculatus [e] ſit ſponſus, ac poſtea horum alterum mori contigerit, dimidia donatarum rerum parte reſciſſa alteram conſequitur ſuperſtes. Vbi verò non interuenit oſculum, ſiue prior ſponſus ſiue ſponſa deceſſerit, modis omnibus reſtituitur quod donatum fuerat. Quòd ſi ſponſa ſponſo donârit, & horum alter fato ceſſerit, reſcinditur omnino donatio, ſiue interuenerat oſculum, ſiue non interuenerat.

e *l.ſi à ſpōſo.C.de donat.ante nupt.*

Si qua ſponſus [f] propriæ ſponſæ donarit, viciſsímque muneribus eum ſocer proſequutus fuerit, & non ſecutis nuptiis quæ donârat ſponſus abſtulerit, haud rectè ſocer ſuam reuocat donationem, ſed debet potius quæ rapuit ſponſus iudicio perſequi.

f *l.ſi filiæ. C.eod. Cui ſanè, l.cum veterū. eod. repugnare videtur.*

DE CREDITORIBVS.

ANTERIORES viri creditores [g] niſi hypothecæ ius habeant, non poſſunt res ab eo ſponſæ donatas auferre, niſi inquam hæ ipſis ſpecialiter obligatæ priùs fuerant.

g *l.de rebus.C.eod.*

Neque [h] verò exiſtimes mulierem in iis quæ hoc loco tractantur donationibus tacitam habere hypothecam. Hæ etenim cauſa donationis [i] propter nuptias (ὑπόβολον Græci dicunt) collatæ intelliguntur.

h *Scholium.*

i *In qua mulierē ius hypothecæ non habere, autor eſt Iuſtinianus l.aſsiduis. ſub fi.C. qui pot. in pign hab.*

DE NVPTIARVM CONCILIATORIBVS ET AVSPICIBVS.

VVLT [k] conſtitutio eum qui nuptiis conciliandis interpretem ſeſe ac velut ſequeſtrem interponit (προξενητὰς Græci appellāt) maximè quidem nihil eo nomine accipere. Sin omnino accipere ſuſtinet, ſi de ea re nihil conuenerit, nihil prorſus auferre: ſi conuenerit, non vltra viceſimam dotis & ante nuptias donationis poſtulare.

k *Hæc in noſtro iure non reperitur. Huc tamen fac. quod l. vlt.de proxen.ſcribitur.itē l.j. de nup libro iij C.Theodoſiani.*

DE FINITIONE AC STATV RITVQVE NVPTIARVM. TIT. IIII.



NVPTIÆ[a] Sunt maris & fœminæ coniunctio, consortium omnis vitæ, diuiníque & humani iuris communicatio. Iustas[b] autem ac legitimas nuptias inter se ciues Romani contrahunt, cum ea seruarint quæ de nuptiis legibus cauta sunt. Oportet autem mares quidem esse puberes, fœminas viripotentes, hoc est illos quidem annum excedere decimum quartum, has verò duodecim annis esse maiores. Atque hæc dicimus, siue patresfamilias sint, siue filiifamilias ij qui matrimonio coniunguntur. Non consistunt nuptiæ, nisi consentiant[c] & qui coëunt, & quorum in potestate sunt. Contractæ verò absque parentum consensu nuptiæ, inualidæ sunt.

Minor annis duodecim nupta[d] tunc legitima fit vxor, cùm apud virum duodecim annos implêrit. Potest vir absens[e] per nuntium aut literas matrimonium contrahere, muliere in domum eius deducta. At si mulier absit, fieri hoc non potest. Deductione enim in mariti domum quasi in domicilium matrimonij opus est. Vnde & si priùs quàm rediisset ille decesserit, est ab vxore per annum lugendus. Sícque in hoc casu contingit, vt virgo & dotem & de dote habeat actionem (forsan enim literis dos constituta fuerat) item & ante nuptias donationem, quæ Græcis hypobolon appellatur. Aliud est vbi vice versa mulier literis aut nuntiis virum ad nuptias hortatur. Hac enim ratione per literas inquam mulieris contrahi nuptiæ non possunt. Nanque vt nuptiæ hoc pacto peragantur, mulierem oportet in domum mariti deduci, non virum in vxoris. Simul enim atque in ædeis viri mulier, eius, vt dixi, literis aut nũtio impulsa, fuerit perducta, constituuntur nuptiæ, etiamsi opus ipsum & connubialis[f] complexus subsecutus non fuerit.

EIVSDEM.

Cum quis in potestate[g] aui est, auo viuente patris consensus est necessarius. Quòd si furiat pater, aui sufficit consensus, si modò is sapiat. Cuius pater ab hostibus captus intra triennium[h] nõ reuertitur, is vxorem potest ducere. Si triennium[i] effluxerit postquam pater planè fuerit ignotus vbi degat, & an superstes sit, possunt liberi eius vtriusque sexus legitimas nuptias contrahere. Quòd si ante triennium captiui vel absentis liberi matrimonium contraxerint, cuius conditionem certum sit patrem non repudiaturum, firmum erit ac stabile eiusmodi coniugium. Qui liberos[k] quos habent in potestate, iniuria prohibent vxorem ducere aut nubere, vel qui dotem non dant, per præsides collocare ac dotare coguntur. Prohibere autem videtur & qui sponsalia conditionémque non quærit.

Nubere[l] pupilla suo arbitrio potest. Rerum enim eius administratio

a *l.j.de rit.nup. Paulò aliter finit Iustinianus §.j.Insti. de pat.pot. Quod tamẽ in idem recidit.*
b *Inst.de nup.in prin. & ibi Theoph.*
c *l.ij.de rit.nup.Inst. de nup.in prin.ver. & consensum.cap. vbi non est consensus.xxx.q.ij.*
d *l.minorem.ff.eodẽ. fac.c.de illis.j.extr. de desp.impub.*
e *l.mulierem.cũ duabus sequent.eod.tit.*
f *l.nuptias.de regul. iuris.*
g *l.si nepos.de ri.nup.*
h *Ead.l.in fin.*
i *l.si ita pater.cum l. sequen.eod.*
k *l.qui liberos.*
l *l.sciendum.j.*

stratio non item connubium ad curatoris officium pertinet. Itaque eius consensu rerum minoris administratio indiget, eámq; dotare[a] ac nuptiarum sumptus facere debet. Emancipatus[b] iustam agens perfectámque ętatem potest vel absque patris consensu vxorem ducere. Ascendentiũ luctus, lugentiũ nuptiis[c] impedimento non est.

a l.quæro. cum l.seq de iur.dot.
b l.filius.de rit.nupt.
c l.liberorum.in princip. de infam.

DE DOTALIBVS INSTRVMENTIS.

NVPTIAE etiam absq; dotalibus instrumentis[d] contrahi possunt, dum ea obseruentur quæ leges obseruari præcipiunt.

d l.neque sine. C. de nuptiis.

DE IIS QVI IN DIGNITATE CONSTITVTI SVNT.

OPORTET eos qui dignitate[e] aliqua ornati sunt, etiam ad Protospatharium vsque, nuptias nisi dotalibus instrumentis conscriptis non contrahere. At reliquis, etiam his non interpositis nuptias contrahere liberum esto.

e Nou.vt lic.mat.& auiæ. §.illo indubitanter. vnde Authent. Maximis.C. de nup. sumpta est.

Vult Constitutio[f] sibi neminem ex Principis rescripto nuptias conciliare. Siquidem & eius, inquit, bona publicentur, ac nec legitimi sint inde procreati liberi, etsi vt id sibi indulgeretur effecerit.

f l.j. & toto titu.C.si nup.ex rescr. pet.

Emancipata filia iustam agens ætatem vel inuito patre[g] legitimè virum sibi adiungere potest. Si pupilla aut minor vicesimũ quintum ac posteà vtilem quoque annum complérit, tum demum eam potest tutor curatórve vxorem[h] ducere, vbi rationum allegationem reddiderit. Nuptias non viri & vxoris concubitus, sed coniugalis[i] consensus facit.

g Nou.vt cũ de app. §.causas autem iustas.sub fin. vnde Authẽ. sed si post. C.de inoff.testa.deprompta est.
h l.filius à patre. §.si quis eo tempore. de lib. & posth.l.si patris.de interd matr. inter pup.& tut.
i l.nuptias.de reg.iu. c.ij.xxvij.q.ij.

SCHOL.

Nuptias non illud constituit quòd vir cum muliere consuetudinem habeat, sed quòd inter eos qui inuicem congressuri sunt de connubio conuenerit. Ac licet vel nudum adhibuerint cõsensum, contrahitur matrimonium. Verùm hæc quidem præsens docet præceptio ex vetusto more. Hodie autem non nudo consensu matrimonium contrahitur. Sed & ni sacerdotum precibus[k] interpositis corroboratum fuerit, nec nuptiæ contrahuntur, nec prohibentur qui contrahunt à se inuicem disiungi. Atque hoc Nouella edita cauit ille inter Principes celebratissimus Cæsar Leo cognomento Philosophus, insupérque felicissimus ille Princeps Cæsar Alexius Comnenus. Porrò benedictione sacrísque peractis etsi non processerit ipsum connubium & eorum qui iam consensere copula, matrimonium tamen esse videtur, & contractus qui iam solui rescindique nullo modo possit. Quorsum autem quæ nunc præcipimus, tibi sint collatura, ex his accipito. Si quis moribundus[l] ita dixerit: Damnas esto hæres meus patrueli meæ huic decem nummos præstare cum ea nuptias contraxerit, deinde mulier illa cum aliquo de contrahendo matrimonio pactionem inierit, haud dubiè tametsi cum viro suo consortium non habuerit, decem illos nummos ex legati causa sibi relictos consequetur. Neque enim concubitus, sed contrahentium consensus ac placitum nuptias peragit.

k ca.aliter.xxx.q.v. c.cum inhibitio.extra de cland. despõ.
l Species sumpta ex l.cum fuerit.de cond.& demonst.

Cum de nuptiis[m] impuberis puellæ & pupillæ dissentiunt mater, propinqui ac tutores, huius rei cognitio ad prouinciæ præsidem attinet. Qui cum libera[n] muliere quæ corpore quæstum non fecerit, consuetudinem habet, non concubinam sed vxorem eam habere videtur. Non possunt liberi[o] matrimonia pro se contracta, in eorum damnum & fraudem distrahere, qui suo nomine dotes & ante nuptias donationes contulerunt. Etiam iuxta ea quæ nuper à

m l.j.C.de nupt.
n l. in liberæ. de ritu nupt.l.in cõcubinatu. de concub. Contrà iure Can. c.aliter.xxx.q.v.
o l.si filia emancipata.de diuor. & rep. Nouel.de nup. §.est quoque quoddam.

nobis piè sunt constituta, ne à patre vxorem ducere cogitor[a] qui cœlibem & castam vitam agere instituit, et si in eius etiamnum est potestate. Filius qui in potestate est, luxuriosè ac intemperanter se gerens, nuptias ne recusato[b]. Et ab iis qui nos antecesserunt legumlatoribus conscripta lex est, posse eam quæ vicesimum quintum ętatis annum excesśit, cuicunque libuerit sese prostituere[c], neque posse hoc nomine à patre exhæredari. Propterea sancimus vt etiamsi pater in ea collocāda incurius sit & negligens, ne tamen ei liberū sit cuius prostare. Sed hoc in vrbe quidem Constantinopoli, præfecto renunciet aut quæstori: in prouinciis autem cuiusque loci præsidi. Ipsi autem, eius parentes cogant, vt eam collocent, ac pro facultatum patrimoniique viribus dotent[d].

a *l. non cogitur. de ri. nupt.*

b *Huc fa. c. sicut. §. his ita. xxxij. q. ij.*

c *De hac re diximus antea ex No. vt cū de app. §. causas autem. sub fin.*

d *d. l. qui liberorum. de rit. nup. Paternū siquidem officiū est dotem pro sua dare progenie. l. vlt. §. vtranque. C. de do. promiss.*

DE CLANDESTINO MATRIMONIO.

NEMO clàm[e] nuptias contrahens coronetur, sed pluribus adstantibus. Qui enim hoc efficere ausus fuerit, pœna ei irrogata castigetur. Quin & ipse sacerdos, vt qui indecoris illicitisq; rebus operā suam & assensum præstiterit, meritas pendat pœnas, iuxta ea quæ super hac re Canonibus[f] ecclesiasticis cauta sunt.

e *c. nullus, & nullū. xxx. q. v.*

f *c. cum inhibitio. sub fi. extr. de clandest. desp.*

DE LEGIS EXACTA EXQVISITAQVE DILIGENTIA. DE CLERICIS. TITVLVS V.



CLERICIS[g] Permissum est legitimas habere vxores. Cantores[h] & lectores, legitimum contrahere matrimonium non prohibentur. Hypodiaconi verò & presbyteri prohibentur omnino. Vnde & si pręter huius constitutionis pręscriptum connubio mulieri iungantur, de sacerdotio deiiciātur, ac sua spolientur dignitate. Quæ autore patre matrimonium contraxit, potest & præter eius voluntatem in contracto[i] persistere matrimonio, nec eò videtur patri iustam offensionis causam præstare.

g *ca. Nicena synodus. xxxj. dist. & c. quoniam. seq.*

h *can. placuit. c. seriatim. ac per totā penè dist. xxxij. c. vl. dist. xxxj. Itē Nou. de nupt. §. sed & si quis inter. Vnde Auth. Multò magis. C. de episcop. & cler. est excerpta.*

i *l. cum te. l. filia. C. de inoff. test.*

DE CAPTIVA.

QVI AB hostibus captam[k] redemit, & cum hac tanquam vxore est congressus, cum videatur eò quòd ipsam insuper vxorem assumpsit, pretium ei ac velut pignoris vinculum remisisse, efficit proculdubio, vt & ipsa pristinis restituatur natalibus, & ex ea suscepti liberi legitimi sint atque ingenui.

k *l. ij. & l. si is qui te. C. de postli. reuer.*

DE GRADIBVS[l] COGNATIONIS ET NVPTIIS ILLICITIS. TIT. VI.



COGNATIO[m] nomen est generale. Quod quidem in tres ordines distribuitur, ascendentium, descendentium, & eorum qui ex transuerso sunt siue à latere. Ascendentes quidem vel superioris ordinis ij sunt, qui nos genuerunt, cuiusmodi pater mater, auus auia, quique supra hos sunt. Descendentes vel

l *Vide huc tot. tit. ff. de grad. affi. & tit. de grad. cogn. lib. Inst. iij. Obserua tamen iure Canonum graduū consanguinitatis & affinitatis, aliam statui rationem q̄ iure ciuili vt habes xxxv. q iiij. & v.*

m *Hæc ad verbū penè apud Theophilum reperias. Institut. de nup. §. ergò non omnes. & Inst. de legi. agnat. suc. in princ.*

vel inferioris ordinis, qui ex nobis procreantur, vt filius filia, nepos neptis, & qui infra hos ſeriatim ſuccedunt. Ex tranſuerſo autem, qui neque nos progenuerunt, neque è nobis ſunt progeniti, ſed eandem ſtirpem ac radicem nobiſcum communicârunt, veluti frater, ſoror, patruus vel auunculus, amita vel matertera (vtrunque enim ac vtrãque Græcæ voces θεῖος & θεία deſignant) conſobrinus [a], conſobrina, frater patruelis, ſoror patruelis, & qui ex his deducuntur. Porrò quiſque cognationis ordo varios habet ac differentes gradus. Ac in iis quidem [b] qui ſuperiorem tenent aut inferiorem ordinem ſimpliciſsima eſt & peruia graduum perceptio. Harum enim perſonarum quæque gradum ſuum abſoluit, atque, vt numero dicam, quot generationes, totidem & gradus ſunt. Cæterùm eorum qui ex tranſuerſo ſunt graduum inueniendorum difficilior eſt neque ita intellectu procliuis ratio. Neque enim nos ſtatim oportet ad eam quæ ex trãſuerſo occurrit perſonam recurrere, ſed priùs ſurſum verſus ad eos quos ſuperiori ordine collocauimus, aſcendendum, donec in ea ſubſtiterimus perſona, quæ cauſam & ortum ei qui ex tranſuerſo ſumitur, præbuit. Qua inuenta, ad eam perſonam quæ ex tranſuerſo quæritur, deſcendendum. Quibus peractis, colligendę ſunt ſupputandęque generationes. Ita enim numerum inibis, vt ſingulis ſeorſum gradibus ſuam aſsignes generationem. Et in iis quidem qui inferioris ſunt ordinis, hoc perfacile ac planum eſt. Verbi gratia, filius meus quoto mihi gradu eſt? Eum ipſe genui. Ecce generatio vna gradum vnum effecit. Eſt igitur mihi primo gradu. Nepos item quoto? Ego filium procreaui, filius nepotem. Ecce duæ generationes duos produxerunt gradus. Eſt ergò nepos ſecundo gradu. Idem in pronepote deinceps, & abnepote dicendum. Eodem quoque modo in iis qui ſuperioris ſunt ordinis, quos aſcendentes nominauimus, graduum explorabis numerum. Vt pater quoto gradu ſit? Is me genuit. Ecce generatio vna vnum confecit gradum. Erit itaque mihi primo gradu. Auus quoto? Me pater ſuſcepit, patrem auus. En binæ generationes binos produxere gradus. Quò fit, vt ſecundo gradu ſit auus. Idẽ & in matre ac auia, cæteríſq; ſuperioris ordinis tam maribus, quàm fœminis locum habere, ſi experiri libet, deprehẽdes. In iis autem qui nobis ex tranſuerſo iuncti ſunt, conſcendendum, quemadmodum diximus, ad eam vſque perſonam, quæ cognationis cauſa eſt, in connumerandis generationibus, ac rurſus deſcendendum ſubducta quoque generationum ratione, donec ad perſonam tandem peruentum fuerit, de qua quæſtio eſt. Si quis enim te rogârit, quoto ſit tibi gradu frater, reſponde, ſecundo. Aſcende enim ad patrem. En vna generatio, à patre ad te vnum effecit gradum. Et quoniam ipſam aſſecutus es perſonam, quæ cauſam ortui dedit, delabere ad fratrem, hîc altera generatione adiecta. Viden' vt duæ generationes duos conſtituerint gradus? Rectè ergò dictum illud fuit, fratrem eſſe gradu ſecundo. Rurſum ſi rogeris, patruus quoto te gradu contingat, dic,

tert

a Ἀνεψιός, ἀνεψιά. *Sicut Latinè conſobrinorum, ita & Græcè ἀνεψιῶν nomen latè patet: vt hoc nomine & duorum fratrũ filij qui propriè patrueles, & duarũ ſororum qui propriè conſobrini dicũtur quaſi conſororini, & ex fratre ac ſorore nati qui amitini, ſignificentur, vt monent Impp. l. celebrandis. C. de nupt. & iuriſconſ. l. j. & l. vlt. §. quarto gradu. de grad. affi. & Inſt. de gra. cogna. §. quarto gradu.*

b *d. l. vltim. §. at cum quæritur. eod. tit. ff.*

tertio. Necesse enim est ad patrem ascendas, atque ita ratione ineas: Me pater progenuit, patrem auus, en duæ generationes. Idem auus patruum. Iam vides, vt trinæ generationes trinos confecerint gradus, atque ita tertio mihi sit gradu auus. Sic & in iis qui deinceps subsequuntur, si ad hanc aduertas præceptionem, graduum ordinem peruestigare possis. Rursum hoc quoque modo gradus connumerantur. filius filiáve si cum patre aut matre conferatur, primo gradu est. Vir enim & vxor gradum non faciunt, sed sunt velut vna persona. Nepos vel neptis cum auo aut auia, secundo. Pronepos aut proneptis cum proauo vel proauia, tertio, atque ita deinceps. Germani fratres (αὐτάδελφοι Græcis) si extiterint, & quantocunque numero, inter se sunt secundo gradu. Fratres patrueles (Græcè πρωτεξάδελφοι) quarto. Secundi patrueles (Græcè δισεξάδελφοι) sexto. Tertij patrueles (Græcè τρισεξάδελφοι) octauo, qui & licitè possunt matrimonio coniungi. Cæterùm nomen θεῖος (cui Latina vna vox non respondet) trifariam sumi contingit. Aut enim simpliciter quis θεῖος dicitur, velut qui patris est aut matris frater (Hunc Latini auunculum, illum patruum appellant) qui & tertio gradu est ad ἀνεψιὸν vel ἀνεψιὰν, hoc est fratris aut sororis filium filiámve. Aut θεῖος magnus, vt aui vel auiæ frater, qui & quarto gradu est ad ἐξανεψιὸν vel ἐξανεψιὰν, hoc est fratris sororísve nepotem aut neptem. Hoc enim nomine ἀνεψιῶν liberos vocitamus. Aut θεῖος paruus, vt patris aut matris frater patruelis, qui & quinto gradu est ad minorem ἀνεψιὸν vel ἀνεψιὰν, hoc est ex fratre sororéve nepotem aut neptem. Hac enim appellatione patruelium filios donamus. Eadem & de nomine θεία dicimus.

DE AFFINITATE.

PORRO affinitate iunctis matrimonium contrahere permittitur, si nec infra sextum gradum sint, neque cognationis nomina confundant. Qui enim hæc confundunt, etiam ad septimum [a] vsq; gradum matrimonio copulari prohibentur. Confundunt autem in sexto quidem gradu, vt cum duo fratres patrueles, duas ducunt sorores, aut contrà duo fratres duas sorores patrueles. Sic enim cōtingit vt pro fratribus aut patruelibus fiant σύγγαμβροι, quasi congeneros dicas, id est duarum sororum mariti. Aut cum patruus & fratris sororísve filius, fratris sororísve filiam & amitam ducunt, patruus quidem fratris sororísve filiam, fratris verò aut sororis filius amitam. Fiunt enim hinc, patruus quidem fratris aut sororis filius, fratris autem aut sororis filius, patruus: quæ vtique confusio est. Quòd si patruus patruam, consobrinus consobrinam duxerit, nulla orietur confusio. Ac ideò nec inter eos connubium prohibetur. Ita enim patrui & consobrini locum inter se & cognationem retinent. Et in reliquis eadem ratione. In septimo autem gradu confundunt, vt cum auus & pronepos duas patrueles ducunt, aut pater & filius duas patrueles secundas: ita & σύγγαμβροι censebuntur. At auus & nepos

[a] *Iure Canonum ad quartum duntaxat gradum matrimonij copula prohibetur. c. non debet. extrà de consang. & affinit. Porrò de tota hac re vide trigesimam q. ij. & iij.*

pos amitam magnam & consobrinam ducere non prohibentur. Nanque inde nulla resultat confusio. Siquidem & amitam magnam & patruum magnum, auum aut auiam nominant. Et hæc ea est quæ in hac maximè cognatione tantas vires habet confusionis fuga, ἀσύγχυτον Græci vocant. Quam & veteres illi solam in hac requirebant, nullo autem pacto gradum.

DE IIS QVI EX TRIBVS GENERIBVS SIBI INVICEM IVNCTI SVNT.

CÆTERVM eos qui ex tertia prosapia sese contingunt, necesse interdum est matrimonio iungi, eos nimirum qui quarto à se mutuò gradu distant, aut etiam vltrà: etsi lex duos duntaxat apertè prohibuit, ne quis [a] scilicet cum ea matrimonium contrahat, quæ quondam priuigni sui vxor fuit, nec nouerca cum eo qui quondam priuignæ suæ fuerit maritus, cæteris silentio transmissis. Poterit ergò quis vxorem ducere sororem vxoris fratris suæ vxoris. Quarto siquidem gradu hi se inuicem contingunt, cum in his tertiam spectare liceat progeniem.

[a] *Facit §. affinitatis quoque. Institut. de nupt. & l. nemini lõceat. C. de nupt.*

DE IIS QVI EX SACRO LAVACRO COGNATIONE IVNCTI SVNT.

PORRÒ in ea quæ ex sacro fonte & ex adoptione descendit cognatione, idem quærendus gradus, qui & in ea quæ ex sanguine, propter id quod quinquagesimotertio sanctæ Trullensis synodi traditum est, maiorem esse spiritalem coniunctionem corporum vnione. Etsi hanc iura [b] ad tres duntaxat aut etiam ad quatuor vsque gradus prohibuerunt, nimirum vt ne quis, eiúsve filius matrem aut sororem duceret eius quã vel sacro fonte suscepisset, vel adoptasset. Inquit enim hunc ferè in modũ: Qui aliquam in sacro fonte suscepit, non potest eam in posterũ sibi matrimonio iungere, vt quam sibi filiam effecerit: neque eius matrem aut filiam. Sed nec eius filius. Siquidem nihil est aliud quod æquè posit affectum patrium conciliare, ac iustum inducere coniugij impedimentum, atque huiusmodi vinculum, quo, intercedente Deo, eorum iunguntur & copulantur animi. Enimuerò sciendum paulò aliter in his gradus, quàm in propinquis ac consanguineis connumerari. Verbi gratia: is quidem qui aliquem suscepit vel adoptauit, ei qui susceptus adoptatúsve est, primo gradu est: patri autem aut matri eius, secundo: germanis eius fratribus, tertio. Eius verò filij, suscepto quidem vel adoptato, secundo gradu sunt, quòd eum tanquam fratrem habeant. Eius autem germanis fratribus, quarto.

[b] *l. si quis alumnam. in fin. C. de nupt. Et de cogn. spir. titulus peculiaris est in Decret. & in vj. De qua eadẽ agitur & xxx. q. iij. & iiij.*

DE FRATRIS ADOPTIONE, QVAE ἀδελφοποιία GRAECIS DICITVR.

AT fratris adoptio [c] earum rerum numero habetur, quæ fieri nequeant aut non soleant: vnde & matrimonium non impedit. Adoptio siquidẽ naturam imitatur. At nemo sibi fratrem gignit.

[c] *l. nec apud. iuncta gl. C. de hær. instit.*

DE VETITIS ET ILLICITIS NVPTIIS.

NVPTIAS vetitas ita definimus. In ascendentium quidem ordine ad infinitum vsque nuptiæ prohibitæ [a] sunt, quamuis inter ascendentes haud legitimæ fuerint. Neque enim auiam quis potest vxorem ducere, nec neptem, siue hæ naturales sint, siue adoptiuæ, etsi maximè emancipationis iure dissoluta est adoptio. Pudori enim sit aui appellatio ei quæ quondam neptis fuerit. Quin & inter eas personas quæ ex transuerso [b] cognatione iunguntur, nuptiarum est impedimentum. Siquidem fratris aut sororis meæ filiam vxorē non duco. Sed nec horum neptem, etsi quarto gradu est, possum ducere. Similiter nec patrui aut amitæ filiam [c], hoc est patruelem meam. Sed nec filius meus eorum neptem, qui secundi patrueles dicuntur. Item nec patris aut matris meæ amitam [d] aut materteram, licet per adoptionem tantùm sint, idque quoniam matrum loco sunt. Sed quo pacto contingit adoptiuam esse amitam? Auus meus (finge disciplinæ causa) paternus, cùm filium haberet patrem meum, puellam quandam adoptauit. Ac meus quidem pater sororem eam vocabat adoptiuam, ego itidem amitam. Item nec cum magna amita matrimonio iungi possum, hoc est aui sorore, etiamsi adoptata est, quòd auiæ locum obtineat. Sunt & aliæ nuptiæ quæ non quidem cognationis iure, sed propter affinitatis [e] venerationem haud quaquam procedunt. Est autem affinitas, habitudo quædam personarum nobis ex nuptiis citra cognationem iunctarum. Verbi gratia, priuignam meā aut nurum vxorem ducere non licet. Et priuigna [f] quidem est ex alio suscepta vxoris meæ filia, neptis vel proneptis. Nurus verò, filij, nepotis vel pronepotis vxor. Neque vxoris quæ à me diuerterit filiam [g], ei post diuortium ex alio viro susceptam. Neque socrum [h] aut nouercam, quia matris loco sunt. Neque insuper patris aut fratris mei sponsam [i], etsi hæc ipsis non nupserit. Illa enim nouercæ, hæc nurus loco est.

a §. ergò non omnes, & ibi Theoph. Instit. de nuptiis. & l. nemini liceat. C. eo.

b § inter eas quoque, cum §. fratris. Institu. eodem.

c Hoc iure ciuili licebat. §. duorum autem fratrum, Insti. eo. l. celebrandis. C. eo. Sed iure pontificio prohibetur hodie. ca. quædam lex Romana. xxxv. q. ij. & iij.

d §. item amitam, & ibi Theoph. Instit. eodem.

e §. affinitatis, & Theoph. eo loco.

f l. adoptiuus. §. vlti. de ri. nupt.

g l. si qua. §. si vxor. eo. Instit. de nupti. §. si vxor.

h §. socrum. Instit. eo.

i d l. si qua. §. j. de ri. nupti.

NOVELLA PATRIARCHARVM SISINII ET XIPHILINI.

Ne sororem quidem sponsæ meæ defunctæ vxorem possum ducere, si solùm septennis erat illa, aut etiam vltrà, vbi scilicet mutuo consensu inter nos contracta sunt sponsalia. Si verò septem annis minor erat (in eiusmodi enim ætate ne ex solo quidē cōsensu omnino contracta agnoscuntur [k] sponsalia) citra culpam & reprehensionem ei matrimonio iungar. Sed nec fratris mei sponsam [l] aut germanam illius sororem possum vxorem ducere. Et (vt semel dicam) quæcunque in nuptiis contrahendis caueri solent, eadem cauit & in sponsalibus synodalis illa patriarcharū Sisinij & Xiphilini decisio. Porrò Nouella [m] principis Cæsaris Alexij in iis quidem qui, si viri sunt, decimoquarto, si fœminæ, duodecimo ætatis anno sponsalia contrahunt, sacra adhibita benedictione ac consuetis precibus quæ à sacerdote inter contrahentes proferuntur, valere synodicam hanc sanctionem

k c. ad dissoluēdum, extra de desp. impube.

l c. quidam desponsauit, xxvij. q. ij. cap. ad audientiam, extra de sponsal. & matr.

m Antea sub huius libri initium posita.

ctionem iussit. In iis autem qui infra hos annos & absque benedictione sponsalia contraxerint, nequaquam, sed illud solùm quod ipsa lege exprimitur ratum ac stabile permanere, ne quis fratris possit sponsam ducere. Adoptiuus filius [a] etiamsi emancipetur, non potest eam quę patris adoptiui vxor fuit ducere, sicut nec pater adoptiuus filij vxorem etiam post eum emancipatum, quamuis soluta sit adoptio, ac genere his iunctus non sit. Illa enim nouercæ, hæc nurus loco est. Et pater naturalis [b] vulgo quæsitam sibi filiam non ducit: quia naturale ius & pudor in contrahendis matrimoniis spectatur. Eadem & in seruili affinitate seruanda sunt. Non patris mei tantùm, sed & aui ac proaui vxor, nouerca [c] dicitur. Et eas vxores ducere prohibeor: sique plures pater vxores habuerit, nullam earum possum ducere. Socrus [d] nomine non mater modò, sed etiam auia vxoris meæ continetur, vt nullam earum posim ducere, neque item matrem eius quæ quodam mihi sponsa fuit. Mihi enim socrus extitit. Neque eam quæ quondam vxor priuigni mei [e] fuit.

Nec nouerca [f] ei potest nubere qui priuignæ maritus fuerit.

Sororis meæ proneptem [g] vxorem ducere non possum, quoniam parentis loco ei sum. Neque item priuignæ meæ filiam [h] mihi licet vxorem ducere. In connubiis [i] non solùm quid liceat, sed & quid deceat spectamus.

a l. adoptiuus, in princip. de ri. nupt.

b Ea. l. §. vnde nec vulgo.

c §. nunc videamus.

d §. itaque socrus.

e l. vxorem.

f d. l. vxorem.

g l. sororis.

h l. Aristo respõdit.

i l. semper. eod. tit. & l. semper in coniunctionibus. de regulis iuris.

NOVELLA.

Vetuit ecclesia [k], ne vnus & idem secundas consobrinas vxores ducat. Neq; enim tum affinitatis septimus [l], vt nonnulli existimant, colligitur gradus, sed sextus, propterea quòd vno gradu vir esse cum vxore censeatur. Hoc siquidem patriarcha Nicolao in quæstionem vocatum, ab ecclesia prohibitũ est. Imperatoris quoque Cæsaris Manuelis sanctio promulgata est, ne hoc iam cautum vnquam fieret.

k c. porrò. xxxv. q. ij. & iij.

l ca. progeniem. cum seq. ead. q. & per totam xxxv. quæst. iiij. & v.

NOVELLA.

Decretum patriarchæ Stupæ, item & patriarchæ Arsenij, nequaquam prohibitum iudicant, vt duo fratres sponsam ducant & viri sororem.

NOVELLA.

Quin & patriarchæ Michaëlis decretum, Ioannis fortè filiam eiúsque vxoris consobrinam duobus fratribus iungi permittit, vtpote quam Ioannes ex altera vxore susceperit. In matrimoniis nõ solùm exquisita iuris ratio est attendenda, sed & insuper aduertendum an deceat quod agitur. Nam quemadmodum C I X præceptione tituli tertij, secundi libri Principalis voluminis cautum est, Non omne [m] quod licet protinus & decorum est ac honestũ. Vulgo quæsitam sororem [n] non potest quis vxorem ducere, neque adoptiuus adoptiui filij matrem, aut eius sororem aut ex filio neptem. Haud sanè honestè patroni [o] vxor cum eius liberto matrimonium contrahit.

m l. non omne. de reg. iuris.

n l. & nihil interest. de ri. nupt.

o l. quanquam. §. mulier. de rit. nup. l. iij. C. de nup.

DE TVTORIBVS.

ETIAMSI tutor curatori rationes [a] reddiderit, pupillam tamen cuius tutelam gesſit, non poteſt antequam ea viceſimum quintum ætatis annum attigerit, & cõceſſum reſtitutioni quadriennium effluxerit, vxorem ducere, etſi iam ex altero matrimonio liberos ſuſcepit. Nec tutoris pater [b], nec qui in eiuſdem poteſtate eſt frater poteſt pupillam ducere, neque eius filius aut nepos. Poteſt curator [c] filiam adulto cuius curam gerit, matrimonio iungere. At filium, adultæ [d] quam curat, abſque iuſſu principis non poteſt. Alioqui notatur infamia. Etiam curator ventri boniſque [e] datus, prohibitioni ſubiacet. Debet enim & hic rationes reddere. Neque mouere nos debet, maiorine an minori tempore quis in hoc munere fuerit.

Non poteſt adoptiuus filius [f] eam quæ patri nupta fuerit ducere, etſi ei genere iunctus non eſt.

DE ADVLTERIO.

DE adulterio mulieris [g] damnatus haudquaquam poteſt eam vxorem ducere. Sciendum ream peractam mulierem adulterij quidem in monaſterium [h] detrudi, alius verò criminis præter hoc, non includi quidem monaſterio, ſed ſolui matrimonium, nec poſſe mulierem intra quinquennium [i] ad ſecundas tranſire nuptias.

Qui adulterij damnatam [k] vxorem duxit, adulterij crimine tenetur, non item qui eam in concubinatu habet. Si damnatus de mulieris adulterio [l] eam vxorem duxero, etſi ipſa damnata non eſt, nec ſtat matrimonium: ſed & ſi ego eam, aut me ipſa hæredem ſcripſerit, fiſco adiudicatur hæreditas.

Tam eorum qui lugentur [m] quàm qui lugeri non poſſunt virorum vxores prohibentur intra luctus tempus nubere. Quæ virum elugens [n] peperit, prohibetur adhuc ad nuptias accedere. Quin & ea quæ lugubri tempore peperit, ſtatim poteſt nuptum ſe collocare. Verùm illud quidem vbi vir dignus erat qui elugeretur: hoc alterum vbi lugeri dignus non erat.

SCHOL.

Sciendum duabus de cauſis luctus tempus iure præfinitum eſſe, tum ne turbatio [o] fiat ſanguinis, tum etiam propter honorem & reuerentiam quæ viro debetur. Vxores itaque eorum qui lugeri non merentur, quòd fortè publico aliquo [p] crimine teneantur, poſt partum non prohibentur etiam lugubri tempore nubere. At eorum qui luctu digni ſunt vxores etiam poſt partum in luctu nubere prohibentur, propter honorem ac reuerentiam quam viro debent, niſi hoc à Principe [q] impetrârint, vt intra legitimum tempus nubere liceret. In vxoribus [r] virorum integræ famæ, ea quæ in luctu peperit nubere prohibetur. Luctus enim (Græcè πένθος) in vxoribus, integræ exiſtimationis virorum dici ſolet. At lugubre vel luctuoſum tempus (Græcè ὁ πένθιμος) in iis qui infamia notati ſunt. Vxor igitur viri infamia notati, in qua luctuoſum tempus appellatur, ſtatim à partu matrimonium contrahere non prohibetur. Neque enim ob eius reuerentiam qui antè

a l. quanquam. in fi. de ri. nup. l. ſi patris. C. de inter. mat. int. pup. & tut.
b l. non ſolùm. §. ſed & ſi filiusfamiliàs. de ritu nupt.
c Vel tutor. l. libertum. ij. in fi. eodem. l. curatorem. C. de interd. matr.
d l. ſi tutor. C. eodem. & dicta l. non ſolùm. in principio de ritu nuptiar.
e Dicta l. non ſolùm. §. & ſi quis curator. Vnde colliges cõtextum Græcum ita legendum, καὶ ὁ κουράτωρ τῆς θυγατρὸς καὶ τῆς οὐσίας, ὑπόκειται κωλύσει.
f l. adoptiuus. in principio ff. eod.
g l. Claudius. de iis quibus vt indignis. can. nullus. & can. illud. trigeſima prima quæſt. prima.
h Nouel. vt nulli iudi. §. adulteram verò. vnde authentica, ſed hodie. C. ad leg. Iuliam de adulter. ſumpta eſt.
i l. conſenſu. §. hæc niſi. C. de repud.
k l. j. §. j. de concubin. l. caſtitati. C. ad legem Iul. de adult.
l Dicta l. Claudius. de iis quibus vt indignis.
m l. liberorum. §. j. de infam.
n Ead. l. §. vnde Pomponius. & §. non ſolent. Aduerte autem ab hoc autore, vt ſeq. notatur ſcholio, diſtingui ἐν τῷ πένθει, & ἐν τῷ πενθίμῳ χρόνῳ.
o Dicta l. liberorum. §. j. p Qui lugeri non ſoleant, notatur ead. l. §. non ſolent. q l. ſolet. eodem. r Hoc etiam ſcholium eſt, quo πένθος & πένθιμος χρόνος diſtinguuntur.

quàm ea pareret decesit, vetabantur ei nuptiæ, sed propter seminis confusionem. Honesti autem ac bene famati viri vxor, in qua luctus nomen dici solet, etsi enixa fuerit, tempus tamen legitimum[a] obseruare debet: quia hîc non ob solam sanguinis conturbationem, verùm & defuncti reuerentiam nuptiæ prohibentur.

Si ante finitum luctus tempus[b] mulier sub anni finem pariat, ita vt sine vlla dubitatione sit semen ex priori matrimonio esse, sancimus eam in totum ante nuptias donatione fraudari, & quod ad proprietatem & quod ad vsumfructum ei subiectum attinet. Qui virginem aut viduam aut etiam sponsam rapuerit[c], eam vxorem ducere ne ipsius quidem patre consentiente & crimen remittente potest. Imò verò vnà cum iis quorum opera & ministerio vsus erit, supplicio afficitur. Quòd si rapta fortè puella, ei matrimonio iungi voluerit, ei defuncto quanquam ex eo suscepit liberos, non succedit etiam ab illo instituta, aut testamento commemorata, (Sin sese huic non iunxerit, eius facultates & opes consequitur) sed nec ex paterna hæreditate commodi quicquam percipit. Verùm patris quidem bona alij hæredes occupant: raptoris, fisco inferuntur.

Cæterùm quæ de his sunt tenenda, latiùs tractata reperies in libro de pœnis[d], sub titulo de raptoribus.

DE INCESTIS AC NEFARIIS NVPTIIS.

Nefariae[e] nuptiæ sunt quæ inter ascendentes & descendentes contrahuntur. At in prohibitarum numero eæ sunt quæ ex transuerso[f] & ex affinitate contrahuntur.

POENA INCESTARVM NEFARIARVMQVE NVPTIARVM.

Qui nefandas[g] incestásve contraxit nuptias, dignitate spoliatur, proscribitur ac relegatur, & insuper si abiectus est atque obscurus homo, corpore verberatur. In nefariis nuptiis & omnia viri bona, & quæ huic dotis nomine data sunt, à fisco auferuntur. Ac si ex priori legitimo connubio liberos habet, his dantur: sin minùs, confiscantur. Ex vetitis nuptiis suscepti liberi[h] ne naturalium quidem appellatione digni sunt, neque vlla in re patri succedunt. Prohibentur apertè hæ quoque nuptiæ. Adulterij[i] reus factus etsi non planè conuictus haud tamen potest eam vxorem ducere cuius causa est accusatus, vt ne superiorem accusationem confirmet. Neque libertus patroni sui vxorem[k], vt ne ipse quoque de se suspicionem afferat quòd eam adulterârit. Nec tutor[l] pupillam ante absolutum tutelæ munus. Nec qui palàm ludicram artem facit, eiúsve filius, vxorem aut filiam senatorij viri. Nam & in his est quid deceat spectandum. Atque hæc quidem ex legibus collecta, compendio tradita sunt, quæ & ita obseruantur.

NOVELLA.

Cæterùm septimus gradus[m] in consanguineis iure quidem ad contrahenda matrimonia prohibitus est. verùm à patriarcha Cæsare Alexio & concilio tum habito ita est prohibitus si nondum proces-

a *l.j.C.de sec.nupt.*

b *No. de restit. & ea quæ par.in vndecimo men.§.vlti.vnde authen. Eisdem pœnis.C. de secund. nupt.sumpta est.*

c *l.vni.C.de rap.vir. & No.de rap.mul.*

d *C.lib.ix.tit. de rap. virg.*

e *l.nuptiæ consistere. cum tribus legibus sequentibus. l. vlti. de ritu nupt.§. ergò non omnes. Instit. de nupt.*

f *Hæ incestæ propriè dicuntur.glo. not.in Nouel.de incest.& nef.nup.§.j.ad verbum, illicitas. Facit cano. de incestis. xxxv.q.ij.& iij.*

g *No. de incest.nupt. §.j.vnde auth.incestas nuptias. C. de incest.nupt.sumpta est l.incestæ nuptiæ. ff. de ritu nupt.§.si aduersus. Institut. de nupt.*

h *No.quib. mod.nat. effic.sui.§.vlt.vnde auth.ex complexu. C.de incest.nup.deprompta est.*

i *Facit d.l.claudius. de iis qui. vt indig.*

k *l.quanquam.§.j.de ritu nupt.*

l *l. qui pupillam. ad leg.Iul.de adult.*

m *can. de affinitate. xxxv.q.ij & iij.*

sissent & peractæ essent nuptiæ. Si verò iam peractæ sint, non distrahuntur quidem qui ita sunt copulati, sed ei tamen pœnæ subiacent, quæ hac concilij sanctione est irrogata. Postea verò in totum prohibitus est septimus ille gradus ex monumento synodi sub sanctissimo patriarcha Cæsare Luca habitæ, quæ & mandato principis Cæsaris Manuelis Comneni confirmata est. Porrò illud sciendum, sponsalia nuptiis inferiora esse, atque ideò nec tam exquisitam in connubialibus contractibus horum haberi rationem, quàm perfectarum nuptiarum. Quin & in gradu inferiori connubialis initur cōtractus, si in affinitate contrahenda sponsalia duntaxat antecesserint.

ET HAEC DE PROHIBITIS NVPTIIS.

QVID INTER INCESTAS, DAMNATAS & nefarias nuptias intersit.

a *Vide glos. in No. de incest. nupt. §. j. ad verb. illicitas.*

Incestæ [a] quidem nuptiæ sunt quæ ex sanguine constant, vt cum fratris filia, amita materterâve, consobrina aut patrueli. Damnatæ, quæ vetitæ sunt, vt tutoris cum pupilla, liberti cum patrona. Nefariæ autem, quæ legibus aduersantur, vt cum monacha & Deo addicta virgine (ἀσυνήξιαν vocant) aut etiam cum rapta.

DE IIS QVI AD SECVNDAS NVPTIAS TRANSEVNT. TITVLVS VII.

b *l. j. & ij. de secundis nupt. C. Contrà iure Can. c. iiij. extrà de secund. nup.*

c *l. consensu. §. hæc nisi. C. de repud.*

d *Nouel. vt fratr. fil. §. vlti.*

e *Nouel. de nupt. §. si verò altera.*



DEBET Quæque mulier per annum [b] virum suum lugere, neque ante annum expletum cuiquam nubere. Quòd si & ipsa mulier soluendi matrimonij causas præbuerit, præterquam in duobus casibus, alteri ante completum quinquennium [c] nubere nō poterit. Duo autem casus hi sunt, cum adulterij rea fuerit, aut absque vlla causa viro repudium miserit. Tum enim in monasterium detruditur. Cæterùm causa illa ex eo quòd sine ratione missum sit repudium communis [d] est, vt quæ in viro etiam locum habeat. Ac si vir quidem [e] iusta ex causa cum vxore diuortium fecerit, etiam per totum quinquennium vetitum est mulieri, ne ad secundas nuptias accedat. Sin minùs, haud tamen culpa vacabunt, neque legitimæ habebuntur eiusmodi nuptiæ. Si verò vxor à viro temere & absque ratione diuerterit, nequaquam ei priùs secundas licet contrahere nuptias, quàm effluxerit annus, idque propter seminis turbationem. Viro autem vel statim matrimonium contrahere licet, quòd nulla inde seminis nascitura sit confusio.

DE ALENDIS LIBERIS.

f *Nouel. vt lic. matri & auiæ. §. illud quoque. vnde authen. si patris. C. Diuortio fac. apud quem lib. mor. vel educ. deb. est excerpta.*

MATER volens ac propensa, suos alat liberos, ita tamen vt secūdas nuptias non contrahat.

* *Scholium.*

Id quod intellige, si morte solutum sit matrimonium. Nam si repudio, tum sanè apud eum [f] qui soluendi connubij causam exhibuit manent, eiúsque sumptibus aluntur liberi, iuxta cxvij Nouellam.

Si vir

Si vir peregre agens [a] decesserit, effluxerítque luctui destinatum tempus, & eius obitum vxor vel nouissimo anni die rescierit, potest eodem die & luctum deponere, & nubere. Vir vxorem lugere non compellitur, neque sponsa [b] sponsum. Potest à principe impetrare mulier [c], vt intra tempus luctus nubat. Et ea quæ nondum à viro cognita est, sed adhuc est virgo, virum lugere [d] debet.

** Scholium.*

Quod intellige, vbi matrimonium mulier contraxerit, non sponsalia tantùm.

Mulier quæ liberorum tanquam impuberum tutelam gesit [e], si secundas aggrediatur nuptias, antè quàm filiis tutorem petierit, rationibúsque redditis quicquid ex superiori tempore debet persoluerit, & sua & eius cui nupsit bona, filiis hypothecæ nomine obligat, nec impuberi filio substituitur, etiamsi hoc pater testamento cauerit: insupérque iis pœnis subiacet, quibus ea quæ intra legitimum luctuíque præfinitum tẽpus nupsit. Minor vigintiquinque annis [f] etiam emancipata secundò nuptura, patris adhibito consensu nubat. Sin pater obierit, propinquorum consilio. Quæ verò iustam impleuit ætatem, non iam ad secundas nuptias contrahendas patris indiget autoritate. Sed si à propinquis dissentit, præses diiudicet, vtra potior sit sententia, vt scilicet cum pares sint & genere & moribus ambo sponsi, & qui propinquis videtur, & quem sibi mulier deligit, præponatur mulieris hac in re iudicium.

DE DONATIONE ANTE NVPTIAS.

VBI semel mater ad secundas nuptias [g] transierit, protinus donationis ante nuptias proprietas lucro cedat omnium liberorum: nec omnino matri facultas sit aliorum quidem ex liberis deligendorum, aliorum verò prætereundorum ac donationis honore priuandorum, propterea quòd simul & ex æquo omnes, secundas nuptias contrahens, iniuria affecit. Itaque & in præsenti ac proposita specie, vniuersa donationis ante nuptias proprietas ad filiã spectabit, vsusfructus matri quoad erit superstes reseruabitur. Ac si mater quidem antè obierit, tota ante nuptias donatio filię cedet. Sin filia, matri quidem id lucri relinquetur quod sese percepturã pacta fuerat, si nulli susciperentur liberi. Quod reliquum est habebit filia, ac moriens ad suos hæredes qui lege scilicet vocantur, transmittet. Si enim non filio fortè, sed externo cuipiam mater secundarum adhuc expers nuptiarum, partem aliquam donationis ante nuptias, aut ex ea res aliquas, aut etiam totam eam donârit, aut alia qua ratione abalienârit, ac postea cum secundo viro nuptias contraxerit, constat superueniẽte altero matrimonio subuersum iri eiusmodi alienationem: atque id quidem non quoquomodo, sed ita vt in suspenso hæreat alienationis & rescindendæ eius ratio Nam si superstites relicti fuerint liberi, planè rescindetur quod actum fuerit, vt pote cum lex dominium donationis ante nuptias in liberos transfundat, nihílque curet mulierem, si quid illa in fraudem ac detrimentum liberorum fecerit.

Sin pr

a *l. genero. §. sed cum de iis qui infa. not. De hac tota re vide & Nouel. vt lic. matri & auiæ. §. quod autem à nobis. & cap. in præsentia. extrà de spõsa. & mat. & c. ij. extrà de sec. nup*

b *Obserua id quod in l. vxores. de infa. dicitur, sponsi nullum esse luctum: ita ab hoc autore intelligi, vt sponsa sponsum non lugeat. Alij contrarium ex loco illo sensum colligunt. Tum verò esset Græcus contextus emendandus.*

c *l. solet. eodem.*

d *l. denique. de ritu nuptiarum.*

e *Nouel. de nupt. §. si autem tutelã. vnde authen. eisdem pœnis. versi. item. C. de secund. nup. deprompta est.*

f *l. viduæ. C. de nupt.*

g *Nouel. de non elig. sec. nub. mul. §. j. & ij. fac. l. iij. C. de sec. nuptiis.*

Sin priùs vniuersa matris proles perierit, ratus ac stabilis permanebit contractus, non quidem in solidum, sed pro pacto non susceptæ prolis. Itaque quadantenus ratus habebitur, quadantenus verò irritus iudicabitur. Nempe eius habita ratione, quòd matri occasione pacti non procreatorum liberorum relinquitur, validus erit: eius verò quod ad filij successores transmittitur, infirmus. Nam & si mater sola filio succedere comperiatur, rursus omni ex parte valebit, & pleni roboris erit contractus.

Nuptialia lucra [a], etiam qui à parentibus hæredes scripti non sunt liberi percipiunto. Siquidem lex, priuatorum voluntate potentior est. Vnde si quid lucri cuiquam lege conceditur, id nullo pacto potest interuertere priuatus [b].

Porrò pars illa quam in lucris nuptialibus ex non procreata sobole [c] percipi diximus, huiusmodi est. Conuenerat vt si absque liberis vir decederet, semis ante nuptias donationis, lucro vxoris cederet. Deprehensum verò est nuptialia lucra ad æstimationem mille nummûm redire. Itaque cum quini sint liberi, singuli ducentos pro legitima portione consecuturi erant. Verùm ex pacto si proles non susciperetur interposito, centum cuique horum nummi obuenient. Iam enim illud statuimus, conuenisse vt mater non sublatis liberis dimidium lucraretur. Eademq; ratio est, si trientem duntaxat, aut quadrantem, aut aliud quippiam ab ea percipiẽdum conuenerit. Similiter autem & hæc intellige fieri, vbi vir ex dote vxoria sese quippiam non suscepta prole consecuturum pactus fuerit.

Quæ dotem non attulit [d], non potest res sibi nomine donationis ante nuptias donatas vendicare, sicut nec vir qui propter nuptias donationem non contulit, quicquam ex bonis vxoris capit, nisi vxor ei donare quid aut testamento relinquere voluerit. Sancimus cæteras res [e] à donatione ante nuptias, quæ ad liberos redeunt, si quidem mas filius aut fœmina fortè testamẽtum fecerit, ex lege, scriptis hæredibus obtingere: vbi sanè nec prohibetur mater quominùs à filio hæres scribatur, cum & iura cætera quæ ipsi in testamentis tribui solent, vt si fortè eam præterierit, aut etiam ab re exhæredârit filius, tum quoque salua ei ac integra permaneant. Sin verò decesserit intestatus, eius portio, si quidem habet liberos, ad hos eosdem pertineat. Sin nullos habet, & fratres ad successionem vocantur, mater [f] vnà cum defuncti fratribus in hæreditate succedat, & in ea ius suum planè ac validè obtineat siue secundas inierit, siue non inierit, nuptias. Cæterùm ante nuptias donatione [g], si secundum matrimonium contraxerit, ne quatenus quidem filio hæres est, potiatur, sed hoc liberorum peculiare sit lucrum, vt quod solis ipsis à lege sit concessum, nec pars esse hæreditatis filij videatur, imò verò etiamnum donationis ante nuptias naturam sapiat ac referat. Vt mater donationis ante nuptias vsumfructum habet, & vnius filij portionem quod ad proprietatem [h] attinet, si post viri obitum non secundò nupserit, sic & pater, vxore defuncta, ex donatione ante nuptias consequetur quod residuum est, si mortis casu id acceperit. Nec solùm in patre ac matre, si supersint, hæc obtinebunt, sed & si auus aut auia superstites sint, vtpote cum eorum liberi suscepta prole decesserint.

Et

a *Nouel. de nup. §. & super his quoque lucris. vnde Authen. hæc res. C. de secund. nup. sumpta est.*

b *l. ius publicum. de pact. l. nemo potest. de legat. j. & §. sed hæc quidem. in fin. No. de nup.*

c *Schol. esse videtur ad ea explananda, quæ suprà de pacto non susceptæ prolis dicta sunt. Atque huc fac. l. lege. C. de pact. conu. Nou. de æqual. dot. §. j. vnde Auth. æqualitas. C. d. titu. est desumpta.*

d *Nouel. de non elig. sec. nub. mul. §. vlti. vnde Authent. sed quæ nihil. C. de pac. conuen. sumpta est.*

e *Ad verbum ex d. Nou. §. cum igitur reliquum.*

f *l. vlt. C. ad Tertul.*

g *Ea. Nou. §. ante nuptiali verò donatione.*

h *Nou. vt fratr. fil. §. pe. Vnde Authent. si tamen. C. de secũ. nup. sumpta est.*

Et mortuis auo aut auia, parte quæ superest ex mortis casibus accepta, eius quidem vsumfructum sibi retinebit, proprietatem nepotibus reseruabit, vt erat facturus si liberos sustulisset. Retinebit insuper & proprietatem partis vnius ex liberis, si nuptiis abstineat. At verò nec filiis extantibus, nec nepotibus, omnia consequetur quæ ex mortis casibus sibi obueniunt.

DE HAEREDITATE.

QVAE secundò nupsit mater [a], vbi filius intestatus & prole non suscepta decessit, si quid ad eum aut ex donatione ante nuptias, aut ex paternis bonis peruenerit, huius ipsa ab intestato solum habet vsumfructum, proprietate illius fratribus aut sororibus reseruata. Quæ verò is aliunde quæsiit, his & quod ad proprietatem spectat, succedit. Porrò ex testamento, si quid fortè ei à filio relictum fuerit, proprietatem etiam consequitur. Mater alimenta [b] quæ filiis præstiterit, repetere non potest. At si quid in eorum res vtiliter impendit, id potest negotiorum gestorum actione consequi. Iubet constitutio [c] debere patres, etsi ad secundas migrârint nuptias, maternorum bonorum citra vllam controuersiam vsumfructum habere, neque vllam omnino à filiis aut ab aliis quibuscunque eorum impulsu ac nomine, impudentem vocem aut accusationem aduersum patres iactari posse.

a *Nouel. de nupt. §. hinc nos. Vnde Authent. ex testamento. C. de sec. nupt. est petita.*

b *l. Nesennius. de nego. gest. l. alimenta. & l. si paterno. C. eo.*

c *l. vlt. C. de bo. mat.*

SCHOL.

Sciendum hoc tum demum habere locum, cum in potestate sunt filij. Quandoquidem si emancipati sint, vnam duntaxat partem [d] propriorum filiorum pater ex maternis bonis, quod ad vsumfructum pertinet, accipit quoad vixerit, proprietatem post mortem suam ad filios transmittens, quemadmodum latiùs in titulo de hæredibus tractatum est, vbi dicitur: Habebat quis vxorem ac liberos, & quæ deinceps subsequuntur.

d *Ex l. si viua. C. eod.*

Quòd si qui prioribus nuptiis [e] haud contenti, etiam ad secundas transierint, si quidem ex priori matrimonio nullos habeant liberos, secundas nuptias non anxiè exquisitéve nimis insectabimur. Sed viri quidem omni prorsus obseruatione liberi ac immunes discedant. Mulieribus is tantùm metus impendeat, vt ne ante expletum annum nuptias iterent. Alioqui sciant sibi si quid eiusmodi admiserint, intempestiuásque & velut præcoces nuptias contraxerint, irrogatum iri pœnas, alias quidem si ex priori coniugio nulli extent liberi, sed longè maiores, si extent. Nanque si nulla ex superiori matrimonio superest soboles, infamia protinus consequetur, atque omnino mulieri, quòd nuptias tanto studio accelerârit, grauissima inuretur infamiæ nota, nec quicquam eorum percipiet, quæ sibi coniugio priori sint relicta, neque donatione ante nuptias fruetur, nec secundo viro amplius tertia facultatum suarũ parte dare poterit. Sed nec externam sentiet benignitatem aut munificentiam, vt quæ nihil planè sit à quoquam externo consequutura, non hæreditatem, non legatum, non etiam mortis causa donatũ. Verùm hæc redibunt vel ad defuncti, si qui sint, hæredes, vel ipsius mulieris cohæredes, si modo

e *Hæc omnia petita sunt, ad verbũ propemodum ex Nou. de nupt. §. primæ siquidẽ nuptiæ. Huc fac. l. j. C. de sec. nup.*

hæres esse poterat, ita vt nihil prorsus inde referat emolumenti. Sed & si alij fortè hæredes extiterint scripti, aut si qui etiam ab intestato vocentur, ad hos peruenient quæ ei mulieri relicta fuerant. Nequaquam enim sibi ea fiscus vendicet, ne fortè hæc emendantes, fisci commodis videamur cōsulere. Atque hoc sanè modo, quæ ab externis eiusmodi mulieri fuerint relicta, aliis cedant. Quæ autem à priore viro, peruenient, ei erepta, ad decem [a] illas personas quæ ex cognatione sunt viri à quo hæc relicta sunt, hoc est ad ascendentes, descendentes, & eos qui ex transuerso sunt ad secundum vsque gradum, gradibus in sua serie seruatis. Quibus non extantibus, ad fiscum deuoluentur. Sed nec vlteriùs hæreditas ab intestato ad proprios eius cognatos perueniet, sed intra tertium vndiquaque spectandum gradum eius successio consistet. Qui verò vltrà sunt, alios habebunt hæredes. Sin ei proles extat, potest quidem pro abstergenda infamia, principis opem implorare, non tamen ex eius rescripto quicquam commodi percipiet. At si ex eo velit opem aliquam & emolumentum consequi, atque adeò cæteras pœnas subterfugere, liberis ex priori susceptis matrimonio semissem bonorum suorum purè & absque vlla conditione, ne vsufructu quidem sibi reseruato, donet, sed bonorum quidem omnium quæ habebat quo tempore secundas iniit nuptias, semissem, vt diximus, antè progenitis liberis cedat. Atque hæc liberi omnes inter sese ex æquo dispertientur: & si qui horum, liberos habeant, ad eos transmittent ac transfundent. Sin liberorum expertes sint, defuncti defunctorúmve portiones, omnino huius horúmve fratres pro rata consequentur. Sin omnes ante matrem obierint, hoc esto matri calamitatis suæ solatium, vt hæc recipiat. Quod quidem intelligimus, si intestati decesserint liberi. Neq; enim eos simus prohibituri, quò minùs de rebus iam à se partis testentur, & pro arbitratu suo statuant. Quòd si etiam legitimo nubendi tempore expectato [b] mulier præscriptas pœnas effugerit, sed tamen prioribus nuptiis neglectis ad secundas aggressa fuerit, si quidem non habet liberos (dicatur enim & hoc iterū) nihil inde discriminis aut damni subeat. Sin prolem habet, & lex inde liberos viderit negligi & contumelia affici, tum sanè lex mulierem omnibus iis, quod ad proprietatem attinet, spoliat, quæ à viro liberalitatis nomine acceperat, & solum eorum vsumfructum ipsi relinquit. Sintque hæc in donatione quoque ante nuptias constituta, & in omni donatione, atque in omnibus denique aliis liberaliter à viro in eam collatis, siue cum is etiamnum viueret, siue ex testamento, siue mortis causa donatione, ac siue institutionis pars sit quæpiam, siue legatum. Quæ omnia quoquo modo quæsita, liberi ipsi proprietatis iure accipiet, simul ac illa sese alteri viro coniunxerit. Et hæc viro vxoríque communis esto irrogata mulcta, illi quidem in dote, illi verò in donatione ante nuptias. Porrò neque alienationem [c] vllam parentibus lex in rebus eiuscemodi permittit, neque hypothecam. Sed & si quid tale

fecer

a Quas enumeratas habes, Inst. de bon. poss. §. sunt autē bonorum possessiones. versic. tertio.

b §. si verò expectet. d. Nou.

§. sed quod sancitū est. ead. Nouel.

fecerint, protinus bona sua filiis hypothecæ nomine obligant, non quòd his impedimento sint, ne in eiusmodi rebus quod libuerit faciant(Erubescit siquidem lex filios parentibus castigatores statuere) verùm illos quidem pudore suffundit, iis autem qui à parentibus accipiunt, interminatur, nihil eis quod acceperint profuturum. Iam enim ex hac lege nostra sciant, si quid ab eiusmodi parentibus comparârint, vel dono vel ex quauis alia causa acceperint, perinde id fore, ac si aut scriptum aut actum nunquam fuisset. Repetentur enim & ab eorum qui acceperunt liberis, & horum hæredibus, & successoribus quibusuis. Omnino siquidem ea filij vendicabunt, hæredésque ipsorum ac successores, ab illorum hæredibus & successoribus, haud quaquam aliter summouendi, nisi prætercurrerit tricennium, & diuturna possesio dominos eos qui acceperunt effecerit. Incipiet autem liberis tempus labi, cum primum sui iuris aut maiores esse coeperint, nisi & fortè cui pupillaris ætas adhuc opem fert. Peruenient [a] autem eiusmodi lucra, ad omnes prioris coniugij liberos. Neque enim parentibus potestatem habendi hac in re delectus, qui aduersus eos non rectè introductus fuerat, facimus, vt hunc quidem ex liberis ornet, illum fraudet. Nam & ex æquo omnes secundis nuptiis offensi sunt, ac iniuria affecti. Si solum rerum vsumfructum [b] aut vir vxori, aut vxor viro, voluntate nouissima dederit, permanere hunc apud alterutrum etiam secundis nuptiis contractis volumus, quandiu superstes est, nisi expresim qui hunc donauit aut reliquit, siue vir est, siue fœmina, illud cauerit, velle se, si ad secundum transiret coniugium is cui relictus est vsus fructus, hunc extingui, & in suam redire proprietatem.

DE ADVLTERA.

QVAE intra annum lugubrem [c] admisso adulterio etiam grauida facta est, priuatur & ipsa donatione ante nuptias, quæ ad eos redeat, qui eius viro genere proximi sunt. Lex dum secundò nubentes prohibet omni viri liberalitate frui, non item eas prohibuit quæ sese stupris macularent [d]. Quæ secundò nupsit, hypoboli quidem hoc est donationis ante nuptias proprietate [e] excidit, si liberos habeat, theoretri [f] non item. Si ante luctui præfinitum tempus [g] pepererit mulier sub anni finem, ita vt dubitatione omni & controuersia careat partum editum ex superiori non esse coniugio, sancimus vt omnino donatione ante nuptias spolietur, & quod ad proprietatem & quod ad ei subiectum vsumfructum attinet.

DE TERTIIS NVPTIIS.

DE tertiis nuptiis pulchrè conscripta est synodica decisio principibus Constãtino Porphyrogenneta & socero eius Romano, firmata ac munita eiusdem principis solita subscriptione, has alicubi esse permittendas, alicubi verò haud tolerandas. Iis quidem qui vbi ad quadragesimum annum peruenerint, iam secundo contracto

a *§. venient antẽ. ead. Nou. & Nouel. de non elig. secun. nub. mul. §. prospexim⁹.*

b *Nou. de nup. §. si verò solum vsumfructum. vnde petita est Authen. hoc locum. qua abrogatur Valentin. Imp. l. j. C. si sec. nup. mu. cui mar. vsumf. rel.*

c Nou. de resti. & *ea quæ pa. xj men. §. vnum siquidem.*

d *Intellige post annũ lugubrem, ne superiori aduersetur.*

e *Vt antea dictũ est. ex §. si verò expectet. Nou. de nup.*

f Θεώρητρα *quæ &* ἀνακαλυπτήρια *munera sunt quæ sponsus & sponsæ amici inuicem contribuunt cum primũ illa se retectã, visendam præbet, de quibus infra tit. de hypobolo, eiúsq; dominio.*

g *Et suprà dictũ est ex* Nou. de resti. & *ea quæ pa. xj men. §. vlt.*

matrimonio nullos susceperint liberos, licere, & tertias, in eius rei solatium quòd prole careant, nuptias aggredi. Quin & iis qui tricesimum attigerint, etsi liberos habeant, idem propter ætatis infirmitatem licere: verùm tam his quàm illis cum ecclesiasticis pœnis [a]. Iis verò qui quadraginta annos [b] excesserint, nulla ratione tertias nuptias permittendas. Fuerat quidem à veteribus lata lex, & à piissimo principe Iustiniano confirmata, qua coniugia etiam ad quartas vsque nuptias protrahebantur. Forsan enim id ille coniectabat, plerisque, vt vero simile est, illud vsu venire posse, vt coniugem immatura morte præreptum amittant, aut etiam iuuenili [c] ardore stimulati, naturæ propensioni & immodico affectui reluctari nequeant: vnde sanè contingat hos castis quidem abstinere nuptiis, verùm sese vetitis parúmque pudicis dedere congressibus. Ac profectò nos quoque oportuerat vtpote eiusdem naturæ ac imbecillitatis participes, hac in re priscis legibus acquiescere. Sed obstare nobis Diuinam legem [d] perspicimus. Quapropter dissolutos amores ac libidinum pruritus sedare cupiens nostra serenitas, vsque adeò interdicit, ne quis ad quartum perueniat connubium, vt eos etiam ipsos qui tertium ineunt ecclesiasticis subdat canonibus. Itaque eadem in tertio coniugio locum habeant iura, quæ & in secundo. Quare palàm illud omnibus esto, si quis ad quartas aggredi nuptias vel potiùs non nuptias, ausus fuerit, non solùm pro nullis habēdas, has quæ nuptię creduntur, nec ex his procreatos liberos legitimos habitum iri, verùm & easdem huic pœnas irrogatum iri, quibus ij plectuntur qui sese meretriciis sordibus inquinârint, disiungendis interim à se inuicem eiusmodi personis.

a De quib. in c. de his. & seq. xxxj. q. j.

b Contrà l. sancimus. ij. C. de nup.

c Fac. quod dicit Iustin. §. nouimus. Nouel. quib. mod. natu. effic. legit. & §. sin autem non valuerit. Nou. de nō elig. sec. nub. mul.

d Sed contrà, c. quomodo. ca. aperiant. c. quod si dormierit. xxxj. q. j. fac. l. hac edictali. C. de secun. nuptiis.

DE CONCVBINA.

QVANDO autem apud veteres liberum fuisse comperimus concubinæ consortium, quisquis secum hanc habere vellet, ne hanc quidem constitutionem silentio præterire visum est, vt ne parum decoris coniugiis nostra contaminetur respublica. Iubemus ergò, iam inde nemini concubinam liceat domi habere. Id enim aut parum aut nihil à scortatione differre censemus. Sed si fortè cum ea consuetudinem habere volet, connubialem cum ea contractum [e] ex legum præscripto ineat. Sin eam indignam iudicat, quæ legitima sibi vxor appelletur, ne cum ea omnino consuescat, sed ea repulsa, quam sibi vsui fore iudicârit, sumat. Quòd si castè mauult viuere, hoc certè nobis optatissimum. Qui mulierem, vxoris loco interposito iureiurando duxerit [f], dote non subsecuta, si eam absque causa expulerit, suorum ei bonorum quadrantem dato, vt qui repudij causam præbeat. Quo sanè modo & decedens eundem ipsi quadrantem relinquere compellitur, præter id quod legitimos habet ex ea susceptos liberos.

Hoc intellige, si tres [g] tantùm habeat filios vir, siue ex ipsa siue ex alia quapiam muliere.

e Nou. quib. mo. nat. fil. effic. legit. §. pen. fac. l. in concubinatu. de concub. Cōtrà iur. can. c. j. in fi. iij. q. v. iunct. glo.


f Ead. Nou. §. penul.

g Declaratur hoc Scho. ex iis quæ. no. in Nou. vt lic. mat. & auiæ. §. quia verò legem dudum posuimus. fac. huc & §. consideremus. Nouel. de tri. & semis.

DE

DE IVRE DOTIS.

TITVLVS VIII.



ÆSTIMATA Dos viro periclitatur[a],& siue animalia in dotem data perierint,siue mulier vestem attriuerit,nihilominùs horum ęstimationem maritus præstat. Non æstimatæ verò tam augmentum quàm imminutio mulierem respicit. Ac ipsa quidem seruorum sobolem consequitur,vir autem fructus ac dotalium pecorum fœtus: sic tamen vt priùs proprietatem ac primigenia suppleat,& in locum demortuorum capitum ex adnatis alia summittat. Porrò si qua ante nuptias ex numero rerum æstimatarum deperierint, damnum est mulieris.

a l.æstimatæ.so.mat. l.plerũque. & l.res in dotem. de iur.do. l.cum dotem.C.eod.

SCHOL.

Accessionem hoc loco ac diminutionem dotis eam intelligit,quæ naturaliter fit, verbi gratia, si quid prædiis accesserit,vt in fluminibus vel insulis: aut si accreuerint arbores,aut alia eius generis fortuita contigerint. Nam quæ vir in res non æstimatas,vt pretiosiores fierent,impenderit [b], haud dubiè recuperat.Si itaque vir ædes aut suburbanum prædium in dotem acceperit, si quidem hæc æstimata accepit,velut pretij debitor [c] efficitur.Et siue hæc meliora effecit,ad eius compendium attinet,siue deteriora,eius est periculo,semperq; pretium tenetur restituere. Quòd si ex pacto prædium acceperit,fortè librarũ trium, deinde conueniatur ad dotis restitutionem, hoc ipsum prædium quod tribus valebat libris, non item pretium reddere compellitur. Dictum enim est non eum hoc æstimatum, sed ex pacto in dotem accepisse. Ac si quid,prædium imminuit, de damno dato tenetur. Si non imminuit,sed auxit potiùs & pretiosius effecit,potest sumptus in eam rem ornandam & colendam factos (βελτιώσεις Græci vocant) aut in dotem imputare,aut recipere,dum ne solum ipsum deterius fecerit. Sin autem non imminuit quidem, sed in pristino statu rem seruauit,illud ipsum restituit, non ad trium librarum summam præstandam adstringitur. Nam si sponte sua ac velut data opera [d] agrum vastauit, aut deteriorem reddidit,eo certè nomine tenetur.

b l. quod dicitur. & tot.tit.de impen. in reb.dot.fac.
c l.quoties. C. de iure dotium.
d In rebus dotalibus & dolum & culpam & diligentiã vir præstat.l.in rebus.ff.eod.

DE DATIS IN DOTEM ANIMALIBVS AC POSTEA PERDITIS.

SI quidem æstimata fuerint animalia,& in dotis summam ac quantitatem redacta, teneri dicunt virum, aut vt ipsa præstet ac restituat animantia,aut certè eorum pretium.Quòd si ęstimata non fuerint,sed citra æstimationem vllam data,id solùm in eis vir præstabit, ne culpam aut dolum [e] in ipsis admittat. Si quid verò aliud acciderit, vir non tenetur.

Nuptiis non secutis, non rerum datarum æstimatarum pretium [f], sed res ipsas mulier recipit. Vir æstimata dote accepta, æstimationem ipsam in dote, non res habere creditur. Vnde & soluto matrimonio potest non res ipsas, sed earum æstimationem [g] reddere. Etiam constante matrimonio conueniri potest [h], vt æstimata dos inæstimata fiat,ac mulieris periculo sit. Si tamen agros deteriores fecerit, vir eo nomine, dotis actione tenetur. Possunt dotalia instrumenta constante etiamnum matrimonio immutari [i], si hoc puellæ pater testamento iusserit.Atque adeò augeri potest & immi-

e d.l.in rebus.
f d.l.in reb us.sub fin. Si nihil de electione adiectum fuerit.
g d.l.plerunque.§.vl. & d.l.quoties.C
h l. ita constante. de iur. dot.l.si mulier. & l. cum maritus. in princ.de pac.dot.
i l. si constante. C.de donat.ante nup.

nui [a] dos constante matrimonio. Vir non mulier, dotem repetit à quocunque promissore [b], constante matrimonio. Vir dotem accipiens, fideiussores [c] exhibere non cogitur. Nunquam enim pro muliebri dote fideiussor datur, nisi antè quàm sponsalia cõtraherentur, id conuenerit. Personis concessa priuilegia simul cum personis ipsis [d] extinguuntur. Quę verò causæ adsunt, ad omnes trãseunt.

SCHOL.

Præsens scholium, quod centesimo quadragesimo quarto [e] capiti, cuius ea sunt verba quæ posuimus, adscribendum fuerit, huc etiam à nobis adscitum est, exempli causà. Priuilegium lex marito concessit, si quando ex parte vxoris suæ, vt acceptam dotem restituat, conueniatur, nimirum vt in id quod facere potest [f] condemnetur. Quid verò sit condemnari quempiam in id quod facere possit, multis ex locis [g] cognouisti. Hoc ergò priuilegium post mortem viri alius habere non potest eius hæres, nisi eius est filius [h]. Cum autem viri defuncti hæres, non eius est filius, sed externus [i] quispiam, tum is non in id quod facere potest damnabitur, sed in vniuersam dotis summam. Hoc etenim priuilegium atque hæc legis indulgentia soli viro & hęredibus eius filiis concedi solet, non etiam externis ipsius viri hęredibus. Sunt & alia quædam priuilegia, quæ res ipsas quibus impacta & infixa sunt consequuntur semper ac comitantur. Si enim fundus meus ex vicino puteo aut etiam alterius agri aquam per triennium [k] hauserit, te id cum videas tolerante, atq; ita sibi ius haustus [l] quęsierit, non iam illud amittit, etiamsi in varia transierit dominia, subinde emptus ac venditus. Semel enim sibi infixum atque impressum ius semper in se habet, ac in suos transfundit possessores. Non enim personale est, vt viri cuius modò meminimus, priuilegium, quod deficiente persona simul quoque ipsum pereat. In fauorẽ enim & reuerentiam [m] viri illud à lege concessum est. At hauriendæ aquæ ius ipsi agro quæsitum perpetuò agro ipsi inhæret, & nunquam non comitatur, & ad quosuis possessores diffunditur.

Dote promissa, etiam ex nudis verbis aut conuentione quis obligatur [n]. Ex nuda promissione [o] pater dotem debet. Dotem numeratio [p], non scriptura dotalis instrumenti facit. Si quis dote accepta, plura [q] tanquam sibi data in dotali conscripserit instrumento, si quidem id præter dotantis voluntatem factum est, nullum ei affert præiudicium. Sin eo volente, placuit & de rebus aliis quæ do tis nomine darentur conuentionem interponi, maximè cùm ex nuda promissione dotes peti possint, potest & hæc petere.

MIRA VIDETVR HAEC LEX.

GENER qui in connubialibus tabulis præter dotantis [r] consensum plura perscripsit quàm data fuerint, etiã ea repetit. Etiã absque scriptura dos dari [s] potest. Quòd si interpositis instrumentis data fuerit, atque hæc amissa fuerint, nihilo minùs dos repetitur, si omnino datam esse aliter ostendi potést. Ab externo [t] dos promissa, mulieris est periculo. Quòd si vsuras vir exegerit, iam postea periculum ipsius respicit. Si externus [v] dote promissa facultatibus defectus fuerit, mariti quòd eum non conuenerit periculum est: nisi fortè donandi animo promisit. Tunc enim viro parcimus, qui

a *Contrà patri non licere deteriorem filiæ causam facere monet l. post nuptias de iur. dot. Et iure nouißimo. §. aliud. & §. quia verò iam legem. Nou. de æqualit. do. vnde Authẽ. nunc inhibetur. C. de don. ante nupt. sumpta est, prohibetur dotis diminutio.*

b *Vel patre vel externo. l. si extraneꝰ. de iur. dot. l. v. C. de dot. pro.*

c *C. ne fid. vel mand. dot. den. & ibi Accursius.*

d *l. in omnibus causis. l. Neratius. & l. priuilegia. de regul. iuris. l. j. §. penult. de aqua quot. & æsti.*

e *Quod & infrà lib. vj ponitur titul. de variis regulis.*

f *l. maritum. sol. ma.*

g *Diximus & j. libro ex l. in condemnatione. de reg. iur.*

h *l. etiam. solu. matr.*

i *d l. maritum. cum l. sequent.*

k *At l. j. & ij. C. de seruit. & aq. seruitutes non nisi longo tempore exẽplo rerum immobilium parantur.*

l *Quod prædij est, l. j. §. pe. de serui. rustic. præd.*

m *l. alia. in fi. sol. mat.*

n *Cessante etiam autoritate Velleiani, hac in causa. l. vlti. C. ad Velleian.*

o *l. ad exactionem. C. de do. promiss.*

p *l. j. C. de do. cau. non numer.* q *l. si voluntate. C. de dot. promiss.* r *Contrarium superiori. Quod fortè supinæ dotantis ignorantiæ adscribendum fuerit, quæ vel in eo qui factum ignoret ferenda non est. l. nec supina. de iur. & fac. ignor.* s *l. cum citra. C. de iure dot. l. in re. ff. de fid. instrumen.* t *l. cum dotem. de iur. dot.* v *l. si extraneus. de iure dotium.*

eum

cum non præcipitârit ad solutionem qui donaret. Siquidem & qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere possunt [a] condemnandi sunt. Si quis sese intra annum [b] dotem dare spoponderit, annus non ex die stipulationis factæ, sed nuptiarum numeratur. Si curator dotis, eius cuius curam gerebat adultæ nomine cẽtum nummos promiserit, & postea ære alieno emergente [c], tantas non esse patrimonij vires compertum fuerit, haud quaquam ei succurritur.

Generaliter sancimus [d], si quis maior vigintiquinque annis siue mas siue fœmina dotem spoponderit aut dederit pro quacunque muliere, cum qua legitimum contrahitur matrimonium, omnibus modis cogi hunc atque ad fidem implendam adigi, etsi necessitate forsan hoc fecit. Qui cum per errorem sese crederet mulieri obligatum [e], dotem pro ea spoponderit, subsequentibus nuptiis [f] potest ab eo dos exigi Minoribus, si dotem polliciti fuerint, subuenitur [g].

a l.inter eos. §.vlt. de re iudic.

b l.tali facta. de iure dotium.

c l.cum post mortem. de administr. tutor. Confer l. siue generalis. de iur. dot. & quæ eo loco notat Accur.

d l. generaliter. quæ & vlt. est. C. ad Velleianum.

e Fac. l. cum is. §. pen. de cond indeb.

f Nam si nuptiæ secutæ non fuerint, aliud est. l. stipulationem. de iur. dot.

g l. si ex causa. §. j. de iure dotium.

DE VSVRA.

QVI dotem spopondit, post biennium à contracto matrimonio vsuras [h] præstat ad tertiam vsque centesimæ partem. Si ex voluntate [i] filiæ meæ emancipatę res à me ipsi donatas, postea pro ea in dotem dedero, à filia videtur non à me dos data fuisse.

h l. vlt. §. vlt. C. de iure dotium.

i l. si res quas. ff. eodẽ.

DE DOTIS PRAEROGATIVA.

SI constante adhuc matrimonio, vir nummos à quopiam mutuos sumpserit ad ædeis emendas, atque hoc in emptionis instrumento conscripserit, ac postea soluto matrimonio dotem vxor repetat, creditori præfertur [k], atque adeò ædeis ipsas recuperat. Etsi enim emptionis instrumento illud continetur, comparata esse ex huius nummis prædia, huius tamen rei lex rationem nullam habet, propter virorum malitiam & mulierum priuilegium. Sin verò constante matrimonio vir cum quippiam emere vellet, mutuum ab aliquo rogârit, is verò dotem timens, viro quidem nummos ipsos non tradiderit, sed venditori peracta venditione adhibitis testibus, ipsos nummos ita dederit vt hoc, nomine ac in persona viri efficiendum curârit, tum sanè dos in ædificiis, à creditoribus vincitur. Res ex dotalibus nummis comparatæ [l], dotales sunt.

k Nou. de æqual. dot. §. his consequẽs. vnde Auth. quo iure. C. qui potiores, est excerpta.

l l. res quæ. de iu. dot.

SCHOL.

Fundus, quem vir ex dotalibus nummis comparauit [m], non vxori quæritur. Neque enim ex empto actionem ei potest acquirere, sed quod ex dote residuum erat ei restituit, nisi fortè transegerit. Verùm aliam hoc loco inducens distinctionem, hoc dicit, quatenus vbi vir inops reperitur, quæ ex dotalibus nummis empta sunt, in dotem posthabitis scilicet ex prærogatiua doti concessa, aliis creditoribus, dantur. Quod nec admodum iuris rationibus consonum videtur, cum & absque lege hac tacitam [n] habeat vxor in bonis viri hypothecam. At verò inquit huius tituli xliij constitutio [o], si in dotem res pondere, numero mensuráve constantes datæ fuerint, viri eas esse periculo. In hoc enim dantur, vt eas maritus ad arbitrium suum distrahat, & soluto matrimonio, eiusdem generis & qualitatis alias restituat. Sunt autem quæ pondere constant, vt argentum: numero, vt nummi: mensura, vt frumentum, vinum, oleum. Id ergò quod dictum est intellige, non quòd vir qui

m l. ex pecunia. C. eod.

n l. vnic. C. de rei vxori. act. §. & vt plenius.

o l. res in dotem. hoc tit. de iure dot.

opul

opulētus est, quiq; potest quas accepit pecunias mulieri reddere, soluto matrimonio cogatur, res his emptas mulieri restituere. Iam enim ex iis quæ Caius quadragesimotertio capite scribit, didicisti, si quando vir dotis nomine res pondere, numero mensurâve constantes acceperit, non hũc eas ipsas quas accepit debere, sed & eiusdem generis ac qualitatis alias. Sed quod dictum est dotalia videri, quæ ex nummis dotalibus comparata sunt, hunc habet sensum, atq; eò refertur, vt si soluto matrimonio vir tenuior fuerit, quàm vt sit soluendo, hoc est sibi datam pecuniarum summam reddere nō potuerit, actionem in rem possit mulier aduersus res emptas dotalibus nummis mouere [a], vt quę & ipsæ dotales esse censeantur. Aduersus enim res dotales, si modò extāt, potest mulier viro ad inopiam redacto, directam in rem soluto vel etiam constante [b] adhuc matrimonio instituere, & cuicunque creditori præfertur [c]. Aduerte autem cur directam in rem dixerim. Nam hypothecariam in rem, non in dotales modò res, sed & in cætera viri bona potest mulier intendere: in quibus itidem, & quibuslibet viri creditoribus potior est, quemadmodum & libro Codicis octauo [d] traditur. Quin & Vlpianus inquit [e], si mulier sese seruo iunxerit, quem esse liberum putârat, atque ei res in dotem dederit, hanc & ipsi eius domino præferri in iis rebus quæ vel in doté datæ sunt, vel ex dote comparatæ, quasi & hæ dotales esse videantur. Itaque in hac specie rectè potest hæc lex procedere ac præscribi.

Vbi matrimonij onera [f] sunt, ibi & dos esse debet. Statim autem post mortem patris filium sequuntur, sicut & liberi ac vxor. Maritus dotis fructus [g] propter matrimonij onera, percipit. Percepti tamen ante nuptias, in dotem conuertuntur, nisi fortè aliud inter maritum futurum & destinatam vxorem conuenit. Si dotalium rerum fructus mulier percepit [h], ac eos insumpsit, hos est lucrata. Si verò ex his locupletior facta est, viro restituit. Pater dotem vel ante nuptias donationem pro liberis suis promittens, id ex suis facultatibus [i] facere videtur. Vnde si res habet filius quæ patri acquiri non solent, suæ ipsius manent, nec poterit pater postea dicere, sese ex his donationem ante nuptias fecisse. Ipso siquidem quo hæc promittebat tempore id prædictum oportuit.

a *Acc. d. l. res quæ. paulò aliter intelligit, quem vide.*
b *l. vbi. C. eod. l. si constante. in princi. ff. solut. matr.*
c *l. in rebus. C. de iure dotium.*
d *l. assiduis. tit. qui potiores in pig.*
e *l. si cum dotē. §. vlt. ff. solut. matr*
f *l. si is qui. §. j. de iure dotium.*
g *l. dotis fructus. eod. & l. pro oneribus. C. eodem.*
h *d. l. pro oneribus. sub fin. & l. ij. C. de pact. conuen. tā sup. do. l. iiij. & l. quæris. ff. de pact. dot.*
i *l. vlti. C. de dot. promiss. fac. huc l. Nesennius. ff. de negot. gestis.*

ET NOVELLA CAESARIS LEONIS, DE implenda ac seruanda dotis promissione, vel ex paternis vel maternis facultatibus, ita statuit:

Sancimus pro parentis rationibus, ea quoque impleri quæ super dote aut donatione ante nuptias rationibus pacta fuerint. Ac à parente quidem solo dotem promissam exigi, si plus dare spoponderit: cum filio verò, si simul cum illo: siue ex æquo vtrinq; partibus accipiendis, vbi hæ præfinitæ non fuerint, siue inæqualibus, cum non absque præfinitione constitutæ fuerint.

Mulier non ea solùm quæ vir ante nuptias habebat, sibi obligata habet, sed & si quid ex quo constitutum est matrimonium quæsiit [k], forsan ex hæreditate aut legato: ita tamen vt ne ipsa maritum eò adigat, vt hæreditatem inuitus adeat [l], aut aliud quippiam lucri sibi paret. Neque eam mulieri lex dat facultatem, vt in iis virum obliget, quæ is sibi nolit quærere. Etiam constante matrimonio, de dote exigenda mulier actionem intendet [m], ex quo cœperint viri facultates ad dotis exactionem non sufficere. Quod ex dotalibus

k *Generaliter enim l. vnica. §. & vt plenius. C. de rei vxor. act. de quibuscunque bonis loquutur.*
l *Fac. l. si sponsus. §. si maritus. de donat. inter vir. & vxor.*
m *l. si cōstāte. in prin. solu. matrimo.*

nummis comparatur, eius vxor non habet dominium [a]. Sed si dotis partem duntaxat mulier recepit, non vt ex inita transactione, liberum ei est de reliqua dote agere. Neque enim harum rerum dominium sibi debet vendicare, sed pretium duntaxat [b]. Mulier vel constante adhuc matrimonio, si maritum ad inopiam [c] deductum videat, potest pro dote, donatione ante nuptias, & rebus extra dotem positis, eius res velut hypothecæ nomine tenere: & siue conueniatur, exceptionem habet, siue agat causam obtinet, nec ei obstat quòd necdum sit solutum matrimonium. Sed interim quidem mariti res perinde sibi vendicat, ac si iam diremptum esset connubium, & ei dotis exactio competit. Deinceps verò creditores si quas se actiones habere existimant, eas debent aduersus virum persequi, aut in eius res, quascunque ille sibi acquisierit. Cæterùm mulier nihil omnino interim dum maritus viuit, alienare potest. Ob nihil enim aliud viri res mulier vendicat, nisi vt ex his fructus percipiat, quibus & sese & virum [d], & communes vtriusque liberos alat ac sustentet.

a *Dicta l. ex pecunia. C. de iure dot.*

b *Habet tamen in ipsas res actionem vtilem. l. vxor marito. sub fi. de dona. inter vir. & vxor.*

c *l. vl i. C. de iure dot.*

d *Facit l. mutus. §. manente ff. eod.*

Hoc tamen casu mulier res soli alienare [e] non potest. Mobiles verò necessariò & inopiæ causa alienat. Verùm si rem immobilem alienârit mulier, potest vir aduersus emptorem agere, neque post eius mortem ab vxore venditio rescinditur.

e *Facit l. si prædium. C. eod. Et scholium esse videtur.*

Omnis exceptio temporalis [f] quæ mulieri opponitur, ex eo tempore ipsi computetur, ex quo actionem mouere potuit: si quidem opulentus est vir, à matrimonij solutione: sin verò inops, ab inopiæ tempore. Non debent mulieri pro dote, viri bona addici [g], si is relictis hæredibus decesserit. Sin autem nullo relicto successore decessit, tum ex legum præscripto, mulieris indemnitati pro facultatum & successionis modo consulitur. Etiam in hypothecis præfertur dos antiquioribus creditoribus, etsi absumptæ sint ac dissipatæ res mulieris, etiam non susceptis liberis: excepta priori dote. Hîc enim prior dos posteriore potior est. Atque hæc de dote non etiam ante nuptias donatione sancimus. Hæc enim suo seruit tempori: presertim cùm non pro lucro, sed ne damnum patiantur, mulieres foueamus. Si spoponderit mulier dotem dare, non adiecta quantitate [h], aut re certa expressa quæ in dotem detur, inutilis est eiusmodi dotis promissio, vtpote cùm possit mulier vel vilissimum quippiam dotis nomine exhibere. Alia causa est patris dotem pro filia pollicentis [i], qui etsi quantitatem dotis non præfinierit, rata tamen est ac valida promissio. Hoc enim cum dicit pater, non sese quantamlibet dotem, sed quæ facultatibus par sit daturum indicat. Si filius parentes habens, vxorem duxerit [k], neque hæreditatem ab his acceperit, & posteà relictis liberis decesserit, non potest eius vxor à parentibus viri hæreditatem exigere, etsi vir fortasse dotem variè dilapidârit, possunt tamen eius liberi.

f *l. in rebus. §. omnis autem. C. eod.*

g *l. vnic. C. ne pro do. mul. bo quon. mar. addic.*

h *l. j. C. de do. promiss.*

i *l. cum post. §. gener à socero. ff. de iure dot.*

k *Non ex voluntate patris. Huc fac. l. nō tantùm. §. si emancipatus. j. de bonor. poss. contra tab. Scholium est.*

Obserua [l] hoc loco neque parentes ei in ducenda vxore assensum præbuisse, neque ab ipsis fuisse dotem promissam, neque quo tempore nuptias contrahebat, hæreditatem ei à parentibus (vt à parentibus, cum filios matrimonio collocant, fieri solet) assignatam, ac propterea neque hîc mulieri curandum esse, vt de donatione ante nuptias experiatur.

MAGISTRI.

Pater & mater aliquem ex liberis dotantes, quæcunque ex ſeſe hoc eſt rebus ſuis dederint, etſi ab eo qui accepit abſumpta fuerint, ad hæc tamen præſtanda à filio filiáve conueniri non poſſunt. At quæcunque forſitan non ex ſeipſis contulerint, ſed aut pater pro matre, aut mater pro patre, aut etiam de alienis, in his eorum cautio eſt, vt filio ſalua ac integra reſeruentur. Ad horum enim reſtitutionem deinceps cogi poſſunt. Atque hoc Magiſter cenſuit.

a l.pen.& vlti. C. de iure dot.

Vult ac iubet conſtitutio [a], ex omni promiſsione poſſe dotem exigi, etſi ſtipulatione præcedenti vallata non ſit. Simpliciter forſan dixit pater ſeſe dotem aut ante nuptias donationem conferre, tum ſanè omnino de ſuo largietur, nihil planè ex filij filiæ've bonis attingens. Si quidem penitus eſt inops, ex rebus liberorum det. Sin ſatis amplas habet facultates, vniuerſum ex rebus propriis largiatur. Eum enim oportebat, ſi ex vtriſque facultatibus conflari volebat dotis aut ante nuptias donationis præſtationem, ea quidem quæ vellet, de ſuo afferre, filio autem vel filiæ conſentire, impertienti dotis aut ante nuptias donationis nomine de rebus ſuis, ſi quando voluiſſent rerum ſuarum partem aut etiam vniuerſas res ſuas quas habent, patrię munificentiæ pro dote aut donatione ante nuptias aggregare: vt reuera appareat, & quid ipſe elargiri velit, & quid ex liberorum facultatibus proficiſcatur. Non ſolùm non cogitur mater filiam dotare [b], ſed nec vir ex rebus eius inuitæ, dotandæ filię facultatem habet.

b l.neque mater. C.de iure dot.

c Scholium eſt.

d C. de dot. promiſſ.l. vlt. §. vtranque. l. qui liberos. ff. de iure dot.

Hoc verò [c] in matre duntaxat accipe, non item & in patre. Cogitur enim pater [d] filiam ſuam dotare, qui & recepta dote quam filiæ dederat, eam debet in ſecundas reſeruare nuptias [e].

e §. quia verò iam legem ſcripſimus. Nouel. de æqualit. dot. vnde auth. ſed quãuis. C. de rei vxor. actio. eſt ſumpta.

f l. vni. § cùm autem in exactione dotis. C. de rei vxo. actio.

Mulier quæ vnà cum viro dotem accepit, obligatur ad dimidium. Et hoc Magiſter cenſuit. Quoniam actio quidem qua ex ſtipulatu dos exigebatur [f], vniuerſam dotem in ſolidum illico repoſcebat, rei verò vxoriæ actio, ea quæ pondere, numero menſuráve conſtarent, annua bima trima die exigebat, ac neque in ſolidum mouebatur, ſed quatenus ſoluendo eſſet maritus, hodie quoque, actio qua dos exigitur, in id tantum intendatur, quantum vir poſſit facere: ita tamen vt cautionem ille interponat, mulieri ſeſe, ſi proſperiorem expertus fuerit fortunam, quod ſupereſt exoluturum. Celebretur autem dotis exactio nõ annua bima trima die, vt quondam in rei vxoriæ actione, neque è veſtigio, ſed intra annum reſtituantur quæ pondere, numero menſuráve conſiſtunt. Cæteræ verò res protinus reddantur. Quòd ſi differat vir ſtatim vel poſt annum elapſum ea reſtituere, quæ ſub reſtitutionem cadunt, & rerum mobilium vſuras præſtare cogitur, & rerum ſoli fructus, ex quo ſolutum eſt matrimonium, & penſiones ex domibus redactas, & portoria, & omnem denique cauſam ac fructum. Obſeruatione dignum eſt, cum dos reſtituitur, ſi quidem emancipata [g] eſt filia, dotem ad ipſam redire. Si autem ſub poteſtate eſt, & dos eſt à patre data, communem ei cum

g Ead. l. §. videamus.

patre

patre fieri. Cæterùm vbi pater iam filiam dotârit, ac postea voluerit hęc vel viro suo defuncto, vel diuortio facto secundum contrahere matrimonium, nō potest pater dotem imminuere[a] ac minus ei dotis nomine dare, quàm priori dote dederat, nisi fortè inopia ingruente pressus fuerit. Patri, amissa filia dos[b] ab ipso profecta redditur.

Etiam maioribus xxv annis, si in dote danda se inuicem circumuenerint[c], succurritur. Neq; enim bono & æquo conuenit lucrari aliquem ex alterius detrimento, aut damnum pro alterius lucro sentire.

Quamuis in potestate & bonis mariti dos sit, mulieris tamen est. Vnde & euicto dotali fundo, habet eius vendicationem mulier. Ni enim hunc sibi vendicârit[d], desinit in dote habere. Quandiu autem apud virum agit mulier, eius emolumentum vir propter matrimonij onera, percipit. Vetus illud ius ac priuilegium quod mulieribus in dotis exactione concessum est, ad hæredes[e] earum alios à filiis[f] non transit. Quod dicitur[g], *necessarias impensas ipso iure dotem minuere*, eò pertinet, vt vir aut totum fundum retineat, aut eius partē, quoad impensa reddatur. Quòd si per partes tātum in fundum dotalem sit impensum, quanti est fundus, dotalis esse desinit, nisi mulier impensas marito intra annū obtulerit. Si verò simul cum fundo erāt & pecuniæ in dotē, minuuntur pecuniæ. Cæterùm muliere impensas exoluente, ager in causam dotis reuertitur, atque interim eius inhibetur alienatio. Tum necessariæ impensæ dotem minuunt[h], cum extra dotis necessariam tutelam, in res dotales factæ fuerint. Nam tueri dotem vir suis sumptibus debet, sicut & cibaria dotalibus mācipiis dare, & modicos sumptus in dotalium ædificiorum refectionem, agrorúmque culturam facere, non tamen vt in hæc vniuersos reditus impendat. Itaque ex genere ac magnitudine singulatim erūt æstimanda impendia, atque ex dote deducenda. Impensæ necessariæ sunt, quibus non factis dos minuitur: velut aggeres facere, flumina auertere, ædificia fulcire &[i] reficere, in locum demortuarum arborum alias reponere, pecora[k] stercorandis agris imponere. At ex voluptariis impensis est, balnea extruere. Nec si voluntate[l] mulieris factæ sunt impensæ voluptariæ, exactionem pariunt. Vtiles impensæ ita demum deducuntur[m], si voluntate mulieris factæ sint. Iniquum enim fuerit, si aliunde soluere non potest, mulierem compelli rem vendere, vt impensas in eam factas soluat.

DE DOTIS VENDICATIONE, ET EIVS ONERIBVS. TIT. IX.



ONSTANTE Matrimonio, non perituræ vxori[n] ob has causas dos reddi potest, nimirum vt sese suósque alat, vt fundum idoneum emat, vt creditoribus suis faciat[o] satis, vt in exilium relegato parenti alimoniam præstet, aut denique vt virū, fratres sororésve egentes sustineat. Vir etiam inops,

a d. §. quia verò iam. Nou. de æqual. dot. & Authent. sed quamuis. C. de ret vxor. act. quæ inde petita est.

b l. iure succursum. in princ.

c Ead. l. in fin.

d In Græc. exempla. legitur ἐάν γὰρ μὴ ἐκνικήσῃ. Sed aut vnica litera immutata legendum ἐκδικήσῃ, quam lectionem sumus secuti: Aut expūgenda negatio, & pro ἐκνικήσῃ legēdum ἐκνικηθῇ ex l. quāuis. ff. eod.

e l. vnic. C. de dot. pri.

f l. aßiduis. §. exceptis. C. qui potiores.

g l. si is qui. §. quod dicitur. & seq. de iure dot. & l. quod dicitur. j. de imp. in reb. dot. fact.

h l. quod dicitur ij. & l. seq. eod.

i Obserua in l. impensæ. eodem. vnde hæc sumpta sunt, pro iter, legendū itémque, vt & alia exempl. habent.

k Hoc ex vtilibus impensis est, quas cum necessariis connumerat, nisi quid fortè in Græco deest exempl.

l l. in voluptariis. eo.

m l. vtilium. eod.

n l. mutus. §. manente. de iure dot.

o Hoc ex l. quamuis mulier. solut. matr. sumptum est.

totam dotem debet [a]. Vir dum permittit alij dotem dari, creditur ipse eam [b] accepisse. Manente adhuc matrimonio, vir dotem vxori absque legitima probabiliq; causa ne refundito [c]. Id enim si faciat, donare ei videtur, rursúsque dotem etiam cum fructibus medio tempore perceptis restituere cogitur. Socer à genero [d], & vxor à marito si de dote quam promiserunt conueniantur, pro modo facultatum suarum damnantur. Qui genero suo dotem promisit, ac eandem postea filiæ legauit [e] duobus hæredem non obligat, sed horum alteruter exigit, de quo inter eos conuenerit. Potest vir defuncta vxore exigere sibi promissam dotem, intra decennium [f] duntaxat.

Mulier quæ constante matrimonio dotem exegit, & dotalem fundum [g] à viro distractum comperit, à iudice in fundum diuenditũ restituta est [h], damnato emptore, nõ ad pretium modò amittendum [i], sed & præstandum si qua in re imminutus deteriórve factus esset ager. In dotem data mulier vendicare [k] non potest, quòd horum dominium ad virũ pertineat. Si qua, mulier quæsierit, nec ea vnde habuerit demonstrare posit [l], ex viro aut iis qui in eius sunt potestate, etiam absque alia probatione, habuisse videtur, & ex rebus viri esse censentur. Ex quinque [m] tantùm causis dos mulieris publicatur, crimine maiestatis, vis publicæ, parricidij, veneficij, & de sicariis. Si qui dotalibus instrumentis [n] super dote & donatione ante nuptias interpositis, inter se coniuncti fuerint, appareat deinde, toto matrimonij tempore dotem non esse marito traditam, cùm ille interim matrimonij onera pertulerit, & viri morte solutum fuerit matrimonium, haud planè æquum fuerit mulierem cum viro dotẽ non dederit, ante nuptias donationem consequi. Quòd si nec integrã dotem dederit, & ipsa donationem propter nuptias in tantum exigat quantum in dotem attulerit. Æquitatis enim sumus & iustitiæ studiosi, quam cum in aliis omnibus, tum verò in coniugiis locum habere volumus. Quæ ergo dotis nomine nihil tradiderit, nihil accipiat. Si verò ipsa quidem dotem dare voluerit [o], aut qui pro ipsa eam dat, aut quisquis tandem alius fuerit, vir autem aut eius fortè pater aut auus accipere eam noluerit, at pars mulieris protestetur, ac dotem tradere parata sit, aut aliquid etiam amplius egerit, eam fortè offerens, & si mobilis sit etiam sigillis appositis ex legum prescripto deponens, aut etiam vna ex parte sua nimirum, iudicium adiens hoc fieri postulârit, ac digressi posteà ex iudicio nonnulli hæc parti viri renuntiârint, quæ semper in eadem mora permanserit, non poterit soluto matrimonio donationis ante nuptias exactionẽ effugere, tanquam scilicet dote non data. Qui enim dare voluit, vbi recusârit is qui rogatur accipere, profectò ei persimilis est qui dederit.

a Hoc intellige, si postea ditior euaserit. ex l nec maritus. C. sol. matri.

b Vnde & eius conditionis dos erit, cuius esset, si viro tradita fuisset. l. nuptura, in principio. de fundo dotali. l. etiamsi. de iure dotium. l. prima. §. penulti. de acquir. possess.

c l. vnic. C. si dos con. mat. sol. fu.

d l. penultima. de iure dotium. l. rei iudicatæ. §. vlti. cum duabus legibus sequentibus. solut. matrimonio.

e Huc facit l. secunda. in princip. & §. vltimo. de dot. prælega.

f §. primo. & per totam Nouel. de tempo. non solu. pec. sudo. & Authentic. quod locum. C. de dote cauta non numerata.

g Cuius alienatio viro inhibetur. l. iiij. de fund. dot.

h l. redemptores. in fi. de rei vendic.

i l. si sciens. C. ad senatusconsult. Velleianum. l. si mancipium. C de rei vendicatione.

k l. doce. C. de rei vendicatione.

l l. Quintus Mutius. de donatio. inter virum & vxorem. l. etiam. ad finem. C. eodem.

m l. quinque legibus. de bon. damnat.

n Ad verbum ex Nouel. de non eligend. secund. nuben. mulier. §. vltimo. & Authentic. Sed quæ nihil. C. de pactis conuent. tam super dot. inde sumpta. o Nouel. vt exact. inst. dot. pri. & sec. §. illud quoque. & Authent. dos data. C. de donationibus ante nuptias. quæ inde excerpta est.

DE

DE REBVS DOTALIBVS, QVO MODO INTER FRATRES DIVIDANTVR.

SI pater vni cuipiam liberorum ex liberalitate, bona vxoris suæ [a], aut vsusfructus, aut dotis nomine dederit, vendicant ea & alij, ac imminuitur dos [b] ipsa: cùm materna bona [c] liberi omnes ex æquo diuidant. Quæ dotem non attulit [d], non potest res viri, nomine antenuptialis donationis vendicare. Itidem & vir qui propter nuptias donationem non contulit, nihil ex bonis vxoris accipit, nisi si quid ea donare aut relinquere voluerit. Si mulier indotata, vnà cum viro pollicita fuerit filio aut filiæ dotem, atque adeò eam tradiderint, posteà defuncto in egestate viro, nihil ex eius facultatibus sit consecuta, potest aduersus filium aut filiam experiri, vt & ipsa vnius ex filiis portionem [e] accipiat. Indotata etenim mulier, si eius maritus inops relictis liberis decesserit, tantũ ex bonis viri accipit, quantum vnus ex liberis. Si pater filia dotata, disipatis posteà facultatibus ad inopiam redactus decesserit, relicta vxore debitrice, defenditur ipsa, & filiam vincit [f] in iis quæ ei à patre data sunt, neq; quicquam obest quòd donationis ignara non erat. In iis enim solis vincitur, quę à sese filiæ donata sunt, hoc est maternis in rebus. Perpetua est dotis exactio, neque vlla temporis [g] exceptione summouetur.

Res donationis ante nuptias [h] & dotis, ne consensu quidem mulieris alienari neque oppignerari possunt, nisi his exacto biennio secundum assensum mulier prębuerit, si modò tamen ei ex aliis viri rebus satis fieri posit. Qui enim præter formulam præscriptam eiusmodi res comparat, non tam mulieri præiudicat, quàm sese obstringit. Cum duæ ab aliquo dotes debentur [i], si quæ ipsarum res extent, à liberis ex eodem susceptis coniugio vendicantur. In iis autem quæ non extant, iure temporis prima dos præfertur, exigenda tum ab vxore, tum à liberis eius vtriusq; sexus. Sponderat quis filiæ dotem dare, nec dedit. Interiecto tempore vxorem duxit, & dote ab ea accepta, interiit. Quærebatur vtra potior esset habenda, dósne primùm filiæ promissa, an verò secunda, quam mulier viro persoluerat Censuerunt iudices ac Magister, secundam quæ esset soluta præferri. Si enim prioribus creditoribus dos est potior [k], multò certè magis promisione superior erit ac potior.

a §. illud quoque sancire. Nou. de æq. do.
b De cuius inuitæ bonis, nõ habet pater dotis dandæ facultatem. l. neque mater. in fi. C. de iu. do. l. j. & tot. titu. C. de bo. mater.
c Hoc & antè dictũ est in titul. vij. inde pete.
d Huc fac. §. quia verò. ij. Nouel. vt lic. mat. & auiæ. Item Auth. præterea. C. vnde vir & vxor. quæ inde sũpta est.
e Dotis enim causa perpetua est, & vbique præcipua. l. j. de iure dotium. l. j. solut. matri.
f Longi intellige, vt locum habeat l. sicut. de præscri. xxx vel xl ann. C.
g Hoc & antè dictũ est lib. iij. tit. iij. speciali titu. de venditione rerum mulieriũ. Inde sumito.
h §. j. Nou. vt exact. inst. do. pri. & sec.
i [marker only]
k §. fuerat. sub fi. Inst. de actio.

DE REBVS EXTRA DOTEM DATIS.

QVAE extra dotem dantur (ἐξώπροικα vel παράφερνα Græci dicunt) viri non fiunt [l], nisi in hoc ei data fuerint: & cum legitimè distractum fuerit matrimonium, nec vendicantur, nec dotis quidem actione petuntur [m]. Si res à muliere extra dotem allatas vir impenderit [n], si quidem ea donârit, non tenetur mariti hæres, nisi in id duntaxat quo locupletior euaserit. Sin præter eius voluntatem, integra omnia quæ extra dotem à muliere inuecta domum mariti fuerant, restituere cogitur, cum & ob hæc sicut ob dotem in viri bonis mulier ius habeat hypothecæ [o]. Mulier omnis in rebus ex-

l l. si ego Seiæ. §. dotis. l. hac lege. C. de pact. conuent.
m Condicuntur tamen. d. l. si ego.
n l. de iis quæ. C. de dona. inter virum & vxorem.
o l. vl. C. de pact. con.

tra dotem illatis ac legatis, citra dotem, potest & contrahere & largiri & donare, ac denique pro suo arbitratu statuere[a]. Rataque sunt ea omnia. In dote quidem exigenda vir in id quod facere potest, quemadmodum dictum est, damnatur[b]. Neque enim permittitur ad inopiam eum adigere, qui vxoris quondam fuerit dominus. At in rebus extra dotem datis, damnatur in solidum[c]. Quæ extra dotem à muliere data sunt, viri[d] muneribus obligata non sunt. Sed nec matres pro his conueniuntur. Neque item vir pro vxoris contractibus, neque pater[e] pro filij muneribus aut contractibus, aut filius pro paternis, nec libertus pro patrono.

a d.l. hac lege. & d.l. vlti. in verb. illis, in causas ad quas ipsa voluerit. C. eod.
b l. maritum. sol. ma.
c d.l. de iis qua. in fi. C. de donation. inter virum & vxorem.
d l. j. & ij. & tot. tit. C. ne vx. pro mar.
e l. j. & tot. tit. ne fil. pro pat. C.

DE HYPOBOLO. TIT. X.



HYPOBOLVM[f] Appellant, quod ob dotis quantitatem, cum vxore defuncta dos à viro repetitur, huic subiicitur ac supponitur, & velut sub dote quę in maiorem ascendit quantitatem, tanquã minus ac infirmius si cũ hac conferatur, ponitur. Verbũ siquidem ὑποβάλλειν, inter varia quæ habet significata, significat & illud, sub aliquo robustiori ac maiori, aliud quippiam infirmius ac minus collocare. Vnde sanè & dotis hypobolum nominatur. Cum ergò in contrahendo matrimonio vtrinque de hypobolo conuentum fuerit, vt in restituenda dote adiiciatur & tantum hypobolum, redditur pro pacto conuento hypobolum. Sin hoc prætermissum fuerit, neque vlla de eo pactio interposita, tum ab eo qui dotem reddit postulatur, vt hypoboli nomine trientem vniuersæ summæ in quam dos redacta sit, præstet. Verbi gratia, Si vnius libræ dos fuerit, pro hypobolo triens libræ persoluetur, vtpote xxiiij nummi[g]. Atque hoc quidem apud recentiores in hodiernum vsque diem obtinuit. Cæterùm apud veteres hypobolum ad dimidiam dotem computabatur. Si verò ante virum, diem suum mulier obierit, nullus relinquitur hypobolo exigendo locus. Hypobolum non statim post nuptias cõfirmatur, sed virum oportet ante vxorem præmortuum esse, ac tum demum substantiam capit hypobolum. Virgo propter honorem virginitatis habet theoretrum[h]: vidua verò non habet, sed pactum duntaxat hypobolum atque arras. Muliere ante virum defuncta, locum non habet hypoboli exactio, sed theoretrum tãtum datur, ei nimirum quæ virgo fuerit. Nam secũdò nubentibus haud quaquam concedi solet. Est autem theoretrum, in singulas dotis libras seni aurei nummi.

f ὑποβόλου nomine sæpe προγαμιαία δωρεὰ intelligitur. Cæterùm hoc loco paulò aliter videtur accipi.
g Constat enim libra lxxij solidis, vt cauetur l. quotiescunque. de suscept. & lib. C.
h De theoretro dictũ est suprà.

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

QVANDO semel illud obtinere visum est, ne ex æquo[i] in matrimoniis constituendis fierent contributiones, sed esset hypobolo ferè dos amplior, hoc in posterum obseruetur, vbi mors matrimonium diremerit. Si quidem vir absque liberis decesserit, neque

i Cõtrà quàm iubeat Nouel. de æqual. do. & Auth. Aequalitas. C de pact. con. inde sumpta. Quã & in desuetudinẽ abiisse testis est eo loco Accur.

pact

pactum intercesserit, recipiat mulier & dotem & hypobolum, ac nihil vltrá. Sin verò mulierem mors diuulserit, huius quidem hæredes dotem percipiant, vir autem suis rebus ne fraudetur, nec eius res alij, sed ipsemet habeat. Non enim id vel absurdissimum fuerit, externos quidem ex eius bonis lucrum facere, ipsum verò prærerquàm quod vxorem amisit, etiam propriis rebus, hoc est hypobolo spoliari?

EIVSDEM, DE HYPOBOLORVM DOMINIO.

Hanc itaque consuetudinem quoniam haud infestam incommodámve esse rebus perspeximus, sicut & in plerisque aliis ęquum censuimus, legis honore dignamur, atque adeò legis vim non consuetudinis posthac obtineat. Si tamen in solo hypobolo viri connumerantur facultates, huius omnino, vnà cum liberis dominium ac proprietatem mulier assequatur: eius quod residuum est, vsumfructum tantùm habeat. Quòd si ad hypobolum constituendum facultates satis non sunt, partem ferat mulier, non quidem iuxta deprehensam imminuti hypoboli quantitatem, sed ita vt tantum consequatur, quantum erat perceptura, si nihil omnino diminutum sed plenum ac integrum extitisset hypobolum. Qua quidem portione data mulieri, quicquid reliquum fuerit, liberorum esto. Quòd si nihil sit reliquum, hæreditatis defectum pro hæreditate referat. Et hæc de muliere. Vir autem si absque liberis sit, quemadmodum & in aliis cautum est, nihil planè aut commodi aut detrimenti percipiet. At si liberis procreatis pater effectus, secundis nuptiis vxoris studium & amorem non obscurârit atque extinxerit, & ipse filij portionem feret, cum educandorum liberorum gratia, tum verò quòd primi matrimonij honorem ac reuerentiam tanto studio seruârit.

EIVSDEM NOVELLA.

Enimuerò portionem hanc vir rationi inferat ac subdat. Ac si aut æquare hypobolum aut excedere deprehendatur, hac accepta sit contentus, quòd omnino aut lucretur, aut nihil damni subeat. Sin ad hypoboli magnitudinem non pertingit, sed eo inferior est, neque de suo vir quicquam conferat, nec de vxoris capiat facultatibus.

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM.

TIT. XI.



INTER Virum & vxorem donatio non valet [a], propter amorem mutuum, & ne diuortij occasionem habeant ex eo quòd non donetur, item vt ne ditior in paupertatem incidat, & pauperior ditior fiat. Non in iis modò quæ moribus ac legibus constât matrimoniis, sed & in iis quæ vetita sunt [b], inualidæ sunt donationes. Vxori quidem donare prohibitum est. At concubinæ donare [c] nemo prohibetur. Si vir posteaquam vxori, do

a *l.j.ij.& iij.hoc titu.*

b *d.l.iij.§.j. & l.si ex voluntate. C.eod.*

c *d.l.iij.ad fi.§.j.l.donationes in concubinam.de donat.*

ri donauit, approbata donatione decesserit [a], confirmatur donatio, neque à quoquam rescindi potest. Quæ viro ab vxore adsequendæ dignitatis causa donantur [b], eatenus rata sunt, quatenus supplendæ dignitati opus est. Si mulier constante matrimonio filiæ suæ donârit, rata est donatio [c]. Neque viro mulier donare potest, neque genero socer [d], sed nec iis qui in eorum sunt potestate, aut in quorum potestate sunt. Sed si non est socer in eiusdem potestate cum viro, aut non habet eum in potestate, non est interdictum socero donare, neque iis qui in eius potestate sunt, neque item ei in cuius est potestate. Frustra socer genero vel nurui mortis causa [e] donat. Nam etsi mortuus fuerit socer, manet tamen coniugium. Ac nihil interest, an filium vel filiam exhæredârit. At in causa diuortij rectè donat. Et qui in eiusdem potestate sunt [f] cum coniugibus tam liberi quàm serui, donare inuicem prohibentur, & qui in eorum potestate sunt, quos & alij in potestate habent. Vnde nec si vxor filio qui in potestate mea est donet, vllius est momenti donatio, nisi in castra eunti filio dederit. Filio siquidem quæritur, & castrensis fit peculij. Quare & qui potestati meæ subiectus est, de castrensi suo peculio, rectè vxori meæ donat. Qui ergò filium habet in potestate, & vxori & nurui donare prohibetur. Socrus nurui [g], & nurus socrui donare non prohibetur. Neque enim hîc ius potestatis vertitur.

Si cum animum vendendi maritus non haberet, vxori tamen donationis causa vendiderit [h], irrita est donatio. Si autem cum vendendi animum haberet, viliore pretio vendiderit, infirmatur donatio, quatenus mulier locupletior facta est. Forsan enim seruum quindecim, vendidit quinque, nunc autem est decem, quinque duntaxat dabit, in quo locupletior facta est. In prohibitis donationibus [i], si quidem extant res donatæ vendicantur: si consumptæ sunt, condicuntur eatenus, quatenus is qui accepit locupletior factus est. Rectè sibi inuicem coniuges mortis causa donant [k]. In tempus enim illud excurrit donatio, quo matrimonium esse desinit. Ac tum demum eius cui donatum est res fit, cùm mors insecuta est donatoris. Medio verò tempore apud eum dominium remanet, qui donauit. Cæterùm omnes mortis causa donationes inter coniuges receptæ sunt. Vbi diuortium fit, mortis causa facta donatio non iam valet sed infirmatur [l]. Possum vxori meæ donare, quod ad refectionem [m] eius ædium incendio consumptarum satis sit. Ante nuptias factę donationes iure consistunt [n], etiam si eodem die nuptiæ fuerint consecutæ. Si cum minorem annis xij [o] quis vxorem duxisset, eidem quippiam donârit, si quidem præcesserint sponsalia, durat, & tanquam in sponsam facta donatio, valet. Si verò non antecesserint sponsalia, nulla est. Non enim quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem facta est. Porrò si donatione constante matrimonio facta, virum & vxorem simul decedere contigerit, neuter agit [p]. Neuter enim eorum alteri superuixit.

a l. cum hic status. §. oratio. de don. inter vir. & vxor. l. si inter virum & vxorem. de reb. dub.
b l. quod adipiscẽdæ. de don. inter virum & vxor.
c l. si constante. C. eo.
d d. l. iij. §. ab vxoris. l. iiij. C. eod.
e l. mortis suæ causa. eodem.
f d. l. iij. §. qui in eiusdem.
g Ead. l. §. ab vxoris. versi. socrui. fac. l. si te in vacuã. C. eodẽ.
h l. si sponsus. §. circa venditionem. eod. l. si res æstimata. in princ. de iur. dot. l. si quis donationis. de contrah. emp.
i l. si mulier. j. cũ ij ll. seq. & l. si donatæ. in princ. de don. int. vir. & vxor. fac. l. si fructus. C. eod.
k l. si cum seruum. in fi. cũ ij ll. seq ff. eod.
l l. sed interim. in fi. Quod & in omni donatione locũ habet. l. à marito. C. eo.
m l. quòd si vir. ff. eod.
n l. inter eos & l. pe. §. virgini.
o l. cum hic status. §. si quis sponsam habuerit.
p Valet tamen donatio. ead. l. §. si ambo. & l. si inter virum & vxorem. de reb. dubiis.

DE

DE SOLVTIONE MATRIMONII, ATQVE EIVS CAVSIS.

TIT. XII.



QVIA Multas[a] vetustis legibus traditas inuenimus causas, vnde facilè matrimonia soluuntur, propterea ex his eas quidem tollendas iudicauimus, quæ nobis indignæ videbantur ob quas cónubia soluerentur: eas verò tantum huic legi inserendas, ob quas meritò absque pœna coniugia licet dirimere. Soluitur matrimonium ex occasione necessaria, quęque ratione non vacat, nimirum vbi quis cum vxore coire non potuerit[b], neque ea peragere quæ natura viris data sunt, sed cum iam à contracto matrimonio triennium effluxerit, ipse tamen sese reuera virum esse non ostendat. Tum enim vxori licet aut eius parentibus coniugium distrahere, ac repudium mittere, etiamsi hoc nolit maritus. Atque hîc dos quidem siqua omnino data est, ipsam mulierem comitabitur, à viro si fortè eam acceperit, restituenda. At propter nuptias, quæ & ante nuptias, donatio apud virum permanet, nullo in rebus suis damno affectum. Sancimus solui etiam matrimonia, vbi alter coniugum captiuus tenetur, verùm non simpliciter ac temere. Sed tantisper quidem dum certum est[c] superesse aut virum aut vxorem, matrimonia finimus ita perdurare, vt solui nequeant, neque possit alteruter secundas aggredi nuptias, nisi hoc videri velit temere egisse, ac ideò pœnis subdi legitimis, hoc est vir quidem iacturæ donationis ante nuptias, vxor verò dotis. Sin vero incertum sit, an quæ in hostium potestatem deuenit persona superstes sit nécne, tum per quinquennium tam viro quàm mulieri erit expectandum. Quo lapso siue de morte apertum sit siue obscurum adhuc, licebit alterutri matrimonium absque vllo discrimine contrahere: ac neuter hic lucrabitur neque vir dotem, neque mulier, ante nuptias donationem, sed suas sibi quisque res habebit.

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

At vicesima Nouella hæc[d] apertè cauet, ne captiuorum vxoribus liceat cum aliis nuptias contrahere, sed vt quantocunque temporis interuallo in captiuitate permanserit quæ illic detinetur persona, expectet altera, etiamsi neque scriptam neque non scriptam inde attestationem acceperit. Soluitur matrimonium etiam furore alteri coniugum superueniente[e], quemadmodum suprà fusiùs sub titulo de sponsalium consensu est explicatum. Nouella Cæsaris Leonis viro potestatem facit matrimonij cum ea muliere dirimendi, quæ data opera abortum facit[f], ac partum suum abigit. Porrò decimusquintus Timothei Alexandrini canon, Qui vxorem, inquit, dæmoniis actam habet, si aliam sumpserit, adulterium admittit. Conuicto aliquo quòd cum detonsus esset, sacra veste abiecta

a *Ex Nou. vt liceat matri & auiæ. §. quia verò plurimas. Causæ autem subiungũtur infra, vbi speciatim de causis soluẽdi matrimonij agetur.*

b *Ex Nou. de nupt. §. per occasionem quo quę. vnde Authẽ. Sed hodie. C. de repud. sumpta est. Itẽ c. laudabilem. extr. de frig. & malefic.*

c *Ex Ead. Nou. §. sed etiam captiuitatis. Alia videtur species. §. quod autem à nobis. Nou. vt lic. mat. & auiæ. vnde Auth. Hodie quantiscunque. C. de repud. est sumpta. Cui consonum est ca. in præsentia. extra de spons. & matr. Vide huc & l. vxores. ff. de diuort. & repud. quæ quinquennium statuit.*

d *Cum qua conuenit d. §. quod autem à nobis. Nouel. vt lic. ma. & auiæ. etsi de iis tãtùm qui in expeditione sunt videatur eo loco fieri mentio.*

e *l. si cum dotem. §. si maritus. solu. matr.*

f *De hac re habes c. aliquando. cum ij aut iij sequ. xxxi. quæst. ij.*

nuptias contraxerit, dissolutum est matrimonium, & pœna illis irrogata, qui huic assensum præbuerant, & nuptiarum eiusmodi conscij fuerant. Quoties monachismum (ἀσκησιν Græci vocant) alter coniugum professus fuerit[a], sanctiori ac puriori vitæ genere delecto, tum sanè iubemus tam viro quàm mulieri ad absolutius viuendi institutum transeunti, dari soluendi connubij facultatem, ac secedendi, breui quadam consolatione ei qui dimittitur relicta, vt quodcunque lucrum cōtractu habito pacti fuerint ex morte alterutri accessurum, id eum qui dimissus est, ab altero consequi oporteat, siue vir siue mulier extiterit. Siquidem & hic, quod ad cōiugem attinet, mori videtur, dum alteram pro altera vitæ rationem ingreditur ac deligit. Si nuptiarum tēpore stupratam ac deuirginatam vir deprehenderit, quam vt virginem duxerat, atque hoc perspicuis signis protinus demonstrârit, solui hoc quoque matrimonium[b] Patricius dicebat, muliere tamen adulterij non damnata, quoniam ante nuptias id flagitij admisisset. Si cōstante matrimonio solus vir soláve mulier[c] monasterium ingrediatur, soluatur matrimonium vel absque repudio, verùm id postea quàm persona quæ monasteriū est ingressa, sacram vestem induerit. Ac si quidem vir monasticam vitam capessat, restituat vxori & dotem, & si quid aliud ab ea accepit, ac insuper ex nuptiali donatione tantam portionem, quanta ex viri morte vxori iuxta pactum dotalibus instrumentis adscriptum competebat. Sin verò mulier fuerit quæ monasterium est ingressa, similiter retineat vir nuptialem donationem, & dotis casum qui ex vxoris morte conuentus fuerat. Reliquam porrò dotem mulieri restitui iubemus, ac si quid aliud ex mulieris rebus apud eum inuentum fuerit. Vbi verò vterque monachicum vitæ genus delegerit, iubemus cessantibus dotalibus placitis, virum quidem sibi nuptialem retinere donationem: vxorem verò propriam dotem accipere, & si quid aliud eam viro dedisse ostendetur, vt quisque citra vllam iacturam ac detrimentum rebus suis fruatur: nisi, vt vero simile est, sponsus sponsæ aut sponsa sponso, vir vxori aut vxor viro donare quid aut concedere voluerit. Quoniam autem etiam consensu[d] aut castitatis nomine matrimonium soluebatur, sancimus haud alia ratione id fieri ni statim vterque vitam adierit monasticam, idque ita vt ambo indemnes[e] vndiquaque seruentur. Quæ posteriùs emersit seruitus matrimonium soluit[f], & coniuges à se inuicem disiungit, vtpote morte[g] subsecuta.

a *Ex Nou. de nupt. §. secundum occasionem itaque.*

b *Adde quod ex veteri lege lapidibus obruebant. Deuter. xxij c. Hodie aliud statuūt canones, vt c. quod autem. in fi. xxix. q. j.*

c *Ex Nou. de sanct. episco. §. si verò constante adhuc. & l. Deo nobis. §. nā & maritis. C. de episc. & cler.*

d *Ead. Nouel. §. quia verò ex consensu.*

e *Ead No. §. nullam verò licentiam.*

f *l. j. de diuor.*

g *Cuius speciem habet seruitus. l. seruitutem. de reg. iuris.*

h *Ad verbum planè, ex Nouel. vt lic. mat. & auiæ. §. nūc autem causas ex quibus maritus. & l. consensu. C. de repudiis.*

CAVSAE MATRIMONII SOLVENDI, EX PARTE VXORIS.

CAVSAS[h] ex quibus vir ab vxore disiunctus dotem potest lucri facere, eius tamen proprietate liberis eiusdem matrimonij reseruata, aut si nulli extent liberi, ipse etiam dotis frui proprietate, has

statuim

ſtatuimus: Si quibus aduerſus imperium quippiam molientibus conſcia ſit mulier, neque hoc viro planum fecerit. Quòd ſi & vir hoc ab vxore denuntiatum reticuerit, vxori licet hoc per quamlibet perſonam imperio denuntiare, vt vir ex hac cauſa nullam dirimendi matrimonij nanciſcatur occaſionem. Si adulterij conuinci poſſe vxorem vir putârit, virum priùs oportet nomen vxoris aut etiam adulteri deferre. Ac ſi eiuſmodi accuſatio vera comperiatur, tunc diuortio facto, virum vnà cum donatione ante nuptias dotẽ quoque habere: & ad hæc, ſi liberos non habeat, tantum ex reliquis vxoris facultatibus conſequi, quanta eſſe tertia dotis pars comperietur, vt eius dominio & dos & iam à nobis præfinita pœna adiudicetur. Nam ſi ex eodem coniugio liberos habet, iubemus & dotem & reliqua mulieris bona, iuxta ea quæ ſuperioribus legibus cauta ſunt, filiis reſeruari, atque ita adulterum legitimè conuictum, ſimul cum vxore pœnas perſoluere. Qui quidem adulter ſi vxorem habet, recipere illam, & propriam dotem & propter nuptias donationem. Itaque ſi liberos habeant, ſolo donationis vſufructu potiri mulierem, proprietate iuxta legum præſcripta filiis ſeruanda. Reliquas viri facultates eius donamus filiis. Vbi verò nulli ſubſunt liberi, donationis quidem ante nuptias proprietatem mulieris eſſe ſancimus, cætera viri bona fiſco, quemadmodum priſcis legibus ſtatutum fuerat, adiudicari. Si quoquo modo mulier vitæ mariti inſidiata fuerit, aut aliis id ſtruentibus conſcia, viro non indicarit. Si cum externis viris, inuito marito conuiuia agitet, aut ſimul lauet. Si nolente viro extra ædeis manſerit, niſi hoc fortè apud parentes. Si equeſtribus ludis, theatris aut venationibus ſpectãdi cauſa interfuerit, viro ignorante aut prohibente. Si quem ergò citra aliquam ex dictis cauſis vxorem domo expellere contigerit, vt illi cum parentes non habeat in quorum ædeis ſeſe poſsit recipere, neceſſariò foris ſit pernoctandum, interdicimus ne viro facultas detur ab vxore hoc nomine diuertendi, cùm huius ipſe rei autor extiterit.

CAVSAE, EX PARTE VIRI.

CAVSAS verò propter quas meritò poteſt vxor [a] ſeſe à viro disiungere, ac vnde poteſt & dotem accipere, & propter nuptias donationem exigere, eius ſimiliter proprietate liberis reſeruanda, aut liberis non extantibus etiam ipſa eius conſequi proprietatem, has conſtituimus: Si aduerſus imperium aut ipſe quid molitus fuerit, aut molientibus conſcius, id imperio vel per ſeſe vel per quancunque aliam perſonã non indiciũ fecerit. Si quoquo modo vir vitæ vxoris ſit inſidiatus, aut aliis inſidias ei ſtruentibus conſcius vxori nõ renuntiârit, nec legibus vlciſci vxori factas inſidias laborârit. Si vir vxoris inſidiãs pudicitiæ, etiã aliis ipſam adulterandã proſtituere tentârit. Si vir vxorẽ adulterij reã fecerit, nec conuicerit, vxori ſi modò id velit, liberum eſſe ob hanc cauſam à viro diuer-

a *Ead. Nou. §. cauſas*

tere, & propriam quidem dotem recipere, quin & ex vniuersis viri facultatibus, donationem quoque ante nuptias referre: ac pro tali calumnia, si ex eodem coniugio liberi non extent, tantum ex iis quæ supersunt viri facultatibus, posteaquam doti & ante nuptias donationi satisfactum fuerit, percipere, quantus esse ipsius donationis triens perspicietur. Nam si extant liberi, iubemus vniuersum viri patrimonium his seruari, in suo perstantibus robore iis quę de donatione ante nuptias aliis sunt tradita legibus. Sic tamen vt propter institutam nec tamen conuictam adulterij accusationem illis quoque vir pœnis subdatur, quibus erat mulier subdenda, si obiecti criminis rea peracta fuisset.

EADEM.

a §. si quis in sua domo.

Si vir in iisdem ædibus [a], in quibus vnà cum vxore degit, contemptui eam habens, cum alia inueniatur consuetudinem habens, aut in eadem etiam vrbe agens, in aliis ædibus cum alia muliere assiduè versari conuincatur, imò & semel atque iterum incusatus & insimulatus aut per suos, aut per vxoris parentes, aut alios quospiam idoneos ac fide dignos testes, sese ab eiusmodi petulantia non abstinuerit, liceat vxori etiam ob hanc causam matrimonium dirimere, dotémque datam & donationem ante nuptias recipere, ac insuper pro eiusmodi contumelia, trientem æstimationis ad quam ascendit donatio ante nuptias, ex reliquis eius bonis capere: sic tamen vt si filios habeat, solo vsu fruatur mulier rerum quas ex donatione ante nuptias & pœna tertiæ partis bonorum viri consecuta est, proprietate communibus liberis reseruanda. Quòd si filios ex eodem coniugio non habeat, eam iubemus etiam plena eiusmodi rerum proprietate potiri. Enimuerò si quis vxorem suam flagris aut fustibus cæciderit [b], absque vlla ex iis causis quas aduersus vxores ad soluendum matrimonium idoneas censuimus, connubium quidem inde solui nequaquam patimur. Virum autem volumus qui ab eiusmodi causa comperietur & conuincetur vxorem suam flagris aut fustibus cæcidisse, tantum pro tali iniuria, ex cæteris bonis suis quæ videlicet residua fuerint subtracta vxoris dote, vxori dare etiamnum constante matrimonio, quantum efficit tertia pars donationis ante nuptias, quod & hypobolum dicitur. Siue milites fuerint [c] siue fœderati, Græcis ὑπόσπονδοι, siue scholares, siue qui alij ad quodcunque aliud armatæ militię genus delecti, iubemus quantiscunque annis hi in expeditione manserint, hoc est in stipendiaria ac publicè instituta militia, expectare horum vxores, etsi nec literas nec responsum vllũ à maritis acceperint. Quòd si qua ex eiusmodi mulieribus virum esse defunctum acceperit, ne tum quidem ei secundas aggredi nuptias permittimus, nisi priùs adierit aut per sese, aut per suos parentes, aut per aliam quamuis personam, ad chartularios, legatos, & tribunos numeri in quo vir suus militabat, rogâritque & ab his cognouer

b Ead. Nou. §. si quis autẽ propriam. & d. l. consensu. C. de repud.

c §. quod autem à nobis sancitum est. vnde sumpta est Authent. hodie quantiscunque. C. de repudiis.

gnouerit, an reuera maritus decesserit, ita vt illi sacris adhibitis euangeliis perinde ac dum quid in acta ac monumenta refertur, deponant, sítne reuera eius vir mortuus. Quibus per actis, monumentísque super huius rei attestatione receptis, iubemus vt adhuc per annum expectet: quo elapso iam ei legitimè liceat nuptias contrahere. Quòd si his non obseruatis ausit mulier secundum ingredi matrimonium, & ipsa & qui eam duxerit tanquam adulteri pœnas danto. Porrò si ij qui in conficiendis monumentis, interposito iureiurando deposuerunt, falsò posteà deposuisse deprehensi fuerint, ipsi quidem exauctorati decem auri libris mulctantor, illi persoluendis quem mortuum commenti fuerant. Is autem facultatem habeat vxoris suę, si ita ei visum fuerit, recipiendæ.



FINIS QVARTI LIBRI.

LIBER QVINTVS, DE TESTAMENTIS ET TVTORIBVS.

DE TESTAMENTO EORVM QVI SVI IVRIS SVNT.

TITVLVS I.



ESTAMENTVM Est[a] iusta voluntas ac sententia de iis quæ quis post mortẽ suã fieri velit. In eo qui testatur, mentis integritas[b], non corporis sanitas exigitur. Mas expleto[c] anno ætatis decimo quarto testatur, fœmina duodecimo. Testamenta ex iure tripartito[d] conflantur, ciuili, cõstitutionũ, ac prætorio. Ex ciuili quidẽ iure id habent, quòd præsentibus testibus vno contextu continuè celebrẽtur. Ex cõstitutionibus, testatoris testiúmque subscriptiones ortum habuere. Porrò sigilla & testium numerus à prætore descendunt. Cæterùm vniuersæ huic obseruationi, quo fraude omni testamentorum confectio vacet, & ab omni dolo testamenta pura sint ac syncera, illud insuper est adiectum, vt sua manu testator hæredis nomen scriptura exprimat, sese hunc hæredem instituisse. Quod si non fecerit, à testibus necesse est hæredis nomen exprimi. Et quoniam testes diximus oportere testamenti tabulis sigilla sua apponere, illud scito, posse omnes vno annulo[e] testamẽtum signare. Etiam noctu[f] signatur ac subscribitur testamentum.

a l.j. de testamen
b l.ij.eod.
c Imò & incœpto. l. qua ætate.eod.& l. iiij.C. qui testamen. fac.poss.
d §.sed cum. Institut. de testamen.
e §.possunt autem. Institut.eod.
f l.ad testium.§.posse.ff.eodem.

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

Vult, etsi solum testes proprium alicuius hominis esse testamentum dixerint, nihil in eo amplius requiri, sed firmum esse ac stabile: neque id tantum, si adhibita non sint signacula, sed & si vnà cum signaculis, testium quoque subscriptiones desiderentur.

EIVSDEM.

Insuper & illud addit de testamento non signato à magistratu, vt vel ex sola testiũ subscriptione fides ei non denegetur. Qui tabulas testamenti perscribit, rectè in eo testis adhibetur[g]. Adulterij damnatus, ad testamentum faciendum adhiberi testis[h] non potest. Itaque si in testamento subscripserit, irritum est testamentum.

Id verò fit[i], si cum hic subscribebat, certum erat atque exploratum de hac condemnatione, non item si ignotum & occultum. Nam si clàm erat, non ideo infirmatur testamentum.

g l.Domitius.eod.
h l.scio quidem. de testibus.
i Scholium esse videtur, cui consonũ est, quod ab Vlpiano scribitur l. ad testium.§.j de testa.

Qui

Qui in aduersa [a] corporis valetudine furere cœpit, furoris tempore testari non potest: per interualla quibus furor est intermissus, potest. Si quis cum multa dixisset, velletque & alia dicere, obmutuerit, ne ea quidem quæ antè dixit [b] vllius momenti sunt. Surdus ac mutus [c] non semper testantur. At testamentum antè factum ratum permanet.

SCHOL.

Loquimur hîc & de surdo qui omnino non exaudit, non de eo qui tardiùs audit. Ille enim testatur. Et mutum rursus eum dicimus, non qui tardè loquitur, sed qui eloqui nihil potest. Cæterùm quod dictum est, non semper, ideo adiectum est, quòd sæpe quis eruditus ac literis imbutus, casu aliquo aduerso, aurium aut linguę vsum amiserit, qui quidem haud dubiè testari potest. Enimuerò si quis testamento iam condito, aduersa valetudine, aut ex supplicio quo eum præses affecerit, aut denique quouis alio ex casu mutus & surdus effectus fuerit, anteà factum testamentum vires suas retinet.

Errantes vel de statu suo dubitantes non testantur [d]. Deportatus [e] testandi ius non habet: cuius nec id quod antè fecit testamentum valet. Eadem & de iis dicenda, qui in metallum aut ad ferrum aut ad bestias damnantur. At relegati in insulam, & eius qui in custodia antequam damnaretur defunctus fuerit, & eius qui manus amisit, valet ac ratum est testamentum. Is cui lege bonis interdictum est [f], nec testamentum facere, nec testis ad testamentum adhiberi potest. Neque item qui ob carmen famosum damnatus est.

SCHOL.

Cui enim bonorum suorum administratio est interdicta, ei nullo pacto lex testari permittit. Nisi si fortè nondum vrgente morte pro animæ suæ salute nonnulla fieri mandauit [g]. In hac enim atque adeò sola eius voluntate testamentum, si quod fecerit, vim habere volumus. Cæterùm quod ante profusionem fecerit, hoc est priùs quàm ei rerum suarum interdictio fieret, ratum [h] manet. Sed & si resipuerit, profusionéque ac luxu damnato, frugalem vitam instituerit, sic quoq; testatur.

Testamentum eo tempore factum, quo quis apud hostes captiuus [i] detinetur, non valet, quamuis qui captus fuerat redierit.

SCHOL.

Alij hæc tria capita statuunt, hunc in modum: Qui apud hostes est [k], non potest apud eos testari, etiamsi eum contigerit ad nostram ciuitatem redire. Apud nos verò factum testamentum valet, etsi qui testatus est, posteà in hostium potestatem veniat. Siue enim ab hostibus postliminio redierit, siue apud hostes decesserit, vtrinque ratum est ac stabile testamentum.

Captiui testamentum perinde valet [l], ac si nunquam captiuus fuisset. Licet ab hostibus captorum, iure ipso testamenta fiant irrita [m], tamen siue reuersi fuerint, iure postliminij vires suas recipiunt, siue ibi decesserint, lege Cornelia confirmantur [n].

NOVELLA.

Porrò vigesimaquinta Cæsaris Leonis Nouella, captiuis testandi facultatem dat, & ex scripto & citra scriptum, adhibitis quinque vel tribus testibus, quæque ab ipsis testamento cauta ac ordinata fuerint approbat: nisi quis res suas vellet nollet, ad hostes coactus transferre, sic testatus fuerit. Tum enim haud quaquam rata erunt quæ

ei in

a *l. in aduersa. eod. l. furiosum. C. qui testamen. facere poss. & Instit. quib. non est permiss. fac. test. §. furiosi.*

b *l. si quis cũ testamẽtũ. de testa. Fallit in liberis. l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. eod.*

c *l. qui in potestate. sub fin. eod. l. discretis. C. qui testa. fac. poss. §. item surdus. Instit. quib. non est permiss. fa. testa. & ibi Theophil. vnde & scholium magna ex parte sumptum est.*

d *l. de statu suo. de testamen.*

e *l. eius qui. §. j. & vlti. cum duabus legibus sequen.*

f *l. is cui lege. & §. item prodigus. Institut. quib. non est permiss. fac. testam.*

g *Facit huc l. j. & l. generali. de sacros. eccles.*

h *d. §. item prodigus. Instit. & d. l. is cui.*

i *l. eius qui apud hostes. in prin. eod. & §. vlti. Institu. iam dicto tit.*

k *Ad verbum penè ex Theoph. d. §. vlt. Institut.*

l *l. lege Cornelia eod.*

m *l. si quis filio. §. irritum. de iniusto rup. & irri. fact. test.*

n *Ead. l. §. penult.*

ei in condendo testamento visa fuerint. Testamenti faciendi facultas cæco [a] detur, siue ab ortu, siue ex vitio aliquo ac morbo cæcus sit, idque septem aut quinque conuocatis testibus, atque hærede signis, vitandi erroris causa, expresso.

a §. pen. Institu. quib. non est per. fac. test. l. hac consultißima. C. de testa.

DE OCCVLTO [b] TESTAMENTO.

OCCVLTO minúsque solenni testamento non acquiescitur, nisi id propria subscriptione vallârit testator. Ac ideò nec mulieres, nec illiterati testari possunt.

b Μυστικὴν διαθήκην occultum testamentũ appellat, imperfectum & in quo solẽnitates iuris nõ obseruantur. de quo in d. l. hac consultissima. §. ex imperfecto. & l. inter oẽs, cum Auth. subiecta, si modò. C. fam. hercisc. quæ est sumpta ex No. de tri. & semis. §. & quod sæpe.

Videtur [c] lex hoc loco vetustum illum morem sequi, quo mulieri non erat permissum literis ac instrumentis subscribere, & quas vellent tabulas subscriptionibus suis firmare.

c Scholium.

NOVELLA EIVSDEM, DE EO VT CAEcis illiteratis ac mulieribus testari liceat,

Ita inquit: Occultis hominum dispositionibus, siue cæcorum sint, siue aliarum quarumuis personarum, plenum robur tribuimus, illud insuper sancientes, vt cum iurata testium ac eorum quibus scribenda mandantur subscriptione celebrentur, quòd verè illa perscripserunt, quæ ab illa ipsa testatoris lingua dictante audierunt atque exceperunt. Si filiusfamilias [d] aut pupillus aut seruus testamentum fecerit, nullum est, etiamsi sui iuris, pubes aut liber factus decesserit. Etsi communes res habent fratres, nullus tamen ipsorum testamento quemcunque libuerit hæredem facere prohibetur [e]. neque id obstat, quòd indiuisas res retinuerint.

d l. si filiusfamilias. de testa. Insti. quib. non est per. fac. test. in princ.

e l. j. C. qui testa. face. poss. l. si fratres. §. idem respondit societatem. pro soc. ff.

DE OCCVLTO TESTAMENTO HAEC quoque adiicere visum est.

Si quis literarum gnarus [f], inter liberos suos velit nouißimo iudicio de rebus suis statuere, primùm quidem ipsis tempus præscribat, deinde & eorum nomina exprimat, & insuper vncias in quibus eos hæredes scribit: quæ quidem non numerorum notis indicentur, sed integris explicentur literis, vt apertè vndique & citra vllam controuersiam relinquantur. Ac si quidem etiam res suas inter liberos partiri, aut certis quibusdam rebus vel omnes vel nonnullas hæredum institutiones complecti voluerit, horum quoque certa adscribat indicia, quò eodem omnia literarum genere expressa, nullam vltrà liberis contendendi occasionem relinquant. Nisi fortè aut vxori aut externis personis vult legata, fideicommissa, vel etiam libertates relinquere. Sed & hæc propria manu à testatoribus adstantibus testibus expressa, omnia vt in voluntatis suæ sentẽtia, ordine digesta ipsimet & scripserunt & valere volunt, valeant & plenum robur obtineant: nihil omnino ex eo infirmanda, aut minus virium habitura, quòd in charta scripta, reliquam testamentorum solennitatem haud quaquam admisisse videantur. verùm id solum apud se testator statuat, dextræ suæ ac linguæ vim eam omnem tribui, quæ chartæ tribuitur. Ac si ad mortem vsque hæc testamenti facies ac ratio perman

f Ad verb. ex Nou. de test. imperfe. §. j & ij. vnde sumptæ sunt Authen. quod sine. & hoc inter liberos. C. de testa.

ferit, nemo postea testes ex aduerso producat, tanquam is fortè voluerit eiusmodi variare aut commutare voluntatem, aut aliud quippiam facere: cui sanè quod erat factum conuellere ac infringere licebat, alia de rebus suis sententia & iudicio constituto, quo nouissimam voluntatem suam planam faceret, quam & semper præ cæteris valere oportet. Huius nanque rei potestatem ei facimus, dum illud ipsum palàm adhibitis septem aut quinque testibus denunciet, à se quidem ita antè de rebus suis statutum fuisse, non tamen iam se velle iudicium illud valere, sed aliud constituere. Atque hoc faciat vel pleno ac iusto testamento, quod omnes testamentorum in se notas complectatur, vel non scripta quidem sed tamen omnibus numeris absoluta voluntate, vt aut scripta aut non scripta voluntate ac extremo iudicio relicto decessisse videatur. Ac tum quæ superiori voluntate statuerat, omnia fient irrita, per posterius quod pleno iustóq; testamento aut voluntate expressit iudicium.

Si quis testamento hæredem quempiam reliquerit, ac scripserit velle se, illum has atque illas res habere, in quibus aliquas silentio præterierit, & eas hæres vendicat [a], quæ nominatæ non sunt. Quòd si quis testamentum faciens, tutorem hæredem scripserit, iubēs eum sibi hæc & hæc habere nonnullis prætermissis, in res huiusmodi non memoratas succedent cognati ab intestato [b]: nisi id ad testamenti calcem adiecerit: Si quid ex bonis meis haud memoratum comperiatur, volo id quoque tutori meo cedere. Pater testamento res suas inter filios distribuens, partes ipsas statuat [c], aut particulatim distributiones faciat, & vel ipse has subscriptione sua roboret, aut efficiat vt filij distributioni subscribant, hoc nimirum nulli ex liberis esse præiudicio. Si quis [d] facto primo testamento, secundum facere voluerit, non aliàs antè factum testamētum infirmetur, quàm si secundum iure consummatum fuerit. Nisi fortè, cùm superiori testamento eos hæredes scripsisset, qui ab intestato ad testatoris hæreditatem venire, hoc est sibi succedere non poterant, eos secunda voluntate scribere instituerit, qui ab intestato ad suam hæreditatem vocantur. Eo enim casu etsi infirma videatur secunda scriptura, primo tamen elāguescente testamento, secundam voluntatem non quidem vt testamentum, sed vt intestati voluntatem vim suam habere sancimus. Qua quidem in voluntate quinque testium iuratorum depositiones sufficiunt. Quod si non fiat, valere primum testamentum, etsi qui in eo sunt scripti, externi videantur. Si quis cùm sanæ mentis esset, testatus [e], sibi postea mortem consciuerit, non alicuius sceleris conscientia, sed aut vitam auersatus, aut rabie dolorísve impatientia actus, aut diuturno morbo detentus, valet eius testamentum. Quòd si futuræ pœnæ metu, sponte sibi allata morte supplicium anteuertit, ratam eius seruari voluntatem leges vetant.

Qui fieri aut mutari testamentum prohibuerit, quòd vel legitimam vel ex priori testamento captet hæreditatem, excidit successio-

a Facit §. hæreditas. sub fin. Inst. de hær. inst. & l. interdum. §. j. ff. eod.

b Hoc sanè ratione vacat. Quî enim in tutore magis hoc quàm in alio? Præterea iure ciuili nō potest quis pro parte testatus pro parte intestatus decedere. l. ius nostrum. de regu. iur.

c d. Nou. de tri. & semiss. §. & quod sæpe. vnde Authent. si modò. C. familiæ hercisc. sumpta est.

d Ad verbum ex d. l. hac cōsultissima. §. pen. facit l. sancimus. eod. & §. posteriore. Insti. quib. mod. test. infir.

e l. ij. C. qui test. face. poss. facit & huc l. vlti. §. vlti. de bonis eo. qui ant. sentent. mor. sib. consc. & l. eius militis. in prin. de milit. test.

ne, vtpote cùm ea in quæ successurus erat publicentur[a]. Non ciuili modò, sed & criminali actione conuenitur[b], qui quempiam cogit, vt sese hæredem scribat. Nanque vt præsentis tituli constitutione cauetur[c], relegatur quisquis hoc admiserit, & indemnem præstat eum qui erat scribendus hæres. Si constiterit[d] testatorem dum plures vellet hæredes pronuntiare, voce præclusa obmutuisse, ne nominati quidem ab eo, hæredes erunt. Si quis principem testamento hæredem scripserit, mutandi huius testamenti facultatem habet[e], ac pro Principe cuiuslis alterius hæredis instituendi. Si nolit testator[f] ea esse testibus cognita, quæ in testamento sunt conscripta, obuolutam duntaxat scripturam, vel etiam à se signatam, testibus subscribendam offerat, ac dicat eis, propriu m esse testamentũ. Posteà verò simul à testibus subscribatur & obsignetur, atque ita plenum robur habeat. Nec septem modò, sed & quinque[g] testes cuilibet adhibiti testamento seu scripto seu non scripto, ratum id ac stabile faciunt. Qui tamen in bello vulneratus, ac in via obambulans morti propinquus est, is non solùm tribus adhibitis restibus testamentum faciet, sed & duæ solæ[h] fortuitu inuentæ personæ, propter eum in quem incidit casum, possunt eius testamentum firmum ac validum reddere. Milites in expeditione degentes[i] supremum voluntatis suæ iudicium edituri, quoquomodo velint ac possint testentur, & quoscunque libuerit testamento complectantur. Itaque siue quis eorum in vagina aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus, quid notârit, siue quid pulueri ac humo, ense suo inscripserit, quo tẽpore contingit eum in conflictu animam exhalare, eiusmodi voluntatem ratam esse ac stabilem conuenit. Etiam imperfectum militis testamentum[k] valet. Rumpitur prius testamentum, posteriori iure perfecto[l], etsi prius scriptum erat.

DE MVLIERIBVS.

SI quis vir cum vxore collocutus blando ac maritali sermone placatam ac pellectam eam eò induxerit[m], vt sese hæredem scribat, haud quaquam vim afferre videtur. Si prægnantem mulierem dum in balneo lauaret, decedentem contigerit non scriptum testamentum præsentibus nouem fortè illic repertis mulieribus facere, valet testamentum. Admittentur enim hæ in eorum testimonium, quæ à decedente muliere cauta sunt & statuta.

Qui testamento hæres instituitur, in eo testis[n] esse non potest. Secus est in legatario, & eo qui tutor datus est. Ne decenij præscriptione testamentum tollatur[o] ac euanescat. Nemo potest alterius testamentum scribens, sibi legatum adscribere[p]. Iubet constitutio[q], vt si quis deinceps restitutionem rerum suarum fecerit, primùm quidem filio portionem legitimam reseruet, non quartam (id enim iam emendauimus, magna eius tenuitate obliterata) sed trientem omnino aut semissem pro numero liberorum. Deinde & in reliqua bonorum parte, vbi legitima portio par non est doti aut ante

nuptias

a Quod vt sit intelligendum, vide Accur. l. j. si quis aliq. test. prohib. in glos. ad verbum, fisco locum. & C. eodẽ. l. ij.

b l. j. C. eodem.

c Hoc habes in Nou. vt nul. iu. §. & hoc peruenit.

d l. si quis cũ. de testa.

e l. si quis Imperatorem. C. qui testa. fa. possunt.

f l. hac cõsultißima. in princ. de testa. C

g Ius nostrũ semper vij postulat. Necessitatis causa interdũ quinque adhiberi permittit. l. vl. C. eo.

h Oportet enim legitimis probationibus testamentũ factum constet. l. diuus. & l. Lucius. iuncta gl. ij. de mil. testamen. Alioqui & sine teste facit testamentum. l. milites. C. eo.

i l. j. eod. l. milites. C. Inst. eod. in prin.

k l. miles si testamentum. eod.

l d. §. posteriore. Inst. quib. mod. test. infir. l. ij. ff. de iniusto rupto.

m l. vlt. ff. & C. si quis al. test. prohib.

n l. qui testamento. ij. de testam. §. sed neque hæres. & §. legatarius. Inst. eod.

o l. sancimus. C. eod.

p Nam falsi tenetur. l. diuus Claudius. in princip. Ad leg. Cornel. de falsis.

q No. de restit. & ea quæ par. in xj men. §. quamobrem præsentem. & Authẽ. res quæ. C. commu. de leg. quæ inde petita est.

nuptias donationi constituendæ, ac pro decoro dignitatéque personarum metiendæ, tantum facultatũ suarum eximat, quantum legitimæ portioni adiectum, dotem aut donationẽ ante nuptias perficit.

Multa sunt quæ testamentum perficiunt [a]. Ac primùm quidem septem vel quinque testium numerus, quem ex necessitate habere debet testamentum: item signacula septem aut quinque testium, & pleraque alia: sed ante omnia, hæredis qui in eo scribatur, institutio. Etsi enim dictas omnes solennitates habere testamentum comperiatur, nullus tamen in eo scriptus extet hæres, eam ob causam irritum erit, & corruet testamentum [b]. Docet ergò nos præsens constitutio [c] si inuentum fuerit testamentum, in quo verbum aliquod sit adiectum, quod intelligi nequeat, id omnino pro non scripto habendum esse [d]. Cuius sanè rei hanc licebit effingere speciem [e]. Cum Petros multos mihi amicos haberem, & decedens testamentum facerem, ita in eo scripsi: Heredem instituo Petrum amicum meum. Cum ergò varij tales sint Petri testatoris amici, nec apertè sit expressum quis inter hos sit hæres futurus, inualida est eiusmodi scriptura, ac pro nulla habetur, neque quisquam ex ea erit hæres. At verò vbi hæres prorsus non est, constare testamentum haudquaquam potest, sed collabitur planè.

Quæ in testamento intelligi non possunt, pro non scriptis sunt [f].

Quæ in testamento repugnant [g] inter se, nullius momenti sunt.

Tum ea quæ testamento cauta sunt, exitum suum assequuntur, cum & initium haud quaquam vitiosum habuerint [h].

DE TESTAMENTO EORVM QVI ALIENI IVRIS SVNT. TIT. II.



PECVLIVM [i] In iis spectatur, qui sub potestate sunt. Vnde peculiorum in genere, quædam sunt ἰδιόκτητα, hoc est proprio alicuius labore parta, castrensia vel quasi castrensia vocãt. Quædam verò paganica [k]. Et ἰδιόκτητα quidem sunt, quæcunque quis sibi specialiter, aut ex artificio suo, aut militia, aut dignitate qualibet, aut hæreditate quęsiit. Paganica verò quæ ipsis filiisfamilias à parentibus ministerij ac vsus causa data sunt, aut etiam ex datis quæsita. Porrò plurima sunt paganici & castrensis vel quasi, peculij discrimina [l]. Primum quidem illud quòd de castrensi peculio vel quasi, testatur filiusfamilias [m]: de paganico non potest, ne si hoc quidem pater iubeat [n]. Alterum, quòd filio infensus pater paganicum adimere potest peculium, castrense vel quasi, nõ item [o]. Tertium, si cuius ęre alieno pressi bona distrahantur à creditoribus, paganicum quidem filij peculium simul venditur: castrense nequaquã. Insuper & quartum, si multis relictis liberis pater decesserit, contigerítque vnum aliquem ex ipsis, simul paganicum habere ac castrense peculium, tum paganicum quidem omnibus qui in defuncti potestate fuerant filiis erit cõmune: castrense verò eius proprium ac præcipuum qui illud acquisierit [p]. Quæ ex longa peregrinatione, hyberníſque ac æstiuis expeditionibus, ac denique ex militiæ laboribus [q] filiisfamilias obueniunt, peculia sunt ἰδιόκτητα hoc est castrensia, de quibus & testari

a *De quibus d.l. hac consultissima de testa. & instit. eod. §. sed cum. Vide & suprà.*

b *Nam velut caput atque fundamentũ intelligitur totius testamenti, hæredis institutio. §. ante. Insti. de leg. l. vlt. de iure codicil.*

c *Hinc apparet hoc esse scholiũ in sequ. constitutionem.*

d *l. ij. de iis quæ pro non scrip. hab.*

e *Quæ sumpta est ex l. in tempus. §. quoties. facit l. duo sunt Titij. de testa. tut.*

f *d. l. ij. de iis quæ pro non scrip. hab.*

g *l. vbi pugnantia. de reg. iur.*

h *l. pen. de reg. iur.*

i *De varia peculij acceptione & distinctione vide glos. rub. ff de pec.*

k *Quo nomine & profectitia & aduentitia intellige. Sumpta enim est hæc peculij distributio ex l. vlti. C. de inoff.*

l *Hæc depromit ex Inst. in princ. quib. non est permiss. fac. testa. & Theoph. in eum locum.*

m *l. vlt. C. de inoffic.*

n *l. qui in potestate. de testa.*

o *l. miles. & l. ex nota. de castren. pecul. cum similib.*

p *l. j. §. nec castrense. de collat. bon. facit l. castrense. de cast. pecul.*

possunt. Si quid enim pro his, eorum parentes exoluerint, debent priùs filiifamilias ipsis refundere, ac tum liberum erit de eo quod superest testamentum facere[a]. Similiter & quæ ex censendi iudicandíve munere, ac patrocinio, & quauis alia dignitate, & quacunque arte parârint, ἰδιόκτητα sunt, nos quasi castrensia[b] dicimus. Peculium quadruplex est[c], ἀπροσπόριστον quasi haud profectum dicas, aduentitium nostri vocant: paganicum quod & profectitium, castrense, & quasi castrense. Aduentitia sunt quę ex materna hæreditate, aut auorum, proauorum, cæterorúmque ex parte matris cognatorum obueniunt. Horum vsumfructum quidem pater habet, dominium ac proprietatem[d] liberi. His similia sunt, & quæ ex cuiuspiam fortè beneficentia, & laboribus propriis filij comparant, item & nuptiarum causa. De quibus non datur testandi facultas[e] filio qui in potestate sit, sed nec patri antè decedenti: cum horum vsumfructum duntaxat pater habeat, filij proprietatem. Paganica quæ & profectitia, sunt, quæcunque causa atque ex rebus patris filio accedunt. Omnia verò eiusmodi, patris sunt, habetque in his pater & vsumfructum & proprietatem[f]. Nec de his filio testari licet, sed patri duntaxat priùs decedenti. Castrensia verò sunt, quæ proprio labore parta sunt, vt quæ belli armorúmque occasione filio obtigerũt. Horum & vsusfructus & proprietas[g] ad filium spectat, de quibus & testari, etsi in potestate sit, potest. Quasi castrensia sunt, quæ ex Imperatoris aut Augustarum munere quis consequitur, quorum itẽ nec vsumfructum nec proprietatem habet pater[h]. Item & quæ ex fratrum sororúmve hæreditate[i]: & quæ ex aliqua præfectura, vt annonæ, & quæ ex senatorio iudiciarióve munere: & quæ iussu principis alicui dantur frumentationes ex publico. Ac super rebus huiuscemodi, filio quoque familias testandi potestas fit.

DE TESTAMENTO LIBERTORVM.

TITVLVS III.



LIBERTVS Is dicitur[k], qui cum antea seruus esset, postea liber factus est. Qui verò eum manumittit, patronus appellatur. Cognatio[l] generale nomen est, quod in ascendentes, descendentes, & eos qui ex transuerso sunt vel à latere diducitur. Cæterùm hæc tria cognationum genera, in solis ingenuis spectantur. In libertis verò ascendentium cognationem veteres non nôrunt. Qui enim ascendentium in iis ratio habeatur, qui ipsi in seruitute sunt progeniti ac editi? Neque item eorum qui ex transuerso[m] sunt. Qui enim ascendentes non habet, profecto neque vllos habebit, quos ex transuerso contingat. Ex illis enim hi intelliguntur. Reliquum est, vt solam habeant descendentium cognationem, hoc est conceptorum & natorum sibi liberorum, nepotum, ac cæterorum deinceps. Vnde si libertus intestatus decesserit, extétque ei filius vel ante vel post manumissionem conceptus, ac simul

cum eo

a d.l.vlt.C.de inoffic. testam.

b Ead.l.item l.sacrosanctæ, & l.cum lege. de episcop. & cleri.

c Quæ diuisio ex variis legum locis colligitur, ponitur apertißimè ab Accur. l.cum oportet, versic.exceptis.C.de bon.quæ lib.

d d.l. cum oportet, in princ. Institut. per quas person. nob. acquir.§.j.sub fi.

e l.vlti.§.filiis autem familias.C.eod.

f d.§.j.§.sancitum.Instit.eodem.

g d.l. cum oportet.§. exceptis.

h l.ead.§.eodem.

i No.de hæred.ab intesti veni. §.si verò cum ascendentibus. vnde sumpta est Authent.item hæreditas.C.d.tit.

k Instit. de libert. in princip.

l Ex Theoph. Instit. de success. libert.in princip.

m Hæc verba, οὔτε τοὺς ἐκ πλαγίου, in Gr exempl. desiderantur. Verùm ex Theoph. necessariò huc adscribenda sunt.

cum eo vel etiam antè manumissus, is ad patris hæreditatem vocabitur: quo non extante, patronum lex prudenter & acutè substituit. Sin testatus patronum præterierit, nullis relictis liberis aut etiam nepotibus: aut relictis quidem, sed quos decedens exhæredes fecerit, nec possint hi filij testamentum querela inofficiosi rescindere, tum sanè patronus tertiam[a] bonorum partem ea lege auferet, vt nec vllũ eius legatum præstare compellatur. Nec verò solùm patronus & patrona & ab his descendentes, legibus eo quo dictum est modo, ad liberti vocantur hæreditatem, sed & ij qui ex trãsuerso horum sunt, ad quintum vsque gradum[b]. Quòd si eiusdem patroni aut patronæ, aut duorum duarúmve aut etiam plurium subsint liberi, qui gradu propinquior est, in res liberti succedet. Et si fortè vnius patroni tres sint filij, alterius tres, in quinque dispertienda erit hæreditas. Quod & idem in iis, qui ex transuerso latere veniunt, seruabitur.

Decedente liberto descendentes primi vocantur, post quos ascendentes liberti & fratres[c] qui liberi sunt. His deficientibus patroni: idq; siue vltro, siue ex fideicommissi restitutione manumissi fuerint.

Libertus sine liberis decedens, si de rebus propriis testetur[d], debet patrono aut iis qui ex eius parte sunt, bonorum suorum trientem.

Siquidem minores[e] habeant liberti centum nummis facultates, nequaquàm morosiùs quicquam de ipsis statuimus, sed tum sanè testari his, vt vt voluerint, liberum esto. Sin maiores sint centenariis ac testentur, liberis non extantibus necesse habeant liberti tertiam facultatum suarum partem patronis relinquere. Ad eius verò hæreditatem ab intestato, vocantur & patroni descendentes, & qui ex transuerso sunt, vbi nimirum non fuerint descendentes, ad quintum vsq; gradum. Atque ad testamenti quidem querelam, vt trientem sibi patronatus iure debitum consequatur, patroni admittuntur, horúmq; liberi ac nepotes ac deinceps, ad quintũ duntaxat gradum. Qui verò ex transuerso sunt, contra tabulas testamenti expostulationem non habent, vt externis videlicet scriptis hæredibus, ipsi tertiam in liberti bonis accipiant. Patronæ liberi etiam vulgo concepti[f], habent aduersus libertum suum bonorum cõtra tabulas possessionem: patroni verò, non nisi legitimi ac iure quæsiti.

a *Cum ea distinctione quam habes §. sed nostra. Instit. eo.*

b *§. multis.*

c *Hac de re, an liberti frater patrono præferatur controuersia fuit inter Io. & Azon. Hic præferri censet liberti fratrem, ex Institu. de serui. cognat. circa princip. ille patronum, ex l. intestato de suis & legit. l. liberto. de bon. libert. & l. ij. C. si in frau. patr. Hìc quæstionẽ decisam aduerte.*

d *d. §. nostra. sub fin.*

e *eod. §.*

f *l. patronæ. de bon. libert. fac. §. pen. Inst. de senat. Orfic.*

DE TESTAMENTO EPISCOPORVM ET MONACHORVM. TITVLVS IIII.



QVÆCVNQVE Episcopus[g] ante episcopatus ordinem habuit, ea donare atque alienare arbitratu suo potest, quin & de his testari. Quæ verò ex quo designatus est episcopus, parauit, ad eius ecclesiam spectant, ac neque de his testari potest: nisi fortè à parentibus, patruis, auunculis aut fratribus ad eum redierint. Mona-

g *Nou. de eccl. titu. §. interdicimus. & Authẽ. licentiam. inde sumpta. C. de episc. & cleri. Conc. c. j. extr. de testam. & c. nulli dubium. c. fixum. xvj. q. v.*

ſterium ingreſſurus[a], antè de rebus ſuis ſtatuat ac teſtetur,quàm ſeſe eò conferat. Si quidem monaſterio,vbi primùm eò ſeſe receperit, res eius omnes addicuntur,etſi apertè ſe eas intuliſſe non dixerit,nec iam vlla ratione earum erit dominus. Paulò tamen aliter Cæſaris Leonis Nouella ſtatuit: Si quidem,inquiens, deprehenſus quis fuerit,quo tempore monaſticum vitæ inſtitutum delegit, ſeſe eccleſiæ conſecraſſe,de iis quæ poſteà quæſierit,nulla ei vis fiat,quò minùs liberum ei ſit pro arbitrio ſtatuere,ac ea omnia adminiſtrare. Quòd ſi nihil prorſus ab initio eſt monaſterio dicatum, tum bifariam eius facultates diſtribuantur,ita inquam vt vna portio beſſem,altera trientem complectatur. Ac de beſſe quidem is qui monachiſmum profitetur,quoquo modo viſum fuerit teſtetur: qui ſupereſt triens, monaſterio velut ſortis loco cedat. Et ſextus canon ſacræ ſynodi in Trullo habitę ita inquit: Qui monaſticæ vitæ ſeſe dedere voluerit,de rebus ſuis priùs teſtetur. Vbi enim ſemel monachiſmũ fuerit profeſſus,omnibus eius bonis pleno dominij iure potietur monaſterium. Quòd ſi quis monachus ex rebus ſuis quicquam ſibi retinuiſſe ac interuertiſſe deprehẽſus fuerit,ipſe quidem meritas pœnas luito: illud verò quod interuerterit, à præfecto ſeu abbate aut epiſcopo venditum,in mendicos ac egenos erogetur. Siue vir ſiue mulier[b] monachicæ vitæ genus delegerit,atq; adeò monaſterium ingreſſus fuerit, non facto priùs teſtamento,rebúſq; ſuis compoſitis,iam inde monaſterij dominio res eius omnes aſcribuntur,vbi ſcilicet detonſo nulli ſuperſunt liberi. Nam ſi liberos habet,datur ei facultas etiam poſteà quàm detonſus eſt,& condendi teſtamenti, & rerum ſuarum liberis relinquẽdarum,non tamen omnium: ſed perſonam ſuam vnà cum liberis cõnumerans,vnam ſibi portionem reſeruabit,quæ quidem debeat ad monaſteriũ ſpectare,& reliqua quæ lex dicit. Si quis cum filios[c] habeat, monaſticam vitæ rationẽ inierit, poteſt etiam vbi eſt profeſſus monachiſmum, bona ſua inter liberos partiri, ſibi parte, quæ & monaſterio cõpetit,reſeruata. Quòd ſi obierit inteſtatus, tũ eius liberi id ſibi capient,quod inteſtati iure ſolet percipi, hoc eſt Falcidiam[d]: quicquid eſt reliqui, datur monaſterio. Qui ex monaſterio in monaſterium aliud migrauit,fortunis ſuis[e] ſpoliatur.

a *Nou.de mona.§.illud quoque decernimus.& Authent. nunc autem cũ monachus.C.de epiſco. & cler. & Auth. ingreſſi. Conc.ca.in præſentia. extra de probat.*

b *Nou. de ſanct.epiſ. §.ſi qua mulier. vnde & Authent. ſi qua mulier. C.de epiſcop.& cleric.& c.ſi qua.xxix.q.iij. ſumuntur.*

c *Ead.No.§.eo.ſub fi.*

d *Id eſt quartam legitimam: quæ an ſtatim poſt ingreſſum monaſterij peti poſſit, diſputat Acc. d. §.illud quoque. Nou.de monach. in glo.adverbũ,detur.*

e *Quæ & à priori monaſterio vendicantur. Ea. No.§.ſi verò relinquens monaſterium.*

DE CONVVLSIONE SEV INFIRMATIONE TESTAMENTI.

TITVLVS V.



ESTAMENTIS Impedimẽto ſunt tria vitia[f]. Aut enim rumpuntur, aut irrita fiunt, aut imperfecta ſunt atque iniuſta. Quæ rumpuntur,aut in totum, aut pro parte rumpũtur. Ac in totum quidem ſex modis. Primus eſt,cum quis poſt factum teſtamentum ſibi quempiam filium adoptârit[g], idque vtrouis adoptionis genere. Secund

f *De quibus l. j. & per tot.titu.de iniu. rup.& ir.fac.teſta. Item & Inſt. quib. mod.teſta. infir.atque ibi Theoph.*

g *Inſt.eod.in prin.& l.certum eſt.ff.d.tit.*

Secundus, cum facto testamento aut testatore mortuo, filius natus fuerit [a], aut filio qui in potestate erat defuncto, nepos [b], etiamsi post institutos hæredes, illud in testamento sit adiectum, exhæredes sunto: nisi quid fortè legatum fuerit, aut mater ipsa abortum [c] fecerit. Tertius, cum adoptiuus [d] filius qui in potestate est, præteritus testamento fuerit. Quartus, vbi iure factum est posterius testamentum [e], siue quis ex eo hæres extiterit, siue non extiterit, eorum qui existere potuerant. Quintus, si secundum testamentum iure perfectum, hæredem alium certis ex rebus, priori tamen non cōfirmato [f], instituerit. Sextus, cum miles in supremis ordinandis, filio prægnātem [g] vxorem ignorârit. Si enim cum id militem non lateret, ventris tamen non habuerit mentionem, haud quaquam propterea testamentum rumpitur. Atque hæc de testamento, quod totum rumpitur.

DE TESTAMENTO QVOD PRO PARTE RVMPITVR.

PRo parte verò bifariam rumpitur. Primùm quidem, cum secundo testamento expressum fuerit, vt prius valeat, & eo interim alius hæres in rebus certis [h] institutus fuerit. Oportet enim hunc rebus sibi relictis contentum esse, etsi Falcidiam [i] non perficiant. Deinde item, si cum quis filiam haberet in potestate, vel nepotem neptémve, non tamen eos hæredes scripserit. Tunc enim non rumpitur quidem omni ex parte testamentum. Sed ipsi etiam hæreditatem adeunt. Ac si quidem externis ea est delata, hoc est alienis à cognatione, semissem capiunt sui & cognati. Sin verò suis est relicta, succedunt ex æquo cuncti [k].

DE IRRITO TESTAMENTO.

IRRITVM autem quatuor modis fit. Primus est, cum testator capitis damnatus [l], aut relegatus fuerit, aut si cum sui iuris esset, sese alteri adoptandum dederit, aut cum esset in potestate, emancipatus sit. Secundus, cum secūdo testamento iure perfecto, primum quidem rumpitur, posterius verò ob eorum causam quibus defertur hæreditas infirmatur, vtpote si aut hæreditati renuntiârint, aut morte præuenti fuerint ante eum qui testatus est, aut denique si sub conditione scripti sint hæredes, conditio autem defecerit [m]. Tertius, cum quis imperatorem [n] litis causa hæredem instituerit vel scripto vel non scripto testamento, nisi & aliter fortè eius hæreditati succedit Imperator. Etsi enim legibus soluti sunt principes, legibus tamen viuunt ac reguntur. Quartus denique, cùm sublatis [o] aut incisis signis ita quis testamentum fuerit, aut dixerit nolle se id valere. Quæ enim legibus constituuntur, legitimè dissolui [p] oportet.

a *Dicta l. certum. & l. ij. in prin. eod.*
b *Facit l. si quis filio eodem.*
c *Institut. de exhære. liberor. §. posthumi quoque. l. ij. C. de posth. hæred. instit.*
d *Instit. eod. §. adoptiui. & ibi Theophil.*
e *§. posteriore. Instit. quib. modis testam. infirm.*
f *Nam si prius sit cōfirmatum primo hæredi omnia per fideicommissum institutus in re certa restituit. l. si quis priore. ad Trebel. §. sed & si quis. Instit. quib. modis testam. infirmen. ac eo loco Theophil.*
g *l. militis. §. ij. de mil. testam. l. si cum. & l. sicut. C. eod.*
h *d. l. si quis priore. ad Trebel. & d. §. sed & si quis. Institut.*
i *Quam tamen supplere potest. d. §. sed & si quis. Et forsan ex Theophi. illud in Græco exēplari addendum, ὅμως δεῖ ἀναπληροῦσθαι αὐτῷ τὸ ἐλλεῖπον τῷ τετάρτῳ est tamē ei explendum quod quartæ desit.*
k *Hæc hodie sublata sunt. l. maximū. C. de lib. præter. Huius antiqui moris mentio fit & Institut. in princi. de exhæred. lib. ac ibi Theophil.*
l *l. si quis filium. §. irritū. de iniu. rupt. §. alio, & ibi Theoph. Institut. quib. modi. test. infir.*

m *d. §. posteriore. Instit. eod.* n *l. pen. de hæred. instit. & Instit. quib. mod. test. infir. §. vlt. Aliud videtur in priuato. l. ex hoc. §. sed hæredem. de ali. iud. mut. cau. fact. Huc fac. l. ex imperfecto. C. de test.* o *l. ad testium. §. si signa. de test. l. nostram. C. eodem. Obstare videtur §. penult. Inst. supra d. titu.* p *l. nihil tam naturale. de reg. iur.*

DE IMPERFECTO TESTAMENTO.

IMPERFECTVM verò quinque fit modis. Primùm si non præsentibus septem [a] aut quinque testibus iuxta ea quæ antè à nobis cauta sunt, factum sit testamentum. Deinde si cum adessent, non omnes tamen subscripserũt [b]. Tum si subscripserint quidem omnes, sed non omnes signârint [b]. Deinceps si testator propria manu hæredis nomen nec scripserit, nec in conspectu testium nuncupârit [c]. Postremò si cùm quis aut filios in potestate, aut ex his nepotes haberet, hos neq; hæredes neq; exhæredes scripserit [d], ídque etiamsi eos contigerit viuo adhuc testatore decedere, propter illam iuris regulam, qua cauetur, Quæ in testamẽtis ab initio non subsistunt, ex postfacto conualescere [e] non posse. In imperfecto [f] testamento, si vnà cum filiis etiam externa persona memorata fuerit, quod ad liberos quidem attinet, valet testamentum: quod verò ad externos, nullũ est.

Si filius sit præteritus [g], non valet testamentum, etsi ante patrem decesserit, neq; superius rumpitur, quo ipse forsan hæres institutus fuerat. Natus filius in potestate, etsi non integrum animal cum spiritu tamen vel execto ventre editus sit [h], testamẽtum rumpit. Si filius in potestate [h] κυοφορούμενος, hoc est qui in vtero gestabatur, in testamento præteritus, editus quidem sit, sed vocem non emiserit, aut planè quidem viuus in lucem prodierit, sed simulac in humum collapsus est, vel in ipsis obstetricis manibus decesserit, rumpit testamentum. Est autem κυοφορούμενος [i] Græcis, Latinis posthumus, qui post mortem parentis nascitur. Posthumos non oportet quocunque loco aut gradu exhæredes facere [k], vt ne agnascendo testamentum rumpant. Filij in potestate, qui apud hostes sunt, præteriti [l] testamentum non rumpunt. Imperfecto testamento primum non rumpitur, nisi fortè posterius vel iure militari sit factũ, vel in eo hæres eorum quis scriptus sit, qui ab intestato venire possunt [m]. Delata & imposita filio, eiusmodi quæ legibus improbata sit conditio, testamẽtum infirmat, vt quæ in eius potestate [n] non sit. Irritum fit testamentum [o], si libertatem qui testatus est amiserit, ab hostibus captus vel capite damnatus. Simul enim atque sentẽtiã passus est, irritũ eius fit testamentũ. Militibus tamen ex militari delicto dãnatis testari iure militari permittitur. Quin & si valere quod antea fecerunt velint, valebit. Eius verò qui deportatur [p], non statim irritũ fit, sed tũ demũ cũ princeps factum cõprobârit. Tũc enim & capite minuitur.

a *l. si non speciali. l. si vnus. C. de test.*
b *l. ad testiũ. §. si quis ex testibus. ff. eod. l. hac consultißima. §. subscriptum. C. eo.*
c *l. iubemus. C. eod. l. hæredes palam. ff.*
d *Instit. de exhæred. lib. in prin. & eo loco Theoph.*
e *l. quæ ab initio. de regul. iuris.*
f *§ ex imperfecto. d. l. hac cõsultißima.*
g *l. si filius. & l. inter cætera. de liber. & posth. l. si quis. in fi. de vulgar.*
h *l. quod dicitur. de liberis & posthum. l. etiam ea mulier. de verbor. sig.*
i *l. iij. §. j. de iniusto rupto. l. ij & iij. C. de posth. hær. insti.*
k *d. l. iij. §. vltim. ff. de iniu. rup. Adde & duas leges seq.*
l *l. pe. de lib. & posth.*
m *l. ij de iniu. rup. d. l. hac consultißima. §. pen.*
n *l. filius. de conditio. instit. l. iiij. C. de institut. & substitut.*
o *l si quis filio. §. irritum. de iniu. rup.*
p *Ea. l. §. eius qui deportatur.*

DE QVERELA TESTAMENTI ET CONTRA TABVLAS BONORVM POSSESSIONE. TIT. VI.



ARENTES, Liberi & fratres querelam inofficiosi [q] testamenti intendunt, non item & reliqui cognati [r]. Vt falsum tamen, hi quoque arguere possunt ac criminari. Ascendentes quidem & descendentes aduersus quamlibet personam, quæstionem de inofficioso mouent, exhæredati, vel sibi

q *Instit. de inoffic. in prin. l. j. ff. eod.*
r *l. fratris vel sororis. C. eod.*

legitima portione non relicta: nisi si quo modo ingrati erga testatorem fuisse deprehēdantur. At qui ex transuerso sunt, tum demū cum turpem scripti hæredes personam sustinēt[a], quòd forsan aurigæ, mimi, aut arenarij gladiatorésve sint, aut ex turpi consuetudine contracta cum his familiaritas. Qui testamentum inofficiosum improbè dixit[b], nec obtinuit, id perdit quod testamento accepit. Nam fisco vendicatur. A fœmina adoptatus ac præteritus, non agit[c] aduersus eius testamentum, cùm fœmina nullum adoptare filium sine iussu principis[d] possit. Quinquennio[e] summouetur inofficiosi testamenti querela, tempore non à testatoris morte, sed ex quo scriptus hæres adierit hæreditatem, currente. Qui bonorum possessionem contra tabulas postulat, excidit & legatis[f], & sibi mortis causa donatis, siue ea ipsi, siue cui eorum qui illi acquirunt relicta fuerint. Bonorum possessio[g] est ius, quo patrimonium aut res defuncti retinere licet. Mouetur autem & postulatur, à cognatis quidem ex transuerso intra diem centesimum[h], ab ascendentibus verò intra annum.

a *l. fratres. C. de inoff. & Insti. in prin. ac ibi Theoph.*
b *l. Papinianus. §. meminiße. de inoff.*
c *l. si suspecta. §. quoniam. eod.*
d *Imò nec si iussu principis, queri potest si extranea persona sit. l. cum in adoptiuis. §. sed ne. C. de adopt.*
e *l. scimus. §. vlti. l. si quis filium. in fi. C. de inoff.*
f *l. sub conditione. in fi. de bo. poss. contra tabul. Imò & omni commodo ex testamento. l. is qui. de vulg. l. ij. & l. v. §. qui principale. de iis quib. vt indig.*
g *l. iij. §. bonorum. de bon. possess.*
h *§. cum igitur plures. Insti. eod.*

DE CODICILLO.
TITVLVS VII.


I Quis testamento facto nonnulla prætermiserit, quæ ei adscribere instituerat, ac postea sibi in mentem venerint, tum solet chartulam aliam perscribere, in qua eorum mentionem faciat quæ obliuioni mandârat in testamento condendo. Et hæc appellatur codicillus[i], hoc est breuis quædam schedula seu libellus. Nam codicis quidem nomen totum librum & chartam significat integram: codicilli verò, minorem ac breuiorem. Fit sæpe codicillus & citra testamenti factionem[k], nempe cum quis ob causam aliquam, tempus forsan haud opportunum aut studium nō eam in rem propensum, nolit aut nō possit absolutum omni ex parte testamentum facere, déque rebus suis generatim statuere, tum de iis quæ omnino iudicârit necessaria, speciatim scribit. Atque hoc appellamus codicillum. Codicillus est[l], eius quod in testamento voluntati deest testantis supplementum. Interest autem inter testamentum & codicillum, quòd in testamento quidem & hæredem scribere liceat, & exhæredem, item & legata & libertates relinquere, ac simul instituere & substituere. In codicillo verò neque hæres[m] neque exhæres quis fieri possit.


Institutio est[n] prima hæreditatis delatio, hoc est primus natura gradus hæredis. Substitutio verò, desiderato primo hærede ad alterum hereditatis delatio, si modò ex cautione testatoris id fiat. Verbi gratia, si quis ita dixerit: Esto mihi hic hæres. Quòd si ille non fuerit, esto ille.

Facti ante tabulas testamenti codicilli non aliter valent[o], quàm si aut eo postea confirmati fuerint, aut posteriore codicillo, aut quo-

i *De origine & vsu codicillorum habes Inst. hoc tit. in prin.*
k *Inst. eo. §. j.*
l *Ex Theoph. Inst. eo. in princip.*
m *§. codicillis. Inst. l. ij. in fi. ff. eod.*
n *Scholium esse videtur ad explananda institutionis & substitutionis nomina. Huc facit l. j. in princ. de vulgar. & Instit. eod. in princ.*
o *l. ante. de codic. contra l. siue initio. C. eod. & §. non tantùm. Instit. vbi & Accur.*

cunque alio iudicio, valere eos, testatorem voluisse comprobetur. Codicillo satis est quinque testes [a] adhiberi, et si fortuitò sese obtulerint, id tamen procurandum, vt vno ac eodem tempore ad ea audienda aduocentur, quæ quis codicillis scripturus aut relicturus sit, atque ea quæ in codicillis scribuntur, auscultent. Posthumo agnascente, testamenta rumpuntur, non etiam codicilli [b].

DE HAEREDIBVS.
TIT. VIII.



AEREDES Aut instituti dicũtur aut substituti [c]. Porrò substitutio aut simplex est: verbi gratia si qs ita dicat: Hic mihi heres esto. Qui si nõ erit, esto mihi ille heres. Aut duplex: vt, Esto mihi hic hæres. Qui si non erit, siue erit & ante pubertatẽ decesserit, tũc esto mihi ille heres. Heres aut ita simpliciter & absq; præfinitiõe heres nominatur, aut fideicõmissarius [d] dicitur. verbi causa, dixit quis hũc in modum: Georgius mihi hæres esto, verùm non ita vt perpetuò rebus meis iure hæreditario fruatur, sed vt eas duntaxat tueatur, gerat, & Theodoro vt legitimo filio meo conseruet. Túmque Theodorus quidem fideicommissarius dicitur, & bessem relicti patrimonij hæredis iure percipit. At Georgius hæres dicitur, & hæreditatis trientem [e] consequitur. Potest [f] quis in testamento plures substitutionum gradus facere, ac nouissimo loco & seruum necessarium, & ipsos inuicem qui hæredes instituti sunt, & singulos in singulorum, & plures in vnius, & vnum in plurium locũ substituere. Captatoriæ [g] institutiones, quæque gratiam rependunt, non valent. Vt si quis ita dicat: Petrus ex qua parte me hæredem scribet, ex ea mihi hæres esto. Valent tamen quæ in præteritum [h] tempus conferuntur: vt, Qua ex parte me Petrus heredem scripsit, ex ea parte mihi Paulus hæres esto. Non solùm autem in testatoris, sed & in aliam quampiã personam captatio [i] dirigitur, vt si Petrus hæredem Paulum scripserit, mihi hæres esto.

Descendentes [k], siue masculi fuerint, siue fœminæ, ascendentibus & iis qui ex transuerso sunt cognatis, in succedendo præponuntur.

Si vnus ex liberis proprio parenti hæres extiterit, rerum quæsitarum vsumfructum [l] auo suo acquirit. Si auus relictis filio & nepotibus ex altero filio decesserit, nepotes sui parentis locum sustinebunt ac personam simúlque cum filio, hoc est patruo suo, ipsi succedent auo, percepturi si quid eorum pater si superesset ex aui hæreditate percepisset [m]: idq; siue masculi sint siue fœminę, ac siue in potestate, siue sui iuris sint. Vbi descendentes nulli [n] subsunt, præferuntur ascendentes omnibus à latere cognatis, si fratres exemeris ex

a *Sicut & in omni alia vltima voluntate, excepto testamento l. vlt. in fi. C. de codicil.*

b *l. si quis cum. & l. ab intestato. eodem. nisi codicilli ad testamentum pertineant. Nam rupto testamento posthumi agnatione, & ad id pertinẽtes rũpuntur codicilli. l. j. C. eodem.*

c *l. j. de vulg. & pup. substit.*

d *Vt notum est ex toto tit. ad Trebell. & Inst. de fideic. hær.*

e *Vel quadrantem potius, & fideicõmissarius dodrantem, vt habes ex §. sed quia stipulationes. Instit. eod.*

f *l. potest. de vulg.*

g *Quarum conditio ad secretum alienæ voluntatis confertur. l. captatorias. de hæred. instit. & l. capatoriæ. de leg. primo.*

h *l. illæ autem. de hæred instit. l. mulier. §. vlt. de condit. instit. vbi tamẽ aliud institutionis genus proponitur, Te hæredem ita instituo si tu me instituisti. Ac sanè valet vtrumque.*

i *Quæ & in sententiam senatusconsulti incidit. in fin. d. l. illæ autem.*

k *Nou. de hæredi. ab int. veni. §. j.*

l *Ead. Nou. §. j. l. cum oportet, in princ. C. de bon. quæ liber. Instit. § j per quas perso. nob. acq. de hæred. quæ ab intest. def.*

m *Quæ in stirpes successio dicitur. d. §. primo. ead. Nou. versic. sic tamen vt. §. cum filius. Institut.*

n *Ead. Nou. §. si igitur defunctus descendentes.*

iisdem parentibus progenitos [a]. Sciendum verò illud est, in ascendētibus præferri eum qui gradu propinquior sit [b], ei qui proximum à se gradum tenet, etsi fœmina sit. Nam si omnes eodem gradu sunt, simul omnes ad hæreditatē vocātur, ac ex æquo inter ipsos distribuitur hæreditas: vt dimidiā quidem ferant omnes à parte patris ascendentes quotquot fuerint: reliquam verò dimidiam, à matre ascendentes, quantocunque in numero reperiri eos contigerit. Matre defuncta relicta impubere filia, si intra sedecim dies plus minúsve, puella quoque decesserit, transmittitur ad eius hæredes [c] ius deliberandi. In ius dicentis potestate est [d], tempus deliberandi præstituere: sic tamen vt ne pauciores quàm dies centum [e] det. Quin & nonnunquam primo non sufficiente tempore, datur & aliud ad deliberandum: verùm hoc non nisi magna ex causa.

a *Qui quomodo succedant cum ascendentibus, docet §. si verò cū ascendētibus.*
b *§. si autem plurimi.*
c *Fac. huc l. pe. de iu. delibe. & l. iij. C. eo.*
d *l. j. in fi. cum tribus legibus seq. ff. eo.*
e *Hodie semel tātum à principe, anni, à iudice, nouem mensium spatium datur ad deliberandum. l. vlt. §. & hæc quidem. C. eod.*

Novella Caesaris Athanasii Patriarchae.

At Cæsaris Athanasij Nouella, abrogandam esse dicit legem quæ statuit viro aut mulieri qui quæ've relicto filio decesserit, defuncto etiam postea filio, horum inquam alterutri qui superstes fuerit, hære*f* ditatis iure cedere omnia filij bona vel paterna vel materna, vtrauis esse contigerit, ac miseros defuncti parentes præterquam quòd id amittunt quod sibi longè charissimum erat, insuper etiam bonis haud recta sanè discussione fraudari. Sed ex eadem Nouella, seruari debet triēs ipsius dotis in defuncti memoriā, alter parētibus [f] triens, ac demum qui superest triens sponso aut sponsæ. Ex vtroque parente [g] fratres ac sorores, item & ascendentes simul ex æquo vocantur, ac nullum planè vsum fratres parentibus acquirunt, eius portio- *g* nis quam ex fratris hæreditate perceperunt, siue is in potestate, siue sui iuris fuerit. Vbi defuncto ascendentes extiterint [h], & germani fratres, & filij item fratris vtroq; parente iam demortui, simul omnes ad eius successionem vocantur, siue mares sint siue fœminæ. Fratris enim filij, proprij patris personam sustinēt, ac percipiunt, quicquid erat pater suus si superesset, percepturus. Ex iisdem parentibus [i] progeniti fratres primum tenent locum in proprij fratris successio- *h* ne, propositis & aliis fratribus qui ex iisdem parentibus non sint. *i* Verùm si extent filij alterius fratris defuncti, ex iisdem patre ac matre, illi quoque simul vocantur, hoc est fratres & fratris ex iisdem orti parentibus, filij, ad defuncti bona, qui illorum quidem est frater, horum verò patruus. Quòd si nec fratres subsunt huiusmodi, nec huiusmodi fratrum filij, tum sanè fratres ex diuersis parentibus, defuncto fratri succedunt. Si quis decesserit [k] relicto fratre ex diuersis *k* parentibus, & filiis fratris ex vtroque parente, in eius hereditate, fra- *l* tri præferuntur fratris filij. Nam & patrui vel auunculi ex iisdem parentibus, fratris filiis præferuntur ex diuersis parentibus. Porrò illud sciendum, vbi nulli supersunt iisdem parentibus fratres, aut huiuscemodi fratrum filij, tum ex diuersis parentibus [l] fratres, fratri

f *Auos & cæteros qui suprà sunt intellige. Secus fit iure nostro, vt habes ex l. si quis. & authen. defuncto. C. ad senatus. Tertul. Per sponsum & sponsam virum & vxorem intellige.*
g Ἀμφιθαλεῖς *Hesych.* οἱ ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς γονεῦσι θάλλοντες, *quibus vterque parens est superstes. Hæc habes d. No. de hæred. ab intest. §. si verò cum ascendētibus.*
h *No. vt frat. fil. §. j.*
i *Nouel de hæred. ab intest. §. si igitur defunctus neque. & §. si autē defuncto. vnde sumpta est auth. cessante. C. de leg. hæred.*
k *Eod. §. versic. vnde consequens est.*
l *d. §. si igitur defunctus. versic. his autem non. vnde authen post fratres autem. C. de leg. hære. est decerpta.*

suo ex altero parente, succedere. Si nec frater superstes sit, nec fratris filius, reliqui ex transuerso [a] cognati vocantur, qui scilicet gradu propinquiores sunt: sique vel plurimi eodem gradu reperiantur, ex æquo omnes succedunt. Si defuncto fratres non supersunt, sed filij fratrum duntaxat, premortuis duobus aut tribus fratribus, per capita [b] & in singulas ipsorum personas hæreditas distribuitur, hoc est, vt quotquot sunt, ex æquis portionibus pro se quisque ad hæreditatem vocetur.

MAGISTER.

Intestato quopiam defuncto, qui & ex parte patris primas consobrinas duas, & ex parte matris duas itidem haberet, Magister ita censuit. Ex tribus itaque patruis aut auunculis quatuor progenitæ mulieres, quas moris est ἐξαδέλφας, hoc est consobrinas nominari, non per stirpes ad hæreditatem vocantur, sed per capita [c].

SCHOL.

Verbi gratia: Decessit quis [d] cognatos habens ex fratre & sorore. Ciuilis lex quæ apud veteres in republ. obtinuit, ex fratre quidem cognatos ad patrui hæreditatem, vt qui masculea cognatione defuncto iungerentur & agnati essent, vocabat. At ex sorore repellebat, vt cognatos tantùm, & ex fœminarum parte illi propinquos. In vniuersum enim illud scito, fœmineæ personæ interuẽtu agnationem hoc est propinquitatem ex masculea stirpe abrumpi. Hoc autem loco sanè fœminea intercedens sororis nimirum persona, agnationem interrupit, neque eam in totum & continua serie seruari permisit. Atque hæc statuebat lex ciuilis. Pretoria verò lex pòst succedens, cum ciuilium legum constitutione hoc caueri comperisset, iniquum censuit eos qui ex cognatione fœminea essent, à successione ablegari, idque præsertim cum eiusdem cum defuncto cognationis sint participes. Quocirca hos quoque, vt latiùs ex accommodatis ad hanc rem libris disces, ad successionem vocauit defunctorum ab intestato propinquorum seu cognatorum.

Etiam octaui [e] gradus cognatus, vbi non sunt propinquiores, ad hæreditatem vocatur, iuxta regulam qua dicitur, Etiam octaui gradus cognatum, quanquam hæreditatem non adiit, habere tamen ex lege adiumentum. Animo [f] quis successionem agnoscit, ac se pro hærede gerit, licet nihil attingat hæreditarium. Vnde & si pignora quæ in hæreditate sunt, aut alienam rem tanquam hereditariam possederit, hæreditatem agnouisse atque pro hærede gerere videtur.

Maior annis vigintiquinque, qui semel paternam agnouit hæreditatem, ac ei se immiscuit, ne recusare quidem aut declinare potest creditorum actiones, ex eo quòd sibi dicat fratrem vim facere, portionémque suam vel testamentum præripere [g], sed conuenitur pro parte hæreditaria. Non scriptus hæres [h] si cum scriptis hæredibus colludens solus ab intestato defuncti bona teneat, legata præstat.

Hæredes qui testatoris cædẽ non vlciscũtur [i], & res & fructus restituunt, nisi fortè minores sint. Et vir vxoris necẽ non vlciscẽs dote mulctatur [k]. Siquidem heredes omneis & eos qui locũ hæredũ te-

a §. si verò neque fratres. vnde & auth. post fratres fratrúmque filios. C. de legiti. hæred. est decerpta.

b Hanc sententiam, cui tamen plurimi aduersantur, firmare videtur Accur. in §. hoc etiam addendum. in glos. ad verb. superstites. Instit. de legit. agnat. success. Subscripsit huic & Azo, & inter recẽtiores Zazius in libro singu. intellect. Theophil. quoque sub fin. d. §. hoc etiam, in ea est sententia. Cui sanè libenter, reiectis aliorũ sententiis adstipuler.

c Et hoc iam adductam Azonis firmat sentẽtiã, quòd fratrum filij per capita succedant.

d Hoc scholium per se se expendendum. Ad varia capita superiora referri potest, quibus masculorum & fœminarum eandem esse dictum est in succedendo rationem. Sumptum est ex Iustinianea constitutione, quam habes l. penulti. C. de legit. hæredib. Cuius & in §. cæterum. Institut. de legitima agnat. success. & in l. vlti. C. dicto titu. fit mentio.

e l. octaui. vnde cog.

f l. si quis extraneus. §. j. & l. gerit. de acquir. hæredi. §. vlti. Instit. de hæred. qual. & differ. g *In Græco exemplari apparet pro ἁρμόζει legendum ἀφαιρεῖ, aut simile quodpiam verbum ex l. si te bonis. C. de iure delibe.* h *Huc facit l. j. in prin. & in fi. si quis omis. cau. testam.* i *l. hæredem. de iis quib. vt indig. l. j. C. eod.* k *l. cum mortem. de iure fis. l. ei qui. de iis quib. vt indig.*

nent

nent expeditos esse côuenit ac propensos ad defunctũ vindicãdum[a].

DE COLLATIONE.

SI pater filiam dotans, pactus est[b], vt illa dote pro se data esset contenta, neque portionem vllam in hæreditate sua expectaret, improbatur iure huiusmodi pactum, neque prohibetur patri filia succedere, si is intestatus decesserit, dum dotem cum reliquis qui in potestate manserunt fratribus conferat[c]. Donationem ante nuptias[d] sicut & dotem conferri oportet, si decedat intestatus qui eam contulit, siue mater est, siue pater, aut ascendentium quispiam vel à patre vel à matre. Ab intestato simul succedentes emancipati cum fratribus qui in potestate manserũt[e], conferunt & ipsi ea quę ex bonis paternis ad se redierunt, & vsumfructum, non item ea quæ patri non acquirebãtur[f], sicut nec peculium. Ea demum[g] emancipati filij, fratribus suis conferunt, quæ eo tempore habebant quo pater fati munus impleuit. Si quid enim postea quæsierint[h], haud quaquam conferunt. Quin & ex iis rebus, quas inquam tempore mortis patris habuerunt, æs alienum si quod contraxerant, deductũ volumus. Puram etenim substantiam suam conferunt. Emancipatus etsi aduersus patris tabulas bonorum possessionem petierit, haud tamen dotem filiæ suæ datam confert[i], cùm hæc non in suis sed filiæ bonis sit. Dederat[k] quis filiæ suæ dotẽ. Huius vir inops, dotem absumpsit. Vult postmodum filia paternis se bonis immiscere. Postulant ab ea fratres, vt dotem acceptam conferat, atque ita simul secum paternas res partiatur. Hanc cum non habeat, solam confert in maritum actionem. Quid ergò in his controuersiis agi oporteat, lex hunc in modum præscribit. Si quidem ipsa sui iuris ac potestatis filia effecta, cum virum res suas temere profundentem videret, nihil omnino dixerit, neque actionem in eum intenderit, sibi debet imputare, sicque à patris hæreditate summoueri[l]. Quòd si in patris etiamnum erat potestate, aut alioqui emancipata ac suo more viuebat, idque poterat patri referre, atque adeò retulerit, eúmq; hortata fuerit, vt sui aduersus maritum susciperet patrocinium, pater verò eam tutatus non fuerit, tum sanè paternæ hæreditati ipsa quoque se immisceat, perinde ac si dotem sibi saluam conferret, cum tota huius rei culpa sit patri ascribenda, qui eam aduersus maritum non defenderit. Relicta à parentibus, si quidem intestati decesserint[m], ęquis portionibus diuidunt liberi. Si verò testati, liberorum quisque ea consequitur, quæ sibi à parente relicta sunt. Cæterùm quæ habent aut in dote aut in alia donatione ante nuptias[n], conferunt, si reliqui fratres in parentum bonis legitimam quoquo modo portionem à communi parente non habuerint. Tum enim qui habent, ex iis quæ extrinsecus habuere, eos supplent[o], qui æquam partem non tulerũt.

Donata liberis[p] post patris mortem, non conferuntur. Quæ autem viuens adhuc pater his donauit, conferuntur[q], nisi fortè expressim cauit, ne conferrentur.

a *l. portiones. eod.*

b *l. pactum dotali. C. de collat. Si tamen iurârit filia, omnino seruari debet iure can. c. quamuis pactum. de pactis. in vj.*

c *Quod ita demum facere cogitur, si vel ab intestato succedat, vel contra tabulas agat. l. filiæ dotem. C. hoc tit. & l. j. in princip. ff. de collat. dot.*

d *l. vt liberis. C. eo. tit.*

e *l. si emancipati. versicu. sin autem. vl i & Accur. in glos. magna.*

f *l. vlt.*

g *l. ea demum.*

h *l. nec emancipati.*

i *l. j. §. vlti. de collat. dot. l. filium. de col. bonor.*

k *Nou. de æqual. dot. §. illud quoque sancire. vnde authen. quod locum. C. de collat. sumpta est.*

l *Ex l. si maritus. C. eodem.*

m *l. inter filios. C. familiæ hercisc.*

n *d. l. vt liberis. C. de collat.*

o *Pro ἀναπηρῦσι in Græco exemplari corrige ἀναπληρῦσι.*

p *l. si donatione.*

q *No. de trien. & se. §. illud quoque bene. vnde authen. ex testamẽto. C. de col. est petita.*

ITERVM DE COLLATIONE.

FIT autem hoc modo collatio. Dotati fuere aliqui ex liberis, & cum sibi obtingentem hęreditatem vel etiam dotem, quantacunque à parẽtibus data est, accepissent, sui iuris facti sunt. Decessit postmodum pater, aut nullo planè condito testamento, aut condito quidem, sed in quo ipsi sint pręteriti. Quod quidem haud ęquo animo ferentes eiusmodi liberi, volunt sese, cum reliquis fratribus quibus antea nihil parentes dederunt, paternę hęreditati immiscere, atque adeò quęrunt paterna bona ex ęquo vnà cum fratribus partiri, & super ea re instituitur actio. Tum itaque iubet lex, vt ipsi quoque id conferant[a] quod sibi antè datum fuerat, atque in commune cum cęteris rebus patriis redigãt, ac postea facta partitione accipiãt & ipsi, si quid ad eos ex rebus paternis redit ex ęquo inter fratres distributis. Atque hoc in iure dicitur collatio. Itaque quisquis ex liberis aut dotem acceperit, aut obuenientem hęreditatem, & pręteritus repulsúsve fuerit, non aliter cum reliquis fratribus qui hæreditatem vel dotem non obtinuerunt potest hæreditatem paternam diuidere, nisi eam de qua locuti sumus collationem fecerit. Non confert in cõmune cum fratribus quis, id quod sibi dignitatis[b] nomine datum est.

Posthumus antequam nascatur[c], non confert, neque frater, neque tutor eius. Ex testamento matri succedens filia non cogitur[d] dotem suam conferre. Hæreditatis petitio[e] longi temporis præscriptione nequaquam summouetur, sed tricennio excluditur. Siquidem tricennij spatium[f] ad hæreditatis & legatorum petitionem repellendam idoneum est. Rerum hæreditariarum petitio mouetur quidem in eos qui vel pro hæredibus[g], vel pro possessoribus, haud iusta tamen & recta possesione possident, neque verò ei, decem aut viginti annorum præscriptio quicquam obstat, opponíve potest, quòd sint ei personales actiones permixtæ, quæ quidem decem aut viginti annorum præscriptione tolli non solent. Qui autem neque vt hæredes, neque vt prædones aut raptores possident, haud sanè petitione hæreditatis tenentur, sed speciali potius in rem actione, si modo neque vsu rem ceperunt, neque longi temporis sibi præscriptionem cõparârunt. Et surdus[h] & mutus rectè hæredes instituuntur. Quæ medio tempore[i] hæredi accidunt, non nocent, vt si deportatus vel relegatus, posteà restitutus fuerit. Valet institutio, etsi quis hæredis nomen non dixerit[k], sed tantùm certissimo ac indubitabili signo demõstrauerit. Hęredes iuris successores[l] sunt, quod quidem si inter eos cùm plures sint testator non diuiserit, omnes æqualiter ad hæreditatem vocantur. Et ab hostibus captus[m] propter spem postliminij rectè hæres instituitur, & eius seruus, siquè redierit, hæreditatem percipit. Scripsi te hæredem. Posteà rumore perlato[n] quasi mortuus esses, secundum aggressus sum testamẽtum, hac præfatione: Quia quem volui hæredem habere non potui, esto mihi ille hęres. Tu itaque prior scriptus ex voluntate & cõsilio meo, hæres

a Fac. huc l. j. in prin de collat. bon.

b l. j. §. sed an id quod. eodem.

c l. vlti. eod.

d l. si filia. de colla. do. fac. l. filiæ dotem. de collat. C.

e l pe. in quib. cau. cessat lon. temp. præsc.

f l. sicut in rem. de præscri. xxx vel xl annorum.

g l. regulariter. cum tribus aut quatuor legibus seq. quibus docet quis pro hære de & pro possessore dicatur possidere. de petit. hæred. l. hæreditatis petitionẽ. C. eodem.

h l. filiusfamilias. de testamen.

i l. vj. §. solemus. de hæred. instit.

k l. quoties. §. si quis nomen. eod.

l Ead. l. §. hæredes.

m l. illa institutio. §. j. eodem.

n l. vlti. eodem.

hæres eris ea tamen lege, vt ex posteriore testamento legata pręstes, quasi etiam posterioribus tabulis hęres scriptus.

DE HAEREDITATE VIRI ET VXORIS.

CVM intestati[a] vir aut mulier decesserint, ac nullum aut ascendentium, aut descendentium, aut eorum qui à latere veniunt legitimum naturalémve successorem habuerint, tum sanè vir ad vxoris hæreditatem in solidum vocetur, & vxor itidem viro succedat.

Etenim lex æquitásque naturæ fratres vxore potiores statuit. Tum demũ enim vir & vxor sibi mutuò succedunt, cum omnis deficit[b] propinquorum cognatio. Qui per duos menses cum vxore versatus est[c], ei succedit. Hæredes possumus instituere[d] tum liberos homines, tum seruos, & seruos quidem nostros, insuper & alienos. Sed & absque libertate potest seruus institui[e] ex constitutione, quæ sine libertate[f] institutos eos, sine vllo impedimento ad hæreditatem vocat. Seruos eorũ hæredes scribere possumus, qui & ipsi hæredes institui possunt[g]. Seruus enim ex domini sui persona illud nactus est priuilegium, vt cum eo quoque possit esse testamenti factio. Non semper quis seruum proprium hæredem instituit vtiliter[h], sed ne cum libertate quidem.

a *l.j. C. vnde vir & vxor.*

b *Eadem l.*

c *d.l. nullum tempus præscribit.*

d *Inst. de hære. inst. in princ. l. non minus. ff. eodem.*

e *ἐκ διατάξεως, ex Theoph. in Gr. exẽpla desideratur.*

f *l. cum quidam. C. de nec. ser. hær. inst.*

g *d.l. non minus.*

h *l. his verbis. §. interdum. eod. & §. j. Instit. eod. vnde & species sumpta est.*

SCHOL.

Vt in huiusmodi specie. Accusationem vir quispiam aduersus vxorem instituerat, quòd adulterium cum proprio seruo admisisset. Nondum absoluto iudicio, mulier hæc decedens, seruum cum libertate hæredem instituit. Post eius mortem quæsitum est, valerétne eiusmodi institutio. Responderunt Iurisconsulti seruum adulterij accusatum non rectè ante sententiam, testamento videri manumissum ab ea muliere eius domina, quę eiusdẽ criminis rea fuerat postulata. Facta itaque in eiusmodi seruo institutio, nullius planè roboris est ac momenti.

Qui legitimè ac verè sunt alicui hæredes futuri, si is cui sunt successuri, iureiurando aut quoquo alio modo firmârit nihil sibi vltra ea quæ proposuerit & iudicârit, in rebus suis esse, neque amplius de his inquirere, neque de se inuicem queri ac iudicio agere possunt. Sin minùs, quisquis hoc ausus fuerit, à sibi delata hæreditate repellitor, atque indignus iudicator, qui vlla in re hæres sit defuncto. Sed si non hæreditatis causa, verùm propter aliquod superius debitum bona testatoris inquirunt, licet sanè etiam post iuratam eius affirmationem res eius perscrutari. Mater cùm falsò audisset militem filium decessisse[k], hæredem alium scripsit. Cum viuat filius, ad eum hæreditas pertinet, ita vt legata & libertates præstet. Qui hæreditatem aut inire vult aut repudiare, id intra annum faciat oportet, omníque ratione defuncti voluntatem expleat. Si quis enim iudiciario decreto monitus[l], annum totum protraxerit, id non exequens quod sibi mandatum sit, si quidem ex eorum numero est, quibus ex necessitate, iure aliquid est relinquendum, atque in pluribus quàm quæ ei lex donat hæres est scriptus, illud eum duntaxat accipere permittimus, quantum ipsi lex habita ratione trientis, qui ab intestato percipitur, concedit: cætera eripi iubemus. Quòd si non eiusmo

i *No. de iurein. à mo. præst. vnde Auth. quod obtinet. C. de prob. est sumpta.*

k *l. cum mater. de inoffic.*

l *Auth. hoc amplius. C. de fideicom. quæ sumpta est ex §. si quis autem non implens. Nou. de hære. & Falc.*

eiusmodi [a] sit persona, nec quod iussum est intra annum iam præfinitum implêrit, nullo prorsus pacto quicquam eorum quæ sibi relicta sunt percipiat. Initium autem, inquit, anni facimus commonitionē ex sententia iudicis factam. Cæterùm pupillis ac minoribus nihil hæc lex præiudicat. In delictis non ad pœnam, sed si quid ad se eo nomine peruenerit [b], hæres tenetur. Tum de eo quod ad se peruenit [c], hæres tenetur, cum non ex proprio sed defuncti dolo conuenitur. Hæres idem ius habet [d], quod & defunctus.

SCHOL.

Qui fundi vel ædium vsumfructum habet, ius [e] habere dicitur, & ius quidem non rei sed personæ. Quandiu enim viuis annumeratur, facultatem habet vtendi fructibus (cùm χρῆσις Romanis vsusfructus dicatur) eósque lucratur. At eo mortuo extinguitur [f] vsusfructus, atque ad hæredes non transit. Quamobrem? Quia personale ius erat, quod & vnà cum defuncti persona extinctum est. Quòd si defuncto quis centum nummos debebat, aut ei aduersus aliquem rei seu prædij vendicatio competebat, hæc eadem habet etiam hæres [g], propterea quòd non personalia sunt sed patrimonij & facultatum iura. Itidem & socius si socio quid debet, si vir vxori quæ à se diuerterit, dotem debet, condemnantur atque ab his exigitur non vniuersum quod debent, sed quatenus facere possunt [h], relictis scilicet ipsis, quæ ad alimenta sufficiant. Atqui priuilegium hoc & ius tanquam personale ad hæredes non transit. Sed defuncto quidem socio, huius hæres [i] in solidum tenetur. Sic & viri hæres [k] integram dotem restituere tenetur, ne iis quidem ei remissis quæ ad alimoniam satis sint: nisi fortè communis est filius viri & vxoris quæ dotem exigit. Tum enim etiam hic in id quod facere potest conuenitur [l], verùm id non hæreditatis iure, sed ex priuilegio quòd filius sit. Et filius enim quatenus facere possit conuenitur, & pater [m], & mater. Porrò illud obseruato, ea quæ alicui competunt iura, vel personalia esse [n], quæ vnà cum persona extinguātur: vel causæ ac rei, quæ & ad hæredes transmittantur.

Hæreditas est [o] successio in vniuersum ius, quod testator habuit.

SCHOL.

Successionis nomen varia significat. Dicitur enim successor, etiam is qui rem donatione à Petro acceperit, vel ex venditione, permutatione aut legato. Verùm hi etsi successores dicuntur, non tamen iuris sed rei [p] duntaxat successores appellari solent. Id quod ex hac specie [q] planum fiet. Petrus cùm agrum haberet Gregorianum, promisit de eo fundo cētum modios frumenti annuos præstare prædiis vicini. Postea Gregorianum fundum Paulo vendidit. Paulus nequaquam erit obnoxius ad præstādos centum frumenti modios ei qui agrū habet conterminum, propterea ꝙ rei factus est, hoc est fundi successor, nō etiam stipulationis seu promissionis, quæ quidem ius est incorporeum, promissoris personæ infixum & impactum. Dicitur & successor, hæres, siue ex testamento hæres sit, siue ab intestato, & successor nō rei vnius aut vnius iuris, forsan vnius actionis, sed vniuersi iuris quod habuit defunctus: vt in specie illa superiori, Decessit Petrus fundum habens Gregorianū. Huic Paulus hęres fuit. A Paulo exigentur centum frumenti modij, idque optimo sanè iure. Est enim vniuersi iuris Petri successor effectus, & est alter [r] penè testator, ipse hæres. Quascūque igitur defunctus actiones habebat, siue in rem, siue in personam, easdem habebit & ipse: & quibuscunque subiiciebatur atque erat obnoxius defunctus, iisdem hæres quoque tenebitur: verùm ita demum si patrimonij sint actiones & priuilegia ad facultates ac res spectantia. Verbi gratia, quid dico? Spopondit ex stipulatu defunctus Petrus dare centum nummos: cogitur & eius hæres hos præstare. Prædium à quopiam emit defunctus, neque dum illud accepit, potest eius hæres venditorem cogere, vt sibi id tradat. Competebat rei vēdicatio defuncto in aliquem, à quo prædium aut ædificium teneretur, cuius ipse dominus erat. Hæc eadem & eius hæredi competit. Quemadmodum & vice versa, si def

a §. & hæc quidem sancimus. ea. Nou.
b l. in hæredem de calum. l. sicuti pœna. de reg. iur.
c l. toties. de reg. iur. secus in contractibus. l. si hominē. §. j. depo. l. ex contractibus. de act. & obli.
d l. hæredem. de reg. iur.
e Est enim vsusfructus ius vtēdi fruēdi alienis rebus salua rerum substantia. l. j. de vsufruc.
f §. finitur. Instit. de vsufru.
g Facit l. j. §. pen. de aqua quotidia. & æstiua.
h l. verum est. in princip. pro soc. l. maritum. sol. mat.
i d. l. verum est. §. j. sub finem.
k d. l. maritum. cum l. sequen.
l l. etiam filios. eod.
m l. rei iudicatæ. cum duabus legibus seq.
n l. priuilegia. de reg. iuris.
o l. nihil aliud. de verborum & rer. sig. l. hæreditas. de regul. iuris.
p Vt habes in l. j. §. in locum. quor. leg.
q Quæ sumpta est ex l. vlt. in fin. de contrahen. empt.
r In Græco exempl. lego ἄλλος nō ἄλλως ex eo quod in Nou. de iur. à mor. præsti. dicitur vnā quadātenus esse hæredis & testatoris personam.

si defunctus fundum alienum aut ædeis detinuit, de his conueniri poterit eius hæres. Sin verò actiones habebat testator aut actionibus tenebatur, quæ non ad patrimonium pertinerent, sed ad suæ personæ vltionem aut contrà ad pœnam, hæ procul dubio ad hæredes vniuersi iuris successores nequaquam transfunduntur, nisi fortè iam iudiciis agitari cœperunt [a]. Verbi causa: Petrus superstes adhuc, iniuria est affectus à Paulo, & ita ei in Paulum competebat iniuriarum actio, quæ quidem haud persequitur vel exigit rem ex Petri bonis ablatam, sed eius honorem & existimationem vindicat, qui iniuriam acceperit. Aut contrà, Idem iniuria quempiam affecit, vnde factum est vt iniuriarum teneretur. Hæ certè actiones neque ad hæredes transeunt, neque aduersus hæredes dantur [b]. Neque enim bonorum aut patrimonij partem complectuntur: Sed extinguuntur & euanescunt, simul ac ij qui deliquerunt, obierint. Nisi sæpe iudicio agitatæ fuerint, superstitibus adhuc iis ipsis qui hęc admiserant. Tum enim & hæredibus competunt, & in hæredes etiam dantur [c].

Vbi hæreditas est, ibidem & tutela [d], præterquam in muliere.

SCHOL.

Tutelam gerere & olim onus erat, & hodie etiamnum est. Dabatur autem viris hoc muneris non temere, sed pro dignitate [e]. Vt si quis intestatus fortè, vno aut duobus impuberibus filiis vel minoribus relictis decesserit, indigent huiusmodi filij tutore. Quærit forsan præses aut iudex, quem his tutorem dabit. Disce ergò ex lege, atque adeò ex hoc capite, illum par esse tutorem filiis adhiberi, qui & in eorum hęreditate præferatur. Denique quisquis in eorum si mori ipsos contingeret, hæreditate primas obtineret, ille etiam tutelæ onus [f] suscipito. Vbi enim, inquit, hæreditas, ibi & tutela. Verbi gratia: habent hi liberi fratrem, cuius bona viuens adhuc pater administrârat, habent & patruos: frater vtique cùm reliquis omnibus in hæreditate potior sit, eorum tutelam suscipiet. Atque hæc vbique, præter quàm in muliere obseruantur. Etsi enim in hæreditate præferatur mulier, haud tamen ad tutelam vocatur: propterea quòd lege cautum est, ne ciuilia obeant munera seu officia fœminæ [g]. Porrò tutela ciuile [h] magis est officium: vt si filij sororem habeant adultam, cuius res à patre antea gestæ fuerint, habeant & θεῖυς vel à patre vel à matre, hoc est patruos vel auunculos, in hæreditate quidem soror primas tenet, tutelam verò suscipere non compellitur. Illud tamen scito, vna in specie tutricem fieri mulierem: vtpote si mater filios habeat impuberes, renuntiâritque secundis nuptiis, tunc eorum tutelam agit [i].

Nemo plus iuris [k] quàm habet, ad suum hæredem transfert. Cum ex dolo [l] defuncti hæres quatenus ad se peruenit, conuenitur, sufficit vel momento aliquid ad eum peruenisse. Pro non scripto habetur, quod in testamento seruis pœnæ relinquitur [m].

DE EO QVI PRAETER LEGVM PRAESCRIPTA, MATRIMONIVM CVM EA CONTRAHIT, cuius tutelam gessit.

SI quis contra leges vxorem duxerit pupillam cuius tutor fuit, percipere quidem ipse ex eius testamento nihil potest [n]: ipsa verò ex illius testamento potest. Qui sacrum lauacrum prodit ac profanat, nec dicendi testimonij, nec testandi, nec cuiquam succedendi ius [o] habeto. Cæterùm ei ab intestato propinqui Christiani succedant. Si hæredes instituerim Petrum & fratris mei filios [p], & dixero, Ex æquis partibus hæredes sunto: ex æquo & virilibus partibus hæreditatem partiuntur. Quod si non adiecero, semissem Petrus, semissem fratris filij consequentur,

a *Institut. de perp. & temp. act. §. non autem omnes l. omnes pœnales. de act. & obligat.*

b *l. iniuriarum. j. de iniur.*

c *Tum enim in bonis nostris iniuriarum actio computatur, cum litē sumus contestati. l. iniuriarū actio in bonis. eo. l. pœnalia. de reg. iur.*

d *l. quo tutela. de reg. iur. Inst. de leg. pat. tut. sub fin.*

e *Vt patet tot. ti. Insti. de satisd. tut.*

f *ex l. secundum naturam. de reg. iuris.*

g *l. ij. eod. l. vlt. de tut.*

h *Inst. de excu. tut. dicit Iustin. munus esse publicum.*

i *Nouel. de hæred. ab int. §. ex his. vnde est sumpta Authē. matri & auiæ. C. quan. mul. tut. offic. fung.*

k *l. nemo plus. de reg. iuris.*

l *l. cum prætor. eo.*

m *Extra causam alimentorum. l. si in metallū. de iis quæ pro non script. hab.*

n *Fit enim ipso iure infamis. l. pe. de interd. matr. int. pu. & tut. l. ij. ff. de iis quib. vt indig.*

o *l. ij. & iij. C. de apost. Fac. c. quidam. extra eodem.*

p *l. interdum. in prin. de hæred. inst.*

DE RESTITVTIONE HAEREDITATIS.

a l. in fideicommissariam. ad senatusc͠o. Treb.

IN hæreditatis restitutionem [a] fructus non veniunt, nisi mora facta sit, aut specialiter etiam hos quis rogatus fuerit restituere. Imputantur autem in quartam Falcidiam. Qui enim quempiam rogat hæreditatem restituere, id videtur dicere quod est hæreditatis. Fructus autem non hęreditati, sed rebus ipsis accepti feruntur. In hęreditatis restitutione etiam vsuræ ac pensiones [b] velut fructus computantur, neque à cæteris differunt, quæ sub conditione aut in annos vel menses singulos debentur. Ac fructus quidem quos hæres percepit, si in hæreditate restituenda mora non intercesserit, nequaquam restituere cogitur. Sed si qualis nunc est hæreditas, talem desideret is cui per fideicommissum relicta est, sibi restitui, audiendus est. Verùm id quidem, vbi testator ipse vsuras stipulatus fuerit, aut agros coluerit. Nam si hæres ipse nummos hæreditarios fœnerauit, aut agros coluit, quia suo periculo fœnerârit, colendóve fundo sumptus fecerit, nihil eo nomine, mora non facta, fideicommissario restituit. Conditiones [c] quæ contra leges, vel derisoriæ sunt, in institutionibus & legatis pro non adiectis habentur, atque adeò hæc absque eiusmodi conditione præstantur.

b l. postulante. §. j. & seq. eodem.

c l. conditiones. j. & ij. de condit. instit.

DE HAEREDITATE LIBERORVM NATVRALIVM.

d Nouel. quib. mod. nat. effic. sui. §. ne igitur. & seq. Nou. de tri. & sem. §. c͠osideremus. vnde sumptæ sunt Authen. Nunc soli, & Anthen. licet. C. de natur. liber.

SI quis liberos habet legitimos [d], non potest naturalibus, neque item iis quos ex concubina suscepit liberis, vltra vnciam vnam ipsis ac eorum matri relinquere. Si verò concubina sola sit, huic dimidiã vnciam relinquere aut donare potest. Quòd si nec liberos habet legitimos, nec quenquam ascendentium, quibus iuris necessitate testatores conuenit partem aliquam suorum bonorum relinquere, etiam ex vnciis duodecim naturales liberos poterit hæredes scribere. Sin verò ascendentium aliquos habuerint, legitima his portione relicta, facultatem habeãt eius quod reliquum est naturalibus liberis dispertiendi. Porrò si intestati decesserint qui naturales habent liberos, duas hi tantùm vncias habento, vnà cum matre diuidendas, vt vnius filij portionem mater quoque accipiat, idque vbi legitimi non extant liberi. Si enim extent, ne ab intestato quidem succedent naturales, sed à legitimis alentur solùm, vt par est, ac pro facultatum modo. Naturalis filius effectus legitimus [e], soli patri fit legitimus, non etiam descendentibus, ascendentibus, vel iis qui à latere sunt cognatis patris. Itaque neque ipsis succedit, neque ipsi, ei præterquam ex testamento. Senatorij aut etiam in sublimiori dignitate constituti viri vxor, non potest liberis suis spuriis, neque viuens neque post mortem quicquam donare [f], aut in testamento eos cum legitimis complecti, ac ne hæredum quidem hæredes facere. Ingenua tamen ac libera, si filius ei sit spurius, potest ipsum hæredem relinquere: Quandoquidem & ei mater hæres est, nisi fortè ex incestis [g] est progenitus ac nefariis prohibitísque nuptiis. Qui ex diuersis concubinis [h] procreantur liberi, patri non succedunt, dum supersunt legit

e Ead. No. quib. mod. nat. effic. sui. §. filiũ verò.

f l. pen. C. ad senat. Orfic.

g §. vlti. d. Nou. quib. mod. nat. effic. sui.

h Ead. Nou. §. si verò effusa.

legitimi, aut vxor, aut alij eius successores, sed potius ab iis qui hæredes extiterunt patri, alimenta percipiunt, vbi scilicet is non fuerit testatus. Spurij hæreditas non pertinet [a] ad eos qui à patre cognati sunt (neque enim patrem habet) sed eius matri ac eadem matre natis fratribus datur bonorum possessio vnde cognati. Vulgo quæsiti etiam maternæ auiæ [b] ab intestato succedunt. Si quis intestatus decesserit relictis naturalibus filiis & adoptiuo [c], similiter omnes succedunt. Quæcunque seruantur [d] vbi mater superest, ac fratres eodem patre cum defuncto, naturales, eadem obtinét & cum adoptiui supersunt liberi. Qui adolescétem adoptat, prorsus eius saluti consulit & commodis inseruit, & adoptato cogitur quartam [e] bonorum suorum partem relinquere. Adoptiuus filius ab intestato [f] potest ad patris qui adoptiuus dicitur hæreditatem accedere Siquidem facto ab eo testamento, nihil quicquam potest ex eius hæreditate diuellere, ac nec bonorum possessionem contra tabulas petere, nec inofficiosi querela agere: propterea quòd non necesse habet adoptiuus pater, vt eum aut hæredem aut exhæredem faciat, in [g] ea quæ ipsi debetur quarta. Si adoptiuum filium emancipâro [h], non solùm mihi non succedit intestato, sed ne meo quidem testamento præteritus, contra tabulas bonorum possessionem instituet. Iam enim desiit numero liberorum meorum haberi. Si dotali [i] filię instrumento illud adscripsero, nihil amplius eam ex hæreditate mea speraturam, id nullius est momenti. Siquidem priuata pacta iuri publico nullum afferunt præiudicium [k]. Quoties ij qui intestati decedunt [l], à latere cognatos habent & liberos, manumittuntur serui, nec potest hæres aut ab intestato cognatus hos in seruitutem detrudere. Datur porrò pro more subleuamenti causa, etiã bonorũ triens. Quin & manumissorum seruorum pretium in trientem imputatur. Mater quæ filio tutorem non petiit [m], ei si impubes decesserit, non succedit. Quòd si pubes factus obierit, rectè ei succedit [n].

Non possunt neque erga nouercam patres [o], neque erga vtricum matres, aut vitæ tempore vllam excercere liberalitatem, aut morte relinquere, nisi tantum quantum vnus ex filiis sit habiturus. Quòd si multi sunt liberi, quorum quisque portiones æquas habet, non plus feret aut vitricus aut nouerca, quàm ad singulos peruenerit. Sin verò inæqualia sunt quæ liberis relinquuntur, tantam necesse est ad vitricum aut nouercam redire partem ex qualicunque parentis beneficentia, quantam is qui minimum consequitur filius ex eius bonis fert, siue postrema voluntate relictum, siue vitæ tempore ex liberalitate collatum.

DE INDOTATA VXORE.

SI quis inopem [p] vxorem legis obseruata solennitate duxerit, & ante hanc decesserit, si quidem ad ternos vsque liberos huius vir habet, siue ex ea siue ex altero connubio, quartam bonorum viri partem accipit, ære alieno quod vir contraxerat priùs ex eius bonis per-

a l. si spurius. vnde cogn.
b Fac. §. pen Instit. de senat. Orfic.
c l. si te parens. C. de su. & leg. §. sed ea omnia. Institut. de hæred. quæ ab inte. defer.
d quæ habes Nou. de hæred. ab int. §. consequens.
e §. cum autem impubes. sub fi. de adopt. l. si arrogator. ff. eo.
f Institu. de hæred. ab int. §. sed ea omnia. & ibi Theoph. vbi hæc penè ad verbũ sumpta sunt. l. pen. §. sed ne articulum. C. de adopt.
g Hæc verba non habet Theoph.
h Instit. eo. §. eadem hæc, in fin. & ibi Theoph. & d. l. pen. §. sin autem.
i d. l. pactum dotali. C. de collat.
k l. ius publicum. de pact.
l De hac re diximus suprà libr. j. titu. de pretio seruorum.
m l. sciant. C. de leg. hæred. l. omnem. ad sen. Tert.
n l. ij. C. eodem.
o l. hac edictali. in princip. C. de sec. nupt. No. de nupt. §. optimè autem.
p Nou. de exhib. re. §. quoniã verò ad clementiam. Nou. vt lic. mat. & aui. §. quia verò legem du dum posuimus. vnde sumpta est Authent. Præterea. C. vnde vir & vxor.

soluto: ita tamen vt centum auri librarum summam non excedat. Quòd si plures fuerint liberi ea in specie tantum à muliere percipi volumus, quantum vni liberorum competit, ea tamen lege, vt vsum duntaxat in eiusmodi rebus mulier habeat, proprietate liberis quos ex eodem coniugio sustulit, reseruata. Sin ex eo liberos non suscepit, etiam proprietatis iure rebus illis mulierem potiri volumus, quas ex viri bonis est consecuta. Ac si legatum ei vir minus præfinita portione reliquerit, expleri [a] hoc omnino iubemus. Cæterùm si quas res peculiares mulier in mariti ædibus aut alibi conditas habet, earum exactionem ac retentionem omnibus modis integram & nulla ex parte imminutam habeto. Atque hæc dicimus, si mulier quæ dotem non attulerit, inops sit, vt vir quidem decedens locuples sit, quæ verò superstes est, inopia prematur. Nam si fortè aliunde opulenta est, haud sanè æquum fuerit eam quæ dotem non attulit, liberos coniugi succedendo grauare. Idémque locum habet & in viro qui donationem ante nuptias non spopondit. Inopia siquidem pressus quadrantem ex vxoris facultatibus, iuxta præscriptum LIII Nouellæ percipiet.

QVINQVAGESIMA AVTEM SECVNDA Cæsaris Leonis Nouella, ita statuit:

Et hanc constitutionem emendans regia nostra celsitudo sancit, vt mulier, eiusmodi portionis proprietatem plenam habeat, cui nihil subtrahatur, & de ea quicquid sibi visum fuerit statuat, sic vt nihil aliud filiis debeatur, præter id quod ex lege Falcidia ipsis obuenit: dum tamen ne superioris coniugij mater obliuiscatur, neque alteri viro nubens, prioris torum iam in honore habere desinat. Nam hoc si fecerit, data à nobis facultate priuabitur, ac filij vbi ea vita excesserit, rerum eius plenam habebunt potestatem ac dominium.

Etiam ex indotata muliere procreati liberi, ex æquo succedunt [b] cum filiis ex matre dotata genitis, nullúmque adeò inter hos atque illos, quod ad hanc rem attinet, est discrimen. Si quid fisco debetur [c], personalis quidem actio aduersus omnes debitoris hæredes ei competit: hypothecaria verò aduersus eum qui pignora tenet.

DE NATVRALIBVS LIBERIS, AD ID VT LEGITIMI FIANT, PROCLAMANTIBVS.

SI quis cum filium [d] habeat aut filiam ex libera muliere, cum qua & matrimonium legitimè contrahi potest, in instrumento dixerit vel forensi, vel propria manu conscripto, quod & trium fide dignorum testium subscriptiones habeat, idque siue in testamento siue in actis monimentísque conficiendis, illum illámve sibi filium esse vel filiam, neque naturalem adiecerit, eiusmodi liberos esse volumus ingenuos, ac omni eos iure frui, quod nostræ leges liberis concedunt legitimis. Nam vel inde cum eorum matre ostenditur legitimum ei intercessisse matrimonium. Quòd si quis etiam multos ex eadem habens eiusmodi liberos, de vno illorum tale protulerit testimonium, satis esse aliis volumus ad consequenda legitimorum iura, quòd

a *Ex l. omni modo. C. de inoff. test.*

b *d. No. vt li. mat. & auiæ. §. hoc quoque præsenti.*

c *l. ij. C. de hæred. act. cum simil.*

d *Ead. Nou. vt lic. §. ad hoc autem & illud.*

quòd vni pater testimonium suum exhibuerit.

DE NVPTIALIBVS.

MATER quæ secundò non nupserit [a], & ascendentium quilibet si ad secundas nuptias non transierit, percipit vnà cum vsufructu nuptialium lucrorum, etiam partem vnius ex liberis, quod ad proprietatem attinet. Hoc verò in matrimoniis locum habet, quæ morte non diuortio soluuntur. Liberis autem obuenit vniuersum [b] nuptiale lucrum ex quacunque solutione matrimonij, quod ad proprietatem spectat, etsi secundum matrimonium, eorum parentes non contraxerint, qui & vsumfructum huiuscemodi lucrorum habent, liberos suos alentes.

a Nou. vt frat. fil. suc. §. quia verò mulieres. vnde excerpta est Auth. si tamen. C. de secund. nup.

b Nou. neque vi. quod ex do est. §. propterea igitur. vnde sumitur Auth. vxore mortua. C. eod. superiori contraria.

SCHOL.

Caput hoc maximè secum pugnat. Si enim reuera mater quæ nuptias non iterat, quin & quiuis ascendentium secundas nuptias non aggrediens, consequitur præter nuptialium lucrorum vsumfructum, etiam partem aliquam proprietatis, quæ nimirum vni ex liberis competit, si morte ac non diuortio matrimonia soluantur: quî fieri poterit, vt liberis, etsi eorum parentes nuptias non iterârint, quicquid est nuptialis quæstus quoquo modo soluto matrimonio obueniat? Propriè enim ea matrimonij solutio est, quam mors efficit. Si itaque cum vellet solutionem quæ ex morte accidit, à reliquis seiungere solutionibus, illud dixit ex quacunque matrimonij solutione, vt in illa quidem mortis inquam solutione, parentes qui secundas nuptias non contraxerint, partem aliquam etiam proprietatis lucrorum ferant nuptialium, in his verò talem partem haud quaquam habeant, vtique illud par erat adiici, ex alia quacunque solutione. Ac forsan hoc modo totum caput saluum tueri possimus, ni & aliud quippiā obstaret. Verùm existimo Nouellas duas, nonagesimam inquā octauam & centesimāvicesimamseptimā, quæ planè inter sese aduersantur, autorem nostrum per imprudentiam in hoc eodem capite coniunxisse. Quod enim omne nuptiale lucrum filiis obueniat, ex xcviij Nou. est. Quod verò partem aliquam parentes si nuptias non iterent, ferant, ex cxxvij. Si ergo hæc superiorem tollit [c], sit illa planè sublata.

c Quod & monuit Accur. corrigi inquam §. propterea igitur. Nou. ne vir quod ex do. quæ Græcè est διάταξις ϙη', per §. quia verò mulieres. Nouel. vt frat. fil. quæ Græcè est διάταξις ρκζ'.

Habebat quis vxorem, ac ex ea liberos. Hos viuente etiamnum vxore emancipauit. Posteà decessit mulier. Licet patri portionem vnam [d] filiorum ex rebus maternis, quod ad vsumfructum spectat, quandiu vixerit capere, proprietate rursum post mortem ad filios transmittenda. Quòd si adhuc in potestate sint filij, rerum omnium maternarum pater etsi ad secundas nuptias transierit, vsumfructum habet. Sin verò non superstite adhuc matre, sed ea iam defuncta pater filium emancipârit, patri liberum est semissis quidem vsumfructum [e] sibi retinere, reliqui semissis, filio relinquere. At si non vnicus sit, sed plures filij, híque omnes à patre, iam mortua matre sint emancipati, non iam pater dimidium habet vsumfructum, sed tantum filio ex eo semisse adiicit, quantò plures sunt liberi: hoc est si duo sint, semissis semissem: si tres, bessem semissis. Si verò quatuor aut vltrà, tum rursum, vna duntaxat vnius liberorum parte accepta, cætera bona materna filiis tradit, nisi sponte sua liberi patri permiserint aliud quippiam in rebus maternis agere ac statuere. Si qua mulier amisso viro, secundis abstineat nuptiis [f], habeat quidem, quemadmodum & anteà sanximus, donationis ante nuptias vsumfructum. Habeat

d l. pe. & vlt. C. de bo. mat. Nou. de nupt. §. quoniā omnino.

e §. hoc quoque. Insti. per quas perso. nob. acquir. l. cum oportet. §. cum autem. C. de bo. quæ lib.

f d. Nou. vt fra. fil. §. quia verò mulieres.

insuper & in proprietate tantum, quantum pro liberorum numero resultat, vt quod ad proprietatis rationem attinet, ipsa quoq; vnius ex filiis personam sustinere videatur. Hæc autem etiam in patribus & cæteris ascendentibus, qui scilicet ad secundas nuptias non transeunt, obtinere volumus. Atque erunt hæc [a] ipsis propria, adeò vt nihil penè à reliquis eorum facultatibus distent. Habebunt siquidem plenam horum alienandorum potestatem, vt & superstites adhuc & morientes de his pro arbitratu suo statuant. Si tamen hæc decedentes non abalienata reliquerint, neque expresim aut omnia aut horum aliqua ad alios transmiserint, consequentur ea filij ex æquo, etiamsi patri aut matri hæredes non sint, aut alij quidem sint, alij non sint: nisi quis fortè eorum, quòd ingratus extiterit, huiusmodi beneficium amiserit.

a *Ad verb. penè ex Nou. de nupt. §. soluto, & l. si quis prioris. §. j. ij. & iij. cum Authen. nunc autem, & Auth. Hæres. C. de sec. nupt.*

DE CRIMINALIBVS.

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

SANCIMVS [b] eorum qui criminum accusantur, quibus leges proscriptionis aut mortis pœnam irrogant, si conuicti damnatíve fuerint, facultates præsidibus lucro non esse, nec eorum apparitoribus ac ministris, sed nec fisco iuxta veterum legum præscripta adiudicari: sed si quidem descendentes habuerint, his omnia eorum bona vendicari, iis exemptis quæ reo ex eiusmodi crimine quæsita sunt. Quòd si non descendentes extant sed ascendentes, his ad tertium vsque gradum cedant. In iis tamen qui maiestatis damnantur, veteres leges [c] obseruari volumus.

b *Nou. vt nul. iud. §. vlt. vnde Authen. bona. C. de bo. prosc. sumpta est.*

c *l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest.*

DE IMPERFECTO TESTAMENTO.

EX imperfecto [d] testamento ne Princeps quidem hæreditatem vendicet. Constitutione [e] cauetur, ex imperfecto testamento neminem posse hæredem esse, nisi fortè descendentes, vtriusque sexus ascendentibus. Túmque si liberis admixta sit externa quæpiam persona, quod ad liberos quidem spectat, valet testamentum: quod verò ad externum, planè non subsistit.

d *l. ex imperfecto. de leg. iij. l. ex imperfecto. de test. C.*

e *d. l. hac consultißima. §. ex imperfecto. C. eod. Hoc & antè dictum est tit. v huius lib.*

DE FRATRIS ADOPTIONE.

NE apud externos [f] quidem, hoc est eos qui extra Romam habitant, per adoptionem frater constituitor. Quòd si quis vt frater assumptus atque adoptatus, fuerit scriptus hæres, hæreditatem amittito.

f *l. nec apud. C. de hæred. instit.*

DE ABIECTO AC TENVI HOMINE.

SI abiectus [g] ac tenuis homo, intestatus decesserit, nullis relictis cognatis, ab intestato succedunt ei tenues alij atque abiecti.

g *Huc pertinet l. j. & tot tit. C. de hæred. decur. nauicul. cohor. mil. & fabric.*

DE MONASTERIIS IMPERFECTIS.

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

QVOD ad eos pertinet, qui inchoatum ac imperfectum relinquunt monasterium, illud à nobis sancitur, vt si quidem

no

nouissima voluntate de eo quid statuerint, quæ in ea ordinata fuerint, sint ecclesiæ. Sin verò (qualia sæpe plurima casus affert incertus) antè raptus fuerit, quàm ei res suas ordinare liceret, extantibus quidem liberis ad ternarium vsque numerum, quartam bonorum partem auferet sibi monasterium. Quòd si maior fuerit sobolis ab eo susceptæ numerus, simul cum filiis connumerabitur monasteriũ, & ęquam partem feret cum vnoquoque horũ, ex vniuersis nimirum bonis, à quibus æs alienum quod defunctus cõtraxerat, deductum [a] fuerit. Porrò si non liberis quidem, sed parentibus relictis animam exhalârit, bifariam distributis personis, altera quidem patrimonij pars parentibus, altera verò deferetur monasterio. Sin hæredibus vacat omnino & ascendentibus & descendentibus, eos qui ex transuerso veniunt, admittit quidem hæreditas, sed ita vt ipsi quidem, si, & quantocunque numero extiterint, trientem duntaxat bonorum consequantur, reliquus bes ecclesiæ cedat.

a *Ex l. subsignatum. §. bona. de verb. & rer. signific.*

NOVELLA CAESARIS ATHANASII.

Iubemus eos qui absque liberis velut viduam traduxere vitam & virorum & vxorum bona, neque ab iis rapi qui publica munera [b] obeunt, neque ab iis qui eos in sua habent curia: sed trientem quidem patrimonij illorum, à dominis intercipi, trientem in defuncti memoriam insumi, residuum verò trientem parti superstiti deferri. Quæ si etiam decesserit, eius cognatos, qui ex lege vocantur ei succedere. Si verò nullus defuncto cognatus extiterit, fisco dimidium, dimidium illius memoriæ tribui.

b *Latinitatis ignarus Accursij Institut. de leg. Falc. aut alterius cuiuspiam sequitur commẽtum: cùm constet nomẽ habere à C. Falcidio trib. plebis, qui tempore Augusti eã tulit, vt & Eusebius in chronicis testatur.*

DE FALCIDIA.
TIT. IX.



FALCIDIA In iuris corpore dicitur, cum ex re quapiam communi, cuius plures sunt participes, pars aliqua cuiq; horum qui in ea cõmunicant, datur. Estque Falcidia, quod vulgo μερίδα, id est partem appellare solent. Efferunt autem [b] Græci nonnunquam masculeo genere ὁ φαλκίδιος, interim verò neutro τὸ φαλκίδιον, quasi dixeris μερίδιον hoc est particulam. Latini voce tantùm fœminea Falcidiam enuntiant. Estque Romana vox, quam nonnulli deduci putant à falce [b], quod nomen si Græcè vertas, δρεπάνην, & sectionem quæ ἀπὸ τῆς δρεπάνης hoc est per falcem fit, significat: tanquam res quæ diuiduntur, necessariò quoque diuisione velut falce quadam dissecentur.

Falcidia est, vsque ad quatuor quidem filios, tertia puri [c] patrimonij pars, pluribus verò liberis extantibus, dimidia. In hac itaque iam dicta tertia aut dimidia bonorum parte concurrunt, quotquot in Falcidia instituti sunt, aut quibus est præfinita ac relicta Falcidia, post eum scilicet qui reliquas facultates sibi iure hæreditario ex nouissima defuncti voluntate vendicârit.

c *Quod purum sit patrimonium, habes Instit. eod. §. vlt. & Theophil. ibi. Caterùm obserua hunc autorem Falcidiam cum legitima liberorum portione confundere. de qua habes No. de trien. & semis. §. j. & auth. nouissima. C. de inoffic. test. Quartarum rationem diligenter persequitur glo. in c. Rainutius. extrà de testam. ad ver. Trebellianum. Est tamen, vbi Falcidiam pro legitima vsurpatam inuenias.*

SCHOL.

SCHOL.

Hoc huiusmodi [a] est. Iubet lex vniuersum cuiuspiam patrimonium duodecim esse partium, & omnes cuiusque facultates duodecim complectitur vnciis. Porrò duodenarius numerus ex ter quatuor conflatur ac resultat. Ter enim quatuor, duodecim efficiunt. Quoniam ergò triens semper hæredi reseruatur, bes autem residuus in potestate domini testantis situs est, vt de eo pro arbitrio suo statuat, inquit lex licere legata relinquere ad octo vsque vncias, hoc est ad summam bessis. Quatuor enim vnciæ, hoc est vniuersi patrimonij triens hæredi saluus permanet.

Hæc ergò Falcidia, cum quis haud plures habeat quàm quaternos liberos, sed aut quaternos, aut pauciores, triens est paternarum facultatum, qui quidem debeat liberis velut hæreditatis ac legitimæ portionis nomine dari, & ex æquo inter eos distribui. Si verò cui plures sint quàm quatuor filij, tum semis bonorum eius in Falcidiam imputatur, cogiturque pater dimidiam facultatū suarum partē liberis diuidendam dare, vt nimirū eam illi inter se æquis distribuāt portionibus. Patrem igitur ante omnia oportet filiorum ratione trientem aut semissem bonorum suorum seponere ac reseruare. Qua re peracta, de reliquis rebus suis quoquo modo libuerit statuere potest. Hoc optimo sanè & laudando admodum cōsilio, à lege prospectum est & cautum. Quos enim nobis natura deuinxit & conciliauit, his in primis prospiciendum est ac medendum, primumque reddendum quod his debetur, ac velut proprium est. Deinde potest se quis, si voluerit, ad externos conuertere, & iis pro arbitratu suo quicquid ex bonis suis residuum est, relinquere.

Liberum cuique est ad octo vsque vncias [b] legata relinquere. Quatuor enim vnciæ hoc est qui superest bonorum omnium triens hæredi saluus permanere debet. In legis Falcidiæ ratione, æs alienum quod defunctus conflârat, deduci [c] oportet, item & impensas funebres, & manumissorum seruorum pretia. Ac tum demum quod reliquum fuerit perspiciendum quantum sit. Id enim purum haberi conuenit ac syncerum patrimonium. Ex quo tertiam sibi partem hæres retineto. Sciendum, si externus quidem hæres scriptus sit, filium in detrahēda Falcidia, saluum ac illibatum accipere puri patrimonij trientem: sin verò filius, Falcidiam ex æquo inter se partiri hæredem scriptum, & eum qui Falcidiam resecat [d]. Reliqua enim bona velut speciali quadam liberalitate in se collata ducit, cùm etiā externo forsan potuisset ea pater relinquere.

Vt in hac specie. Cū tres essent mihi filij, Petrus, Paulus & Ioannes: Petro decē libras donaui, Paulo sex, ac decedens Petrum hæredem reliqui, mandans vt Ioanni libra vna daretur. Hic Falcidiam postulat. Subducitur vniuersorum defuncti bonorum ratio, & decem, & sex librarum, & eius quod reliquum est. Finge autem in reliquis bonis octo libras fuisse, vt simul cogantur in toto patrimonio xxiiij libræ. Hinc subtrahuntur decem, & sex: quas ferunt, Petrus quidem x, Paulus sex. Octo quæ supersunt, libras tres filij simul partiuntur, hoc est totius summæ xxiiij librarum, quas in toto patrimonio esse diximus, trientem. Est enim vt iam diximus, Falcidia, vsque ad quatuor filios, puri patrimonij triens: vbi autem maior est liberorum numerus, semis.

Cum quis alicui hæreditatem reliquerit, hac verborum cōceptione: Ædeis meas vendi volo, & hoc atque illud, atque ita ex omnibus bonis meis æs alienum meis creditoribus persolui, daríque filio meo legitimam portionem, non deducto ære alieno, datur filio triens seu legitima portio, sed ante omnia filius Falcidiam [e] accipit, túmque ex reliquo patrimonio creditoribus & aliis satisfit. Non potest Falcidia

a Pertinet hoc scholium ad sequentem νομοθεσίαν. Quanquam & sub fin. præcedentem quoq; constitutionem explicat.

b Imò verò ad dodrātē vsque. l. j. in princip. ad l. Fal. Instit. eo. in princ. verùm hoc referre videtur ad legitimā liberorū portionē, quā, vt iam dixi, cum Falcidia confundit. Et certè existimādum est liberos legitimā suā portionem habere pro Falcidia, etsi alia est Falcidiæ in liberis, atque in extraneis, quantitas. Quin & aliquando Iustinianus legitimā liberorū portionem, Falcidiam nominat.

c §. vlt. & ibi Theoph. Instit. l. j. §. vlti. & pen. ff. l. in imponenda. C. eo. l. Papinianus. §. quarta. ff. de inoffic.

d Hoc iuri nostro repugnat, quo ij qui Falcidiam aut legitimam portionem capiūt, totam eam consequuntur, nec cum hærede scripto partiuntur. §. hinc nobis. de hæred. & Falc. A qua & omne detrahitur grauamen. l. quoniā in prioribus. C. de inoffic. test.

e Legitima nanque portione pater filiū fraudare nō potest. l. parentibus. C. de inoffic. cum simil.

cidia[f] viuis adhuc parentibus dari. Quantuncunque enim filius à patre superstite acceperit, potest post eius mortem rursum aduersus eius hæredes agere, etsi pactio fortè aut stipulatio inter patrē & filiū intercesserit. Quòd si filius re aliqua à paternis hæredibus accepta, cum his transegerit, nec illud pacto insertum fuerit, se etiam de parentum Falcidia transigere, siue ea sibi amplior, siue minor obuentura erat, poterit & rursum Falcidiæ nomine actionem instituere, neque pacti exceptione summouebitur. Etsi post mortem dari solet Falcidia, si tamen dotem pater promiserit, eius non præfinita quantitate cogitur interim dotis [b] nomine vel viuens adhuc, tantum dare quantum Falcidiæ implendæ satis sit. Etiam disiuncta à viro vxore ac detonsa, dotísque nomine satisdationem postulante, Magister cùm huic comperisset esse filium, Falcidiam filio seposuit[c], vtpote trientem totius dotis eius. Necessariò etiam filius nulla relicta sobole decedens, Falcidiā debet parentibus [d], quæ est tertia eius bonorum pars, quemadmodum & Magister censuit. Is enim cum secundum patrem sententiam tulisset, vt ex vniuersis filiæ à se dotatæ ac præter pacta legúmque præscripta testatæ bonis trientem, propter eiusmodi casum quo esset naturæ ordo turbatus, cum puris illibatísque fructibus auferret, id statuit, hac insuper verborum vsus formula: vbicunque locum habet Falcidia, fructus [e] trientis ex morte testatoris hæredi debentur. Et rursum defuncta absque liberis filia, facto testamento, ac orta circa pactionem ambiguitate, Magister ob naturæ consensum & dolorē patrium, censuit vt pater trientem acciperet non dotis, sed omnium filiæ bonorum [f]. Cæterùm hæc omnia fusiùs inuenies in Magistri volumine tractata, sub titulo de mulieribus. In libro autem de hæreditate, apertè id de naturalibus liberis statuit. Testator autem qui ascendentes habet, aut alios quibus lex trientem facultatum suarum cogit relinquere, potest in bonorum suorum besse, hæredes scribere naturales [g] liberos. Et in tractatu de testamentis: Filius decedens in testamento faciendo vili quodam ac exiguo legato parentes est prosecutus, adiecta simul causa quamobrem plura his non relinqueret, quòd nunquā ab his quicquam esset consecutus, imò verò his ipse superstes adhuc, plurima subministrasset. Verùm quod ab eo peccatum fuit, emendauit æqua sua & iuri consentanea sententia Magister qua pronuntiauit, vt omnium eius facultatum trientem pater & mater iuxta legum præscripta perciperent. Et Iustiniani constitutio [h] debere dicit emancipatum filium (Græci αὐτεξούσιον dicunt) si testatus decedat, rei suæ trientem patri relinquere, siue hoc pater eum emancipans pactus fuerit, siue non fuerit. Etiam liberti, patronis ex necessitate Falcidiam [i] debent. Vulgo concepti [k], neque ipsi in patrum successione vllum habent à lege auxilium aut prærogatiuam, neque item in ipsorum successione patres. Si quis immensam [l] in filiorum aliquem vel aliquos donationem contulerit, necesse habet in tribuenda

a *l. si quando. §. j. & vlt. C. eod.*

b *Cū hæc in quartā legitimā imputetur. l. quoniā Nouella. C.*

c *Et merito, cùm nulli filiorum legitimā poßit īminuere mater monasteriū īgrediens. Auth. si qua mulier. C. de sac. ec.*

d *l. pater filium. sub fi. cū l. seq. de inoffi.*

e *l. quod de bonis. §. fructus. ad leg. Fal. Quod & in omni quarta locum habere dicit Acc.*

f *d. l. nam etsi parentibus. de inoff.*

g *No. quib. mo. na. ef. sui. §. si verò habuerint. & auth. licet. §. j. quæ inde excerpta est. C. de nat. li.*

h *Hæc nō extat inter Iustinianeas constitutiones. Meminit tamē Cōstātinianæ cuiusdam legis quæ hoc statueretur, l. cū oportet. §. cū autem. de bo. quæ liber. Etsi id ad vitæ magis tempus referēdum videatur. vide & l. Pātonius. ff. si à pa. quis manu. & ibi Acc. in gl. ad ver. constitutæ. Huc fa. & l. vl. C. de emāc. lib. cū dicit, etsi specialiter hoc sibi non seruauerit.*

i *Trientem suorū bonorū. §. sed nostra. Inst. de succes. lib.*

k *§. pen. Instit. de success. cognat.*

l *Ad verb. ex Nou. de immē. don. vnde auth. vnde si parēs. C. de inof. petita est. Conc. c. Rainutius. & gl. in verb. deducendas. extr. de test.*

hæreditate tantam liberorum cuique ex legis præscripto portionem reseruare, quanta erat, priùs quàm filiū vel filios ea ornâsset ac prosecutus esset donatione. Hac enim ratione nihil iam habebunt, quod queri poßint: vtpote cùm in omnibus paternis rebus id habeāt, quod sibi lege obueniebat, & vsque eò donationis modus progressus sit, quantum in bonis paternis erat, antè quàm donationibus essent exhausta. Neque illud poterūt qui donationibus à parente ornati sunt, dicere, se his quidem immensis donationibus esse contentos, verùm sibi visum esse à patria hæreditate abstinere. Sed profectò non compellentur quidem, si in se factis donationibus acquiescunt, hæreditatem agnoscere & admittere, attamen modis omnibus cogentur fratribus æquare, quod inde ad eos peruenit, iuxta eum quem præscripsimus modum: vt nimirum illi propter modum in donationibus non seruatum, non minorem habeant portionem quàm quæ sibi iure debetur: præsertim quum patri liceat modo in vniuersam sobolem suam obseruato, etiam iis quos impensiùs diligit, amplius aliquid largiri, neque interim reliquos liberos, ornatis supra quàm par fuerat & modus patiebatur illis, lædere, nostrúmq; institutum prætergredi. Atque hæc de filiis dicimus, qui in parentes grati sunt, non etiam de ingratis, & quibus pater iustam legitimámque ingrati animi causam opponit. Si enim hoc ita habuerit, & demonstratæ fuerint ingratitudinis causæ, rata sunto quęcunque legibus [a] de ingratitudine cauta sunt, ac nihil hac nostra constitutione labefactentur.

a De quibus infrà.

SCHOL.

Legem hanc ita est interpretatus Magister. Si duobus filiis suis pater, verbi gratia, triginta libras donârit, ac posteà testamētum condiderit, quo reliquis duobus liberis res suas distribuerit: haud sanè solas eas quæ apud se supersunt facultates numerare poßit, quæ forsan sunt & aliarum triginta librarum, sed his conferet & quantitatem illam donationum iam memoratam, sicque Falcidiam efficiet. Nam si ex iis tantùm quas apud se habet facultatibus portionem legitimam segreget, exigua proculdubio relinquetur liberis hæreditas. Quòd si legis voluntatem impleuerit, maiorem partem ferent liberi. Et qui Nouellas in compendium retulit, de immensis donationibus ita inquit: Ne immensa quidem in aliquem ex liberis donatione collata, cæteris fratribus Falcidia [b] minuitur, nisi fortè ingrati sint. Debet enim planè ipsis legitima relinqui portio, ex iis quas defunctus parens mortis tempore habebat facultatibus.

b Vides vt Falcidiā pro legitima sicut & suprà diximus, vsurpet, sicut & ipse Iustinianus. d. No. in prin. & sæpe alias.

DE FILIIS QVI IN POTESTATE SVNT, HAEC VIDETVR DICERE:

SI pater aut mater filiū filiámve matrimonio collocârint, & contigerit decedere filiū, non habet is testandi [c] facultatem, siue dotē habet siue ante nuptias donationem, superstite adhuc vtroq; parēte. Quòd si eorū alteruter decesserit, liberè de eo quod à defuncto [d] est cōsecutus, testatur. Cum quis vxorē haberet, & liberis ex ea procreatis filiam dotasset, cum ea posteà diuortium fecit. Deinde longo tempore interiecto secundam vxorem duxit, & ex ea puerum sustulit. Defuncto patre secundus ille filius instabat dotem vel hæreditatem quærens à sorore, quæ ex altera matre progenita fuerat, ac antequam

c l. qui in potestate. de test.

d Hoc secus habet iure nostro in iis quæ à matre habuit. l. vlt. §. filiis. C. de bo. quæ lib. Quāquam in Nou. vt lic. mat. & auiæ §. j. cum dicit, quo volūt modo disponere. idem Iustinian. hoc videtur permisisse. Refragatur tamē Accur. eo loci.

tequam ipse nasceretur, sortem sibi debitam dotis nimirum nomine acceperat. Hac in specie pronuntiauit Magister oportere hanc vel inuitam fratri ex altero parente dare Falcidiam [a]. Idem enim pater ambos, etsi hanc quidem priorem, illam posteriori tempore progenuit. Quod enim ad Falcidiā attinet, nulla ratione iuuabitur. Potest filius aduersus patris testamentum aut donationem ab eo factā querelam instituere, nisi quod ei relictum est [b] omnino, ad explendum trientem satis est, aut patris agnouit [c] voluntatem, aut iam effluxit quinquennium [d], & vigintiquinque annis maior est. Est insuper & querelæ locus, aduersus maternas quoque [e] donationes, si filia id non acceperit, quod pro rata parte ad trientem sufficiat.

Vult constitutio, si quis posthac res suas restitui mandârit, eum primùm quidem filio portionem reseruare legitimam, non quartam (id enim correximus nimia eius tenuitate damnata) sed trientem omnino, aut semissem pro numero liberorum. Deinde & ex residua bonorum parte, si non satis est legitima portio ad dotem vel ante nuptias donationem tradendam pro decoro ac personarum qualitate, id etiam ex restitutione [f] eximere, quod si legitimæ portioni addatur, dotem aut ante nuptias donationem sit perfecturum.

Quæ de Falcidia traduntur [g], non in patre tantùm, sed & in matre, auo ac proauo locum habent, item & fœmineis personis horum cuiq; respondentibus, hoc est auia & proauia, siue à patre sint, siue à matre. Nec iis modò qui ex mascula sed & qui ex fœminea sunt cognatione nepotibus & pronepotibus, necessariò debetur ab ascēdentibus Falcidia, tantum ex horum patrimonio nepotibus ac pronepotibus percepturis, quantū percepisset eorum pater aut mater, si superuixisset. Quin & iis qui ex indotata vxore legitimè sunt editi, debetur Falcidia. Ac eadem obtinent & in iis [h] qui ex posteriore affectu dotalibus confectis instrumentis effecti sunt legitimi. Nisi inuentarium [i] rerum hæreditariarū hæres confecerit, Falcidiā non retinebit, sed legatariis plenè satisfaciet, etsi legatorū præstatio puri patrimonij defuncti modum excedat. Quæ funeris [k] causa impensa sunt, tanquam æs alienum in Falcidiæ ratione deducuntur, non item quę in extructionem monumēti erogata sunt. Nam & hæc Falcidiā patiuntur: & cui hæc legata sunt, ei non amplius concedendum impendere, quàm quod ad modicam speciem monumenti sufficiat.

Si mortis causa [l] pactum de remittendo debito cum debitore iniero, locus est Falcidiæ. Triens [m] Falcidiæ ex omnibus legatariis [n] pro rata retinetur. Si hæres quòd factum ignorârit [o] Falcidia visus non sit, ac ideo plus quàm par erat soluerit, repetere ac recipere potest quod præter modum dederit. Sed si id iuris ignorantia

a Filia ita demum fratribus dotem cōferre tenetur, si ab intestato succedat, aut contrà tabulas agat. l. filiæ dotem. de collation. C. Ex testamento enim non cogitur, nisi id pater expressserit. l. filiam. C. eodem.

b l. cum quæritur. C. de inoff.

c l. parentibus. C. eodem.

d l. si quis filium. in fine. l. secunda. in quibus causis in integrum rest. non est nec. C.

e l. si mortis causa. C. ad legem Falc.

f Suprà eiusdē lib. ti. j. speciali ti. de mulierib. legebatur in Græco exep. ὑποςάσεως, hîc verò ἀποκαταςάσεως: quæ lectio & rectior est, cùm & ita in Nouel. de restitut. & ea quæ parit vndecimo men. §. quamobrem. legatur.

g Huc facit quod notatur Nouella de triente & semisse. §. j. in verbo, hoc obseruando in omnibus. vbi & Accurs.

h De quibus habes in Nouel. de filiis ante dotal. instrumenta nat. & Nouel. quibus modis natural. effic. legit.

i Nouel. de hæredib. & Falcid. §. si verò non fecerit. & authen. sed cum testator. inde sumpta. C. ad legem Falcidiam. *k l. prima. in fin. cum l. sequen. ff. eod.* *l l. quod de bonis. in princip. eodem.* *m Vel potius quadrans. Neque enim aliæ quartæ à legitima per Nouel. de trien. & semiss. auctæ sunt, vt docet Accur. ead. Nouel. §. primo. in gloss. ad verbum, hoc obseruando in omnibus.* *n l. secunda. C. ad legem Falcidiam.* *o l. error. C. eodem. l. regula. ff. de iuris & fact. ignorantia.*

fecerit, non iam veniam meretur. Si quid vxori vir, aut viro vxor donarit, donantis morte confirmatur donatio. Quando autem & hac in re fideicommissi munere donatio fungitur [a], fit vt locus sit Falcidiæ. Si quando testamentum quispiam faciens [b], rem aliquã immobilem, propriæ familiæ, aut alij cuipiam personæ legati nomine reliquerit, ac specialiter vetuerit, ne res ea vnquam abalienetur, sed perpetuò apud hæredes successorésve illius cui relicta est permaneat, in hoc legato iubemus Falcidiã legem prorsus locum non habere: præsertim cùm huius alienationẽ testator ipse prohibuerit. Si decedens [c], purè & absque conditione tibi donâro, non rectè hęredes Falcidiam retinere quærunt. Neq; enim Falcidia in simplicibus hoc est inter viuos, sed in mortis tantùm causa donationibus locũ habet.

DE EXHAEREDIBVS FILIIS.

SANCIMVS [d], ne omnino patri aut matri, auo vel auiæ, proauo aut proauiæ liceat proprium filium aut filiam reliquósve liberos, testamẽto suo præterire, vel exhæredes facere, nisi causas ingratitudinis nominatim testamento inseruerint: iustæ autem ingratitudinis causę hæ sunt: Si quis suis parentibus manus attulerit, aut atrocem indignámque iniuriam ipsis intulerit, aut criminum eos accusârit, quæ non sint aduersus principem vel rempub. aut cum veneficis tanquam veneficus versatur, aut vitæ parentum veneficio vel quoquo alio pacto insidiari conatus sit, hunc exhæredem esse sancimus.

Si cum nouerca aut patris concubina filius consortium habuerit. Si calumniator in proprios parentes extiterit, ac sua delatione, vt grauia damna passi sint, effecerit. Si ex diuturno [e] morbo decumbentibus ipsis, aut ad inopiam imbecillitatémque redactis, eorum liberi curam nullam gerant, cúmque à parentibus vocentur, ope sua eos dignari noluerint. Si quem dictorũ parentum in vincula coniectum esse contigerit, filij autem qui ab intestato possunt ad eorum successionem admitti, rogati, aut etiam eorum vnus, noluerit vadem se pro eo statuere, ac vel personæ vel debiti nomine fideiubere, quatenus soluendo esse deprehenditur is qui rogatur. Verùm hoc quod de fideiussione censuimus, ad mares duntaxat filios pertinere volumus. Si quis liberorum conuictus fuerit parentes prohibuisse, ne testamentum facerent. Itaque si quidem postea facere testamentum potuerint, liberum eis esto exhæredem ob hanc causam filium facere. Sin verò in ipsa prohibitione, absque testamento parentum aliquis decesserit, & alij siue qui ab intestato ad defuncti hæreditatem, aut cum filio, qui ne conderetur testamentum impedimento fuit, aut qui post eum vocantur, siue quos hæredes illi aut legatarios sibi esse volebant, siue qui detrimentum aliquod ex ipsa testamenti prohibitione perceperunt, hoc ipsum ostenderint, sic quoque fiat exhæres. Nec has solùm ob causas, verùm & si præter parentum voluntatem, in arenariorũ aut mimorũ numerum sese filius inscripserit, inque eo vitæ instituto persistat: nisi fortè & parentes

a *l. in donationibus. C. ad l. Falc.*

b *Ad verbum ex §. vlt. No. vt sponsal. larg. spec. sit contr. vbi & Accur. docet, quibus in casibus locum non habeat Falcidia.*

c *l. vbi ita donatur. de don. cau. mort. l. pen. C. ad leg. Falc.*

d *Totus hic tractatus, habetur iisdem penè verbis, in No. vt cum de app. cog. §. aliud quoque. cũ seq. col. viij. Græcè est διάταξις ριε΄. vnde sumptæ sunt authent. non licet. &, ex causa. C. de libe. præte. vel exhæred.*

e *Hæc causa non adscribitur inter xiiij illas quæ iam dicta Nou. exponuntur.*

rentes ipsi idem sibi vitæ genus delegerunt. Si cui ex memoratis parentibus, cum vellet filiæ aut nepti virum despondere, ac pro ea dotem iuxta patrimonij vires tradere, illa non consenserit, sed turpem obscœnámq; vitam agere maluerit. Si quo parentum, furore correpto, eius liberi, vel eorum nonnulli aut liberis ei non extantibus, alij cognati qui ab intestato ad eius successionem vocantur, ministerium ei & curam quam decet non exhibuerint, si quidem ab eiusmodi morbo conualuerit, licebit ei quemcunque libuerit filium aut filios aut cognatos à quibus neglectus est, ingratum vel ingratos testamento suo pronuntiare. Quòd si hunc, cum furoris morbo detineretur conspicatus externus quispiam à filiis suis aut propinquis aut etiam ab iis quos iam hæredes scripserat negligi, miseratione commotus, curam eius suscipere voluerit: potestatem ei facimus scriptæ attestationis mittendæ iis qui ab intestato vel ex testamento iam facto ad furiosi hæreditatem vocantur, vt ipsi eius curæ suscipiendæ incumbant. Sin autem & post eiusmodi attestationē neglexerint, & probatū fuerit externū in suas ædeis admissum furiosum suis sumptibus ad mortem vsque curæ habuisse, iubemus eum qui ita furiosi curam gesserit, & obsecutus fuerit quamlibet externus sit, ad huius successionem accedere, rescissa etiam eorum institutione, vtpote qui indigni sunt, qui furiosi, quemadmodum diximus, curam gerere neglexerunt: sic tamen vt reliqua testamenti capita in suo perstent robore. Porrò si vnum aliquem dictorum parentum captiuum detineri contigerit, atque huius filij, siue omnes, siue vnus, hunc redimere non laborarint, si quidem eam calamitatem effugere possit, in eius potestate situm esse volumus, vtrum hanc ingratitudinis causam testamento adscribere velit, nécne. Quod si liberorum incuria & contemptu inde ereptus non fuerit, sed in captiuitate excesserit, eos nequaquam sinimus ad eius venire successionem, qui in eo redimendo curam & operam non collocarunt: sed si liberi omnes id eodem studio neglexerint, res omnes quæ ab eo relinquuntur volumus ecclesiæ ciuitatis vnde ortus est adiudicari: inuentario nimirum publica testatione peragendo, ne quid omnino ex eius facultatibus depereat, ea certè lege vt quicquid inde ad ecclesiam redierit, in captiuorum redemptionem insumatur. Atque hæc de iis personis dicta sint, quas exhęredes facere nō licet, nisi nominatim expressæ ac demonstratæ fuerint ingratitudinis causæ. Cæterùm si is qui captiuus detinetur, cum filios non habeat, aliis qui ab intestato ad eius hæreditatem vocantur, eum vt redimant non laborantibus, in captiuitate decesserit, neminem prorsus eorum qui sese in eo redimendo segnes & ignauos exhibuerunt, patimur ad huius hæreditatem accedere, nisi antè quàm captiuus abduceretur, testamento fortè facto personas memoratas hæredes scripserit. Sed & hæredum institutione abrogata, reliquis interim testamenti capitibus in suo robore perstantibus, eiusmodi personarum bona simili-

ter etiam ecclesiis ciuitatum, vnde ortum acceperunt, adiudicantor, ea lege ne vllas alias in res quàm in captiuorum redemptiones insumantur, vt quibus illi à suis redempti non sunt, ex iis aliorum redemptiones procurentur, simúlque ex hac actione pia illorum subleuentur animæ. Quod idem obseruabitur, & si alium quempiam externum priùs hærede instituerit, quàm captiuus abduceretur: quod cum is compertum haberet, ipsum à quo erat scriptus hęres, ex captiuitate redimere non curârit. Hanc verò pœnam illis irrogari iubemus, qui decimumoctauum ætatis suæ annum expleuerint. Porrò in huiusmodi causis quoties in captiuorum redemptionem dari pecunias necesse fuerit, si quis proprias non habeat, esto ei, si iam dictæ ętatis est, potestas mutuandi pecunias, & res mobiles vel immobiles oppignerandi, siue proprias habet, siue eius res qui captiuus ab hostibus tenetur. Siquidem in his omnibus quæ in redimendos captiuos data aut erogata ostendentur, tales contractus ratos esse iubemus ac stabiles, vt qui ab eo qui sui iuris, iustæque ac legitimæ ætatis est, celebrati fuerint: sic vt nullum planè gignatur pręiudicium iis qui cum huiusmodi personis, iam dictis in causis, quemadmodum est expositum, contraxerint, quippe cum necesse habeat qui è captiuitate redierit, contractus eiusmodi ratos habere, & horum nomine non secùs ac ex debitis propriis teneri.

DE HAERETICIS.

SI quis ex memoratis parentibus, cum rectæ sit & publicè probatæ persuasionis, filium aut filios senserit Catholicæ fidei non acquiescere, nec in sanctissima ecclesia communicare, in qua beatissimi omnes patriarchæ certatim vnóque spiritu ac consensu probatissimam persuasionem annuntiant, sanctáque quatuor [a] concilia, Nicenum primum, Ephesinum primum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum secundum, itidem & Constantinopolitanum tertium, & Nicenum secundum, amplecti ac exprimere deprehenduntur, & persistant eiusmodi filij in eadem incredulitate: facultatem damus parentibus ob hanc præcipuè causam ingratos eos & exhæredes suo testamento scribere. Atque has quidem ingratitudinis causas hactenus constituimus. Cæterùm generaliter filiis rectæ persuasionis prospectum volentes, iubemus saluis & integris legibus, quæ iam de hæreticis latæ sunt, & quod ad Nestorianos attinet, & Acephalos [b], itidémque & quod ad Iacobitas & Monotheletas & Eiconomachos, & quæcunque aliæ sunt hæreses, à Catholica & Apostolica ecclesia palàm damnatæ, quibus adstrictos fuisse aliquos deprehensum fuerit, in his inquam omnibus hæc quoque diligenter & absque vlla transgressione obseruari, vt si quando parentes comperti fuerint vni alicui enumeratarum hæresium, aut alij etiam quæ his persimilis sit sese addixisse, atque ideo à Catholicæ ecclesiæ communione se seiunxisse, his ne liceat alios sibi hæredes instituere, quàm filios orthodoxos, & cum ecclesia Catholica communicantes, aut si non

a In Græc. exemplari legitur ἑπτὰ septem. Sed ex dicta Nouella legendum τέσσαρας, etsi hoc loco adiiciātur & alia duo. Horũ iiij conciliorũ fit etiam mẽtio. l. quicunque in hac. C. de hæreti. & Mani.

b De variis hæreticorum sectis habes in ca. quidam autẽ. xxiiij. q. iij. Item l. Manichæos. & l. Gazaros. C. eodem.

non extent liberi, propinquos ex masculea fœmineáve cognatione, qui scilicet rectæ sunt persuasionis. Quòd si, vt fieri assolet, liberorũ nonnulli sunt orthodoxi, & cum ecclesia Catholica communicantes, alij verò ab hac disiuncti, omnia parentũ bona ad filios solos orthodoxos redire sancimus, etsi huiuscemodi personæ iam testamenta fecerint, præter huius constitutionis potestatem ac præscriptum res suas ordinantia. Si verò posteà fratres ab ecclesia seiuncti, ad hanc redierint, reddatur eis competens portio, eo statu quo restitutionis tempore deprehensa fuerit, sic vt nulla ob fructus vel intermedij temporis administrationem molestia negotiúmve orthodoxis fratribus exhibeatur, qui eiusmodi res superiori tempore tenuerunt. Siquidem talium rerum quas ex fratrum portione à societate ecclesiæ alienorum orthodoxi possederunt, sicut alienationem prohibemus, ita & superiorum temporum fructus, atque administrationem nequaquam ab iis à quibus sunt possessæ, exigi ac reuocari iubemus. Quòd si ad finem vsque vitæ ij qui cum ecclesia non communicant, in eodem errore permanserint, tum sanè orthodoxos fratres aut eorum hæredes plenissimo proprietatis iure iisdem rebus potiri sancimus. Sin verò filij omnes peruersi & ab ecclesiæ communione alieni deprehensi fuerint, alij verò proximi cognati ex masculeo vel fœmineo genere ostensi fuerint rectam fidem colere, cúmque ecclesia communicare, hos hæreticis filiis præponi, eorúmque hæreditati succedere. Enimuerò si & filij & proximi cognati, à rectæ probatæque fidei consortio alieni sint, tum si quidem è clericorum numero fuerint eorum parentes, horum bona volumus ad ecclesiam ciuitatis, vbi domicilium habuerunt, pertinere: sic tamen, vt si ecclesiastici viri intra annuum spatium harum personarum bona vendicare neglexerint, horum proprietas ac dominiũ nostro fisco cedat. Sin laici fuerint, absque vllo discrimine horum facultates itidem ad sacrum ærarium nostrum redire. Quæ quidem obtinere volumus, & si intestatæ huiusmodi personæ decesserint. Omnibus insuper quæ & aduersus reliquos hæreticos aliis cõstitutionibus cauta sunt, & in Nestorianos & Acephalos, & cęteros qui cum ecclesia Catholica non communicant, in qua iam dicta quatuor sancta concilia ipsique patriarchæ acquiescunt & referuntur, etiam aduersus eosdem hæredes obseruandis. Si nanque pro huius seculi causis sumus soliciti, quantò æquius pro animarum salute summopere prospiciendum, & non vulgari studio est elaborandum? Si itaq; omnes has iam expositas ingratitudinis causas, siue ex his nonnullas apertas, siue vnam quamlibet parentes suo testamento inseruerint, & scripti hæredes expressas à testatore causas, aut vnam ex ipsis veram ostenderint, testamentum suas habere vireis iubemus. Quòd si hæc obseruata nõ fuerint, nullum inde exhæredatis liberis gigni præiudicium, sed quod ad hęredũ institutionem attinet, rupto testamento iterũ filios ad parẽtum hæreditatem ab intestato ex æqua portione vocari,

vt

vt ne falsis ac commentitiis accusationibus liberi damnentur, neque in parentum bonis circumueniantur & fraudentur. Quòd si contigerit in aliquibus eiusmodi testamentis relicta esse legata vel fideicommissa, libertates vel tutorum dationes, aut quæuis alia capita de quibus legibus cautum est, ea omnia impleri iubemus, & illis tradi quibus relicta sunt, perinde ac si hac parte non abrogatum testamentum valeat. Atque hæc quidem de parentum testamentis statuimus. Æquum porrò iudicauimus & ex aduerso de liberorum testamentis eadem cum aliqua tamen distinctione, statuere. Sancimus igitur, ne liberis liceat parentes suos exhæredes relinquere, aut quoquo modo hos à rebus suis de quibus facultatem habent testandi, planè alienare, nisi causas quas enumeramus speciatim propriis adscripserint testamentis. Has autem huiusmodi esse volumus: Si parentes exitio proprios liberos tradiderint, excepto tamen maiestatis crimine, si veneficiis aut præstigiis, aut alio quouis pacto parentes liberorum vitæ insidiati ostendentur. Si pater propriæ nurui, aut concubinæ filij se commiscuerit. Si parentes, filios ne de iis rebus testamenta facerent, prohibuerint, de quibus testandi ius habent: nimirum hîc quoque quod ad huiusmodi testamentorum prohibitionem spectat, omnibus iis obseruandis, quæ iam de parentibus statuimus. Si virum vxori suæ contigerit, aut viro vxorem venenum vel ad interitum vel ad mentis alienationem porrexisse, aut alio quouis modo alterum alterius vitæ insidiatum esse, tale quidem crimen, vtpote quod publicum sit & apertum, legibus expendi ac legitimis pœnis dignum esse censemus. Cæterùm liberis facultas esto, testamentis suis nihil omnino propriarum facultatum ei personæ relinquere, quæ tam horrendum facinus admisisse dignoscetur. Si filiis, aut etiam horum vno, furore correptis, curam eorum parentes non gesserint, hîc quoque omnia ea præcipimus obseruari, quæ suprà de furiosis parentibus à nobis cauta sunt. His causis addimus & captiuitatis calamitatem, in qua si detineri filios contigerit, & parentum contemptu vel incuria non redemptos, vita excedere, nequaquam eiusmodi parentes in fortunas inuadant filiorum, de quibus hi testari poterant, sed eadem omnia in hoc quoque capite seruentur, quæ & de parentibus & cognatis qui ab intestato ad harum personarum iura vocantur, aut etiam de externis scriptis hæredibus suprà sanximus. Si quis ex iam dictis liberis, cum orthodoxus ipse sit, parentem senserit vel parentes non esse orthodoxos, eadem in his quoque personis valeant, quæ antea de parentibus constituimus. Si has itaque causas, vel eas quæ ex his apertæ fuerint & conspicuæ, vel etiam harum vnam filij suis inseruerint testamentis, & scripti ab ipsis hæredes vel palàm omnes, vel ex his vnam veram comprobârint, testamẽtum in suo robore persistere iubemus. Quòd si hæc obseruata non fuerint, sancimus nullam habere vim, quod quidem ad hæredum institutionem attinet, huiusmodi

modi testamentum, sed subuerso testamento, iis qui ab intestato ad defuncti vocantur hæreditatem eius bona dari mandamus: legatis videlicet, fideicommissis, libertatibus & tutorum dationibus, & cæteris capitibus, quemadmodum & suprà dictum est, suam vim retinentibus. Ac si quid de legato, fideicommisso, libertatibus ac aliis quibuscunque capitibus, cautum aliis legibus inueniatur, quod huic nostræ constitutioni aduersetur, id sanè nulla ratione valere volumus. Et hæ quidem exhæredum pœnæ, quod ad ingratitudinis causam attinet, aduersus iam dictas personas, ita sint præfinitæ. Quòd si qui ex his criminibus teneantur, qui ea admiserint alias quoque subeant pœnas, quæ legibus irrogantur. Hæc autem omnia statuere visum est, vt tam parentes quàm liberos à testamentorum iniuria liberaremus. Si qui verò hæredes nominati fuerint, quanquam certis rebus contenti esse iussi sunt, hac in re testamētum quidem ne rescindatur iubemus, sed quo minus ipsis portione legitima relictū fuerit, id ex aliis legibus nostris ab hæredibus expleri. Vnum quippe illud est nostræ serenitatis studium, vt iniuriam quæ parentibus fit ac liberis exhæredatis tollamus. Id siquidem secum ipsi reputare debent parentes, fuisse & se aliquando filios, & eadem à suis habuisse parentibus. Itidem & qui nunc filij sunt, parentum animos sibi conciliare par est, præsertim cùm & ipsi parentes fieri cupiant, & à propriis liberis coli summo exoptent studio. Patres aut filij monastica vita delecta, hæreditate non summouentur, propter causam [a] quæ antequam in monachos detonsi essent, acciderit. Ille solùm inter fratres qui ingratus [b] extiterit, lucri particeps esse fratrum hæreditatis prohibetur, qui aut fratri exitium molitus sit, aut crimen in eum instituerit, aut bona eius interuertere & grauem ei iacturam inuehere conatus fuerit. Cuius sanè portio ad reliquos fratres, fratrū filios & matrem transferatur. Id quoque nobis pium visum est simul & iucundum, vt qui iustam & absolutam agit ætatem, cognato non posit ab intestato succedere, à quo ad rei propriæ vendicationē vocatus, opem ei suam absque iusta probabilique causa accōmodare neglexerit [c]. Maior cum minore conuersans, haud quaquam potest ei ab intestato hæres esse, ni eius res vendicet. Qui cognatum habet surdum, mutum, mente captum vel furiosum, nisi singulari quadam prouidentia res eius vendicet, ac gerat & tueatur, ei hæres esse non potest. Idem & de captiuis iudicium esto.

a *Ingratitudinis scilicet. Nouel. de sanctiss. epis. §. nullam vero. l. Deo nobis. §. hoc etiam. C. de episc. & cleri. c. non liceat. xix. q. iij.*

b *Nou. de nupt. §. ingratitudinem.*

c *Ad hæc tria capita seq. fac. l. j. l. minoribus. & l. cū fratrem. C. de iis quib. vt indig.*

DE LEGATO. TIT. X.



LEGATVM Res omnis dicitur, quam decedens quis cuipiam relinquit, non quidem ita vt hæreditatis [d] nomine ab eo haberi velit, sed in amoris indicium, vtque qui eam acceperit, defuncti memor sit.

Legatum est donatio [e] quædam testamento relicta: vel iuxta alios, hæreditatis delibatio [f]. Qui

d *Quia appellatione hæreditatis neque legata neque fideicommissa continentur. l. si Titius ex parte. de leg. iij.*

e *l. legatum est. de legatis ij.*

f *l. legatum est. de legatis j.*

filiabus [a] legat, non videtur filiarum appellatione filios etiam exprimere, neque eo quod filiarum nomen dixerit aut scripserit, simul & filios significat. Sed contrà filiorum appellatione & filiæ innuũtur: & qui ita dixit, filiis meis hoc relinquo: filias [b] quoque, etsi non dixerit, indicat, imò & in vniuersum quotquot habet liberos, idque non in legatis modò, sed & in re alia quacunque. Cùm enim prestantior sit filij appellatio, simul etiam filiarum nomen vt inferius complectitur. Quæ sub conditione [c] legata sunt, tum demum debentur, cum conditionem legatarius impleuerit. Nam priùs quàm impleta conditio fuerit, nec quæri nec dari, neque ab iis exigi possunt qui ea tenent, vt quæ nondum debeantur. Legatarius [d] non potest partem legati admittere, & partem repudiare. Grege legato [e], & quæ postea accedunt, consequitur legatarius. Sed & si fuerit ex eo grege imminutum pecus, vel ita vt vnum duntaxat supersit caput, id accipere cogitur legatarius, etsi iam grex esse desierit. Et domo legata [f], si combusta fuerit, aream vendicat. Si quis prædium [g] per præceptionem fratribus suis legati nomine cum reliquisset, idem posteà prædium alij cuipiam legauerit, omnes simul concurrentes legatarij prædium accipiunt. Seruum tibi meum vnà cum peculio suo [h] legaui. Facto testamento cum superuixissem, cum seruum manumisi, aut abalienaui, aut mori eum contigit: non in eius tantùm persona, sed & in peculio euanescit legatum. Cum enim res principales peremptæ fuerint, iam consistere non possunt, quæ accessionum locum obtinent. Legatum seruum [i], legatario non traditum, sed qui aut fugerit, aut aliàs procul discesserit, hæres suis sumptibus requirere, adducere, præstare ac dare cogitur legatario. Si legatus seruus [k] viuo adhuc testatore fugerit, legatarius cui seruus fugitiuus legati nomine est relictus, non item hæres, suo periculo & sumptu requirere eum cogitur. Seruo à suo domino non relinquitur legatum, nisi & ei simul data fuerit libertas, & licet relictum fuerit, non præstatur, etsi [l] aliqua alia ratione posteà libertatem sit consecutus. Homine [m] quidem legato, interdum hæredi licet, si voluerit, legatario æstimationem dare hominis. At poculo speciéve aliqua legati nomine relicta non licet, sed illud ipsum quod relictum est legatario præstare cõpellitur. Si quod tibi legaueram, alienâro [n], & rursus redemero, id exigere non potes, nisi eiusmodi fuisse voluntatem meam probâris. Si quis cui rem alienam legârit, eam alienam esse sciens [o], cogitur hæres aut eam redimere, & ei præstare, aut æstimationem eius dare. Quòd si rem esse alienam quam legauit, testator ignorabat, non subsistit legatum. Mortuo boue [p] legato, neque caro neque corium legatario datur. Mortuus enim iam nõ est bos. At viuũ adhuc & mortuũ bouem simul exigere non potest & consequi legatarius. Quadriga [q] legata, & vno ex quatuor equis mortuo, ab herede quadriga peti non potest. Quòd si superstes adhuc testator diminutam medio tempore quadrigam sup-

a *l. si ita scriptum. in princ. de lega. ij.*

b *l. pronuntiatio. j. in princ. de ver. signi.*

c *d. l. si ita scriptum. §. j. l. legata sub conditione. de conditio. & demonstrat.*

d *l. legatarius. de leg. j. l. iiij. cum duabus seq. de leg. ij.*

e *l. grege legato. cum l. seq. de leg. j.*

f *d. l. si grege. in fi. eo.*

g *l. si pluribus. cum l. planè. de legat. j. l. si Fortidianum. C. eo.*

h *l. j. & ij. de peculio leg. l. cum principalis. de reg. iur.*

i *l. cum seruus. cum l. seq. de leg. j.*

k *l. si seruus legatus. j. respon. eod.*

l *Pro εἰ μὴ, in Græco exemplari legendum εἰ καὶ, sat indicat l. iiij. C. eo.*

m *l. si domus. §. qui cõfitetur. & sequen. de leg. j.*

n *l. cum seruus. de adimendis leg.*

o *§. non solum. Instit. de leg.*

p *l. mortuo boue. de legatis ij.*

q *l. peculium. §. quadrigæ. eod.*

suppleuerit, legatario datur. Quadriga enim est. Legata sunt alicui animantia, & posteà sunt à tutoribus retenta. Censuit Magister, vt legatum etiam vnà cum fœtu [a] reciperet, dum tamen ne principalium capitum summam fœtus excederent. Si cui pars aliqua bonorum legata sit, & is res ex hæreditate subtraxerit [b], excidit ea quę sibi competebat rerum legatarum exactione, in iis rebus quas eum retinuisse apparuerit. Harum siquidem partem exigere non potest.

Parte bonorum [c] legata, delectum habet hæres, vt aut rerum partes, aut earum præstet æstimationem. Cæterùm si res indiuisæ sint, omnino æstimationem præstat. Si cum plures & varias res haberem [d], vnam tibi ex his legâro, aut etiam plures, neque expressero quam abs te haberi velim, habet delectum hæres, dum tamē ne quod deterius est det legatario, sed quod mediæ qualitatis est. Mobilibus legatis [e], aurum vel argentum non continetur, sed horum specialiter fit mentio. Ex legibus enim pręsumitur testator quibuscunq; mobilibus memoratis, non generaliter pretiosiora quæque, sed specialiter memoraturus fuisse. Et epistola [f], & quocunque libello, & sine scriptura, & nutu etiam legatum relinqui potest. Falsa cōnumeratio seu demonstratio [g], legata non perimit. Vnde & si quis legans ita dixerit: Do huic tot nummos quos ipsi debeo: etiamsi non debeat, sed falsò id dixerit, valet tamen legatum. Post triginta annos [h] legatū vltrà peti non potest. Reliquit quispiam [i] rem alicui quocunque modo. Contigit posteà, vt decederet is cui res erat restituenda, & in quem plenum dominium testator qui legârat, transferri voluerat, & superstes est etiamnum qui rem illam ei redditurus erat. Lucratur eam qui priùs accepit, vt seruaret & ad alterum transferret: nec potest partem eius qui eam erat accepturus quęrere ac reuocare, nisi primus rei dominus, qui hāc reliquerat, aliud quippiam ea de re expresśim statuerit.

a *Fac. l. equis. de vsu.*

b *l. non dubium. C. de leg.*

c *l. non ampliùs. in fi. de leg. j.*

d *l. legato generaliter. de legatis j. vbi abundè Accur. de electione.*

e *Ex Iul. Pau. libro tertio sentent. tit. de vsufru. cap. mobilibus legatis.*

f *l. & in epistola. C. de fideic. l. miles ad sororem. in princi. de leg. ij.*

g *l. ij. C. de falsa cau. adie.*

h *l. sicut. C. de præscri. xxx vel xl annor.*

i *Ex l. si quis Titio. de lega. ij. Facit huc l. pecuniæ. de alimen. & cib. leg.*

DE IMPERFECTO TESTAMENTO.

QVAE testamento imperfecto relicta sunt, tum impleri oportet, cum ab intestato [k], quæ testamento cauta sunt ab aliquibus facta fuerint. Estque hoc huiusmodi. Imperfecto testamento non acquiescitur. At hæredes ab intestato, etiam ex imperfecto testamento succedunt, non quidem propter testamentum, sed propter ius quod ipsis natura competit. Cum ergò qui ab intestato succedunt, ea seruârint quæ imperfecto testamento sunt statuta, tum etiam legata præstare coguntur. Quoniam enim testamentum quod ad cætera spectat, non faciunt irritum, ne in legatis quidem possunt id labefactare.

Si quid mihi & posthumo legatum fuerit, non nato posthumo [l] totum id legatum accipio, etsi dixerit testator, vt æquas portiones acciperemus. Si res eadem [m] sæpe mihi legata fuerit in eodem testamento, semel duntaxat aut rem aut eius æstimationem consequor. Sed si in diuersis testamētis, ex vno quidem rem, ex altero rei capiam

k *Huc facit l. hac consultißima. §. ex imperfecto. de test. C.*

l *l. quidam relegatus. in fi. cum duabus legibus seq. de rebus dubiis.*

m *l. planè. §. j. de leg. j.*

a l. si ita legatum. in fi. eodem.

æstimationem. Si tota domus legata particulatim refecta fuerit [a], vt nihil ex priori materia superfit, vtile est legatum. Quòd si ea destructa testator aliam eodem loco ædificarit, extinguitur, nisi aliud eum sensisse constiterit. Quoties ex testamento actione legatum petitur, fructus [b] post litem contestatam capti, & partus editi, & seruo legato quæsita, legatario restituuntur.

b Huc facit l. ij. de vsuris. l. j. C. de vsur. & fruct. leg.

DE PRAEDIIS HYPOTHECAE NOMINE OBLIGATIS.

c l. prædia. C. de fideicommis. l. si res obligata. de leg. j.

SI prædia [c] obligata legentur, ea cogitur hæres luere. Quòd si iam à creditore distracta sunt, compellitur horum æstimationem hæres legatario præstare.

d l. miles ad sororem. de leg. ij.

Si epistolam [d] ad me scripseris, quam post mortem tuam aperiri mandâris, in qua ita esset scriptum: Scire te volo donasse me tibi aureos centum: valet legatum, etsi non cum hærede sed mecum sit locutus. Si legatarius testamentum celauerit [e], ac posteà in lucem emerserit, legatum ab illo quidem auferatur, apud heredem verò quasi non scriptum permaneat.

e l. pen. C. de leg.

DE VINO.

f l. vino legato. cum duabus legib. seq. de tri. vino & oleo le. item l. iij. §. si vinum. eodem.

VINO legato [f], & eius vasa continentur, vt amphorę & cadi, non item obducta depressáque dolia, neque vtres. Et in vniuersum illa duntaxat vasa legato vini contineri censendum, quibus in pręsentem vsum vinum est inditum.

DE VINO ITERVM.

g Huc facit l. j. l. iij. in princip. & l. si quis vinum. eodem.

VINO legato [g], si quidem cum delectu, etiam acetum si libuerit accipit legatarius. Sin absque delectu, nisi adest vinum, cogitur hæres vinum emere ac dare legatario, non item acetum quod testator vini numero habuerit. Si quis vineã habẽs, legârit cuipiam [h] tantum vini quantum ex ea natum esset, adiecta notanter & vini quantitate, ac post minus vinum protulisset vinea, quàm dixerat testator, non potest legatarius in solidum exigere legatam sibi vini quantitatem, sed cogitur eo vino esse contentus, quantum vinea ex qua vinum percipere iussus est, eo tempore tulerit

h l. cum certus. eod.

DE FVNDO.

i l. si cui. de fundo instructo vel instru. legato.

SI tibi fundum cum instrumento [i] legâro, & hunc alienâro, non potes instrumentum vendicare. Si verò ita, fundum & instrumẽtum vel fundum instructum legâro, potes alienato agro hæc repetere. Instrumento [k] fundi continentur omnia quæ fructuum quærendorum, cogendorum & conseruandorum gratia parata sunt: vt homines qui agros colunt [l], boues, pecora stercorandi causa parata, & quæ culturæ vtilia sunt vasa, & cogendis conseruandísque fructibus accommoda. Cum haberet quidam fundos duos, ac boues item duos, qui in vno quidem manere consueuissent, in altero opus facere, tandem horum fundorum dominus legati nomine hos reliquit, huic vnum, illi verò alterum [m], boues autem nemini reliquit.

k l. instrumenta. eod. Theoph. in §. si quis ancillas. Institut. de leg.

l Potest et cõiunctim legi γεωργοὶ βόες, boues aratorij & domiti.

m l. iiij. eodem. ponit vtrunq; fundum cũ instrumẽto legatũ.

quit. Hic dicendum eum etiam boues accepturum, qui fundum accepit in quo illi opus facere solebant. Nam & in hunc non in illum à testatore conferuntur. Neque enim, quemadmodum lex inquit, fundum sequuntur in quo manebāt, sed alterum potiùs in quo opus faciebant. Cum quis fundum haberet, rogatus ab eo est quidam [a] alius, vt legati nomine totum fundum acciperet: verùm ea lege si possidendi agri causa decem nummos daret. Hic cum decem dare non posset, offert quinque, vt alteram fundi partem consequatur. Statuit lex non esse audiendam huius postulationem, sed toto agro, nisi integram dederit pecuniam, fraudari eum.

a *Secus si pluribus sub ea conditione fundus relictus fuerit. l. cui fundus. de cond. & demonstr.*

DE DOMO.

LEGATARVM [b] vel distractarum ædium ea sunt, quæ quasi earum pars, vel propter eas facta sunt, vt putealia, cisternæ, pelues seu labra, & fistulæ salientibus iunctæ, quamuis longè extra ædificium excurrant, item canales. Pisces autem qui in piscinis sunt, non sunt ædium, nec fundi, sicut nec cætera animantia: quia non sunt hæc de structura domus. Neque enim ad domus fabricam & constitutionem pertinent, quæ delectationis tantùm gratia non etiam vsus sunt comparata.

b *l. Iulianus. cum tribus aut quatuor legibus sequentib. de actio. emp.*

Si Petro & Mariæ [c] cētum nummos si in matrimonium coierint, legauero, contigerítque alterutrum ante apertas testamenti tabulas decedere, deficit in vtriusque persona legatum. Sin vtroque superstite vnus matrimonio coniungi recuset, alter paratus sit, eius duntaxat qui recusârit pars deficit. Si post iudicis sententiam & quadrimestre tempus moram hæres in persoluendo legato fecerit, commoda [d] ad sententiam vsque præstat legatario.

c *l. in testamento ita. de cond. & demon.*

d *l. j. & vlt. C. de vsu. & fruc. leg. l. ij. & iij. ff. de vsur.*

DE PIO LEGATO.

QVI pium legatum ab aliquo relictum differt præstare per sex menses à publicato testamento, & exhibita cautione propria eius manu perscripta qui dare aliquid in pias causas spopondit, & fructus & vsuras [e] præstare cogitur. Nisi intra annum prestetur quod sacræ ac venerandæ ædi est relictum, duplum [f] præstatur.

e *Nouel. de eccles. tit. §. si autē hæres. ver. si autem legatum.*

f *§. item mixta est actio. Instit. de act. Annum quidem persoluendis legatis præstituit Nouel. de hæred. & Falcid. §. illud quoque prospeximus.*

DE TVTORIBVS.
TITVLVS XI.



TVTELA Est ius [g] quoddā ac potestas in liberum caput data, & ad tuendum eum excogitata ac permissa, qui se aut per imbecillitatem ætatis tueri, aut rectè res suas gerere nō possit. Cum ex præsidum aut magistratuum inquisitione tutor datur aut curator, hæc solent [h] inquiri, sítne locuples, an frugi & probus vita, an vitæ pignora hoc est liberos habeat. Qui enim liberos habet, nouit sanè qualem sese in pupillos gerere debeat, quibus loco patris datur. Item an eam

g *l. j. de tut. & Instit. eod. §. j. vbi alij proius, legunt vis.*

h *Ad verbum penè, ex Theophil. Instit. de satisdat. tutor. in princip. & §. sed ex his. de Attil. tuto.*

quæ se progenuit patriam inquam, amet. Tutor aut à iudice datur, datúrque tunc, cum defuncti parentes liberis in ætate imbecilli adhuc & pupillari relictis tutores non designârint. Ac dicitur is qui à iudice datur simul ac declaratus est, tutor legitimus [a], quod perinde est ac si dixeris, à lege datus, ho c est ab iis qui causas ex legum præscripto disceptant, iudicibus. Leges enim Romani νόμους appellant. Aut ergò à iudice datur tutor, aut à patre vel matre. Sed pater [b] quidem legitimis filiis [i], vt qui propriè eorum sit moderator plena eos in potestate habens, potest & hæredibus institutis & exhæredatis tutores dare. At mater si quidem hæreditatem filiis reliquerit, tum solùm potestatem habet his tutores relinquendi: verùm ne tum quidem simpliciter, nisi & iudex in matris testamento datos tutores inquisierit, ac probârit. Etiam viuente adhuc viro, rectè mater [c] tutorem communi filio relinquit. Surdus [d] aut mutus tutor dari non potest. Personæ tutor [e] & non rei datur. Tutela ad hæredes [f] non transmittitur.

a *Legitimum tutorē ius nostrum aliter accipit, vt habes l. j. de leg. tut. & Instit. de legit. agnat. tut. Porrò qui à magistratu datur, Atilianus tutor dicitur, vt habes Insti. de Attil. tut.*

b *l. pater. de test. tut.*

c *Facit l. j. in fi. de patria potest. C.*

d *l. j. in fi. de tut.*

e *l. quia personæ. de test. tut.*

f *l. antepenult. versic. & sciendum. de tut.*

SCHOL.

Hoc caput Bestes ita est interpretatus: Tutelam quidem quæ pupillos & substitutos hæredes haberet, post tutoris mortem ad hæredes non transire, sed vel ad contutores eius, si supersunt, vel à quæstore curator pupillis dabitur. Tutelam verò quæ solam animi administrationem ac libertatem habet & legata, hanc etiam in hæredes transfundi, vt scilicet ab his expleantur, si qua in mortuo tutore desiderabantur.

Certæ rei [g] vel causæ tutor testamento non datur, neque deductis rebus. Sed etsi ita datus fuerit, tota datio infirmatur. Personæ enim non rei vel causæ datur tutor.

g *l. certarū. cum duabus leg. seq. de test. tut. §. certæ. qui test. tut. dari pos.*

SCHOL.

Hoc caput Magister hunc in modum exposuit: Quòd leges omnes quæ de tutoribus agunt, de huiuscemodi loquantur tutoribus qui pupillis dantur. Nec vel vnam legem reperias, quæ non de pupillo pertractet. Quoties ergo est ac subiacet pupilli persona, non potest ei tutor ad certam causam dari. Verbi gratia, hoc modo: Esto ille filij mei tutor, duntaxat vt eum literas doceat. Neque ad hanc vel illam litem aut iustum negotium & rem certam, vt si ita detur: Esto ille filio meo tutor in rebus mobilibus aut immobilibus. Hæc enim si fiant, omnino nullius momenti sunt, cum subest pupillus. Personę siquidem non rei tutor datur. Hoc dictu est, pupillo dari tutorem, vt res eius omneis rectè administret, non autem ita rebus eius dari, vt harum quidem gerendarum potestatem habeat, ipsius verò pupilli curam nullam gerat. At vbi non subest in testamento pupillus, qui dantur tutores, siue speciales sint siue generales, tutelam quemadmodum iussi fuerint [h] administrant. Neque enim hîc persona subiacet, vt locum habeat ius illud quod dicebat, personæ non rei tutorem dari.

h *Huc facit l. si tamē tutor. de testa. tut.*

Tutoribus iure ciuili [i] committuntur liberi homines, qui defendere aut tueri sese per ætatem non possunt. Si litem cum tutore suo pupillus agat, sibi curatorem postulare [k] cogitur. Et muto [l] tutor dari potest. Captiui filio [m] tutor non datur, sed substantiæ curator. Sic enim patre postliminio reuerso, in eius potestatem recidit, atque si nunquam ab hostibus pater captus fuisset. Etiam habenti [n] tutorem aduersa nimirum valetudine, vel senio confectum datur

i *l. j. in princ. de tut.*

k *l. qui habēt. §. si pupillus. vbi variè agitat Accurs. an cogatur pupillus.*

l *l. nec mandante. in fi. de tuto. & curat. dat. l. muto. in prin. de tut.*

m *d. l. muto. in fi.*

n *l. solet. de tut. §. pen. & vlt. Institut. de curat.*

datur curator, idque vel tutore vel pupillo postulāte, qui quidem curator magis est rerum administrator. Constituitur etiam à præside, qui adiutor tutelæ dicitur, sed tutorum periculo. Sciendum tutorem [a] impuberibus solis dari, nequaquam puberibus: curatorem verò plurimùm puberibus, interdum tamen & pupillis.

a Institu. de curat. in princ. & ibi Theophilus.

DE CVRATORIBVS.

DATVR curator & generaliter absque vlla præfinitione, & specialiter ad causam aliquam ac negotium: vt cum minor iudicio agens aut conuentus [b] curatorem aliquem acceperit, qui sibi in iudicio opem ferat, ac patrocinio sit, ac velut pro se cum aduersario litem persequatur. Et prouinciæ præses [c] siue præfectus, & is cui ad tempus, defuncto forsan præside, prouincia regēda commissa est, tutores dare possunt. Omnes exercituum duces [d], tutores eos duntaxat ius dandi habent, qui vel ex iisdem municipiis, vel agris eorum sint.

b Actū cogitur accipere. Institut. de curat. §. item inuiti.
c l. j. de tut. & curat. dat ab iis.
d Magistratus municipales videtur intelligere, ex l. iij. eo.

DE PRAEROGATIVA TVTORVM.

VBI hæreditas est [e], ibidem & tutela, præterquàm in muliere.

SCHOL.

Tutorem esse olim sicut & etiamnum hodie, oneris erat, & hominibus pro dignitate, non fortuitò ac temerè, id muneris dabatur. Verbi gratia: Decessit quispiam forte intestatus, relicto vno aut duobus filiis impuberibus, aut iusta legitimáque ætate minoribus. Hi tutore egent. Inquirit præses forsan vel iudex, quem his tutorem sit daturus. Discito ex lege atque adeò præsenti capite, liberis eum tutorem deligendum ac creandum, qui in eorum præponitur hæreditate. Ac, vt vno verbo dicam, quisquis in eorum hæreditate consequenda, si decesserint, potior futurus est, is tutelæ onus subito. Vbi enim, inquit, hæreditas, ibi & tutela. Vt, habent filij fratrem, cuius bona pater administrauit. Habent & patruos. Præfertur frater in eorum tutela suscipienda, vtpote cum & omnibus in successione præponatur. Et hæc vbique præterquàm in muliere locum habent. Etsi enim præferatur in hæreditate mulier, haud tamen ad tutelā vocatur. Dicit enim lex: fœminæ ciuile officium non obeunt. Porrò tutela magis ciuile officium est. Vt si filij sororem adultam, cuius bona à patre fuerint administrata, item & patruos vel auunculos habeant, in hæreditate quidem potior censetur soror: tutelam verò subire non compellitur. Scito tamen vna in specie tutricem posse esse mulierem, nempe si mater filios habens impuberes, secundis nuptiis renuntiârit, tum sanè iis tutrix esse non prohibetur.

e Hæc & antè sunt dicta, eod. lib. titu. viij speciali titu. de coll. ij. inde sumito.

Præferuntur fœminis mares [f] in tutelis subeundis, si modò absolutæ sint ætatis: nisi forte mater aut auia occurrat. Hæ enim ad tutelam gerendam sic admittuntur, vt cuicunque alij, cuius erat tutelæ munus obire, præferantur, iis solùm exceptis qui testamento dati sunt tutores. Inter cognatos is tutelam gerit, qui gradu propinquior [g] est. Quòd si multi eundem tenent gradum, simul omnes tutelam obibunt. Licet matribus [h] filiorum curam suscipere, ita tamen vt & ipsæ descriptionem faciant ac repertorium accuratissimè, idque præsente etiam scriba, cui harum rerum cura delegata & commissa est. Descriptio seu repertorium rerum defuncti, à tutore [i] vel hærede debet intra trimestre à testatoris morte fieri.

f Nouel. de hæred. ab intest. §. ex his. versicu. hoc autem dicimus.
g d. No. eo. §. versic. si autem plurimi.
h No. vt si. pro. mat. §. vltimo.
i De hac re vide l. tutor qui repertoriū. de admi. tut. l. tutores. ij. C. eod. & ibi Accur. De hærede verò, No. de hæred. & Falcid §. sancimus igitur. & ibi Accursius.

DE

DE IIS QVI TVTELAM GERERE PROHIBITI SVNT.

EPISCOPIS [a] ac monachis non conceditur vlla ratione tutores aut curatores fieri. Porrò trigesimasexta Cæsaris Leonis Nouella, etiam monachis ac clericis tutelæ gerendæ potestatem facit, verùm eosdem à rerum pupillarium dispensatione & horum patrocinio arcet. Inquit enim hunc in modum: Deo addictissimis episcopis aut monachis non permittimus, vt per se ipsi rerum pupillarium tutores & exactores aut cuiuscunque personæ curatores sint. Non tamen hos vetamus tutores esse eorum quæ pro cuiuspiam anima dari debent, eáque, si aduocentur, gerere ac dispensare. Etenim summis sacerdotibus magis est dicata ac destinata peccatorum propitiatio. Probi ac benigni mores [b] magis idonei sunt ad tutelam, quàm & facultates & dignitas. Incertus tutor [c] testamento non datur.

Armatæ militiæ [d] muneribus occupatus, neque tutor, neque curator dari potest. Tutor est qui impuberibus datur, ac eorum res gerit, quoad pubertatem ingressi fuerint. Curator autem qui minoribus datur etiam tenuioribus, qui & eorum res administrat, donec vicesimumquintum [f] annum expleuerint. Mutus vel surdus [g] tutor dari non potest. Curatorem [h] pater non potest liberis suis testamento relinquere. Procurator ne annis xvij [i] minor esto.

Rationes [k] à curatore antè quàm vicesimumquintum annum minor expleuerit, non exiguntur, tantisperdum curam gerit. Tutor vel curator [l], si minor est vigintiquinque annis ille cuius tutelam vel curã administrauit, eum adoptare non potest. Iubet constitutio [m] neminem ad tutelam vocari antè quàm quintum & vicesimum suæ ætatis annum impleuerit. Si curator [n] aureos centum, pro eius dote cuius gerebat curam spoponderit, posteà verò ære alieno emergente supra vires patrimonij eius dos esse promissa deprehendatur nequaquam ei succurritur. Si quis [o] obligatum sibi minorem aut res eius habeat, is ne admittatur quidem vlla ratione ad eius res curandas, etiamsi legibus vocetur. Quid enim non pro se ille facturus sit, qui & eius dominus, & rerum quoque tanquam aduersarij sit effectus? Quocirca illud quoque statuimus, vt si vel apertissimè constet eum ipsum qui curator est designatus, iuri adolescentis obstrictum esse, ne is quidem ad curam admittatur: ne fortè aut cautionem aliquam subtrahat, aut alio quo modo eas quę apud adolescẽtem sunt probationes de medio tollat, atque ita ipsi adulto cura in suarum rerum interitum & iacturam redundet. Tutor [p] rem pupillarem emere non potest. Quod idem & ad similia porrigendum est, vt ad curatores & procuratores. Qui testamento [q] tutor est relictus, si sese excuset, excidit iis quæ filio suo legata sunt, si eius potiùs ornandi causa, quàm filij ratione relicta fuerant.

a *Nou. de sanct. episc. §. Deo autem amabiles. Et l. generaliter. C. de episcop. & cler. quæ & in canones relata est. ca. generaliter xvj. q. j. Concord. c. Cyprianus xxj. q. iij. cum simil.*
b *l. scire. § pen. de tut. & cur. da. ab iis.*
c *l. tutor ij. de test. tut.*
d *§. idem & in milite. Institu. de excus. tut. l. militiæ. C. qui dare tut. vel cur.*
e *Institut. quib. mod. tut. fi. in princ.*
f *Instit. de cur. in prin.*
g *l. j. in fin. de tut.*
h *Institut. de cur. §. j. l. curatorẽ. C. de neg. gest.*
i *Fac. huc l. j. §. pueritiam. de postul.*
k *l. rationes. C. de admi. tut.*
l *l. nec ei, in princi. de adopt.*
m *l. vlt. C. de legit. tut. Institu. de fiduc. tut. in fin.*
n *Hoc & suprà dictũ est, ex l. cum post mortẽ. de admi. tut.*
o *Nou. vt ij qui oblig. se hab. perhi. res minor. §. j. vnde & sumpta est Auth. Minoris debitor. C. qui da. tut. vel cura.*
p *l. si in emptione. in fi. de contr. empt.*
q *Huc fac. l. tutor petitus. §. j. de excus. tut. l. post legatũ. §. amittere. de iis qui. vt indig.*
r *d. No. vt ij qui obligat. se hab. perhi. §. quoniam autem videmus.*

DE VSVRA.

SANCIMVS [r] nullam ex lege curatoribus necessitatem incumbere

re, vt adoleſcentum pecunias fœnerent, ſed tutò eas recondant, ac ipſis ſeruēt, cùm multò ſit ſatius ipſis ſuas pecunias in priſtino præſidio tutas manere, quàm dum appetuntur vſuræ, etiam antiquis excidere: ita vt ſiue non fœnerârit curator, in periculum adducatur, ſiue rurſum fœneret, diſcrimen adeat, ſi fortè fruſtrari eum creditis contigerit. Enimuerò ſi ſponte ſua curator nummos minoris fœnori dare voluerit, bimeſtres habeat quotannis inducias [a]. Illud tamen interim non ignoret, fœnerationis periculum in ſe omne redundaturum. Si tutor ſuo nomine [b] pecunias pupillares fœnerauerit, ita demum vſuras quas percepit, præſtare cogitur, ſi & reliquorum nominum pupillus periculum agnoſcat, & in ſe ſuſcipiat. Siue ſuo ſiue impuberis nomine tutor [c] pupillares pecunias fœnerârit, actione aduerſus tutores inſtituta, optio adoleſcenti defertur, vt omnia admittat, & agnoſcat nomina & cautiones, aut ab his in totum recedat. Tutores ſex menſium habent [d] primo anno præfinitum ſpatium, vt pecunias pupillares fœnerent.

Nam [e] quod ſuprà de bimeſtri dictum eſt, de cuiuſque cura intellige.

Tutor & procurator ſoluentes [f], repetere non poſſunt, ſiue ſuam ſiue pupilli vel domini pecuniam ſoluant. Tutelæ [g] actio tam hæredibus, quàm contra hæredes competit.

a *Ε'νδόσιμον, ſpatium ſeu laxamentum temporis appellat Iulianus. l. qui repertorium. §. vſuræ. de admi. tut.*

b *l. tutor qui repertorium. §. ſi tutor pecuniam. de admin. tutorum.*

c *l. cum quæreretur. eodem.*

d *l. ſi tutor. eod.*

e *Scholium.*

f *l. ſi procurator. in fine. & ibi Accurſ. de cond. indeb.*

g *l. tutelæ actio. C. arbitrium tut.*

DE ALIENATIONE.

RES adoleſcentis immobiles, etiamſi eas pater eius dum viueret [h], venales habuerit, haud tamen diſtrahuntur, niſi id vt fieret, expreſsim teſtamento vel codicillis [i] pater cauerit, vel ſubſit æs alienum, ac tum quidem interpoſito prætoris decreto. Iubet conſtitutio [k], ne quicquam ex rebus minorum vel pupillorum tutor diſtrahat, niſi fortè iuſta eſt & probabilis cauſa, ob quam poſsint etiam res ſoli abalienari. Iam ergò nulli [l] tutorum vel curatorum res liceat adoleſcentum alienare, abſque iudicis decreto, excepta veſte vſu detrita, quæque ſeruando ſeruari non poteſt, item & animantibus pupillorum viui ſuperuacuis. Quæ à tutore [m] geſta ſunt, rata habentur, nec rem ab eo legitimè diſtractam, ſiue eſt, ſiue non eſt ſoluendo, pupillus vendicare poteſt. Si verò mala fide res ſit alienata, non valet alienatio. Siue quæ facere [n] non debebat tutor fecerit, ſiue non fecerit quæ erant factu ei neceſſaria, tutelę iudicio tenetur. Præſtátque & culpam & dolum, & quantam ſuis in rebus diligentiam. Ac tenetur hac quoque actione, ſi pupillo vel ſimpliciter donanti vel mortis cauſa, ſuam accommodauerit autoritatem.

Niſi bonam [o] fidem tutores in adminiſtratione præſtiterint, damnari debent, etſi teſtamento pater iuſſerit non eſſe eum rationibus reddendis obnoxium. Eiuſmodi enim cautionibus ius publicum non immutatur. Si cum plures tutores vel curatores habuiſſem, eorum vni qui tenuior eſſet, teſtamento facto rationem ſuæ adminiſtrationis remiſero, ea duntaxat remiſiſſe ipſi videor, quæ culpæ [p]

h *l. j. §. penult. de reb. eorum qui ſub tut. vel cur.*

i *Ead. l. in princ.*

k *l. lex quæ tutores. in princ. de admin. tut. C.*

l *Ead. l. in fi.*

m *l. cum plures. §. j. ff. eodem.*

n *l. j. in prin. de tutel. & ratio. diſtrah.*

o *Vbi in Græco exemplari legitur εἰ μὲν legendū εἰ μὴ, ex l. quidam decedens. in princip. de adminiſt. tut.*

p *Eadem l. in fi. prin. iuncta gloſ. l. Aurelio. ſub fin. de lib. legata.*

eius adscribi possint, non etiam si quid ex tutela subtraxit, aut dolo quid admisit.

DE MATRE TVTELAM GERENTE.

MATRES[a] sine vllo impedimento filiorum tutelam gerunt. Verùm simulatque ad secundas hæ transierint nuptias, pelluntur à tutela. Si mater[b] filij tutelam gerens contrà quàm promiserat, nuptias iterârit, non petito priùs ei tutore, ac rationibus redditis, nihilo minùs & res secundi mariti hoc nomine filio manent obligatæ. Si mulier[c] post viri mortem res administrans filiæ, nonnulla per argentarios vendiderit, pretiúmque acceperit, si ea inops est, haud quaquam liberantur argentarij, si cum scirent res esse puellæ, pretium dederint, etiamsi illa diu res eius administrârit, viróque eam desponderit. Siue soluendo[d] est tutor, siue non, dolus ab eo commissus pupillo nihil nocet. Si tutor eam, cuius tutelam gerit gessítve, corruperit, præter alias pœnas quæ ei legibus irrogantur, insuper & omnes eius ablatæ facultates puellæ dominio adiudicentur, & non fisci, quemadmodum priscis legibus[e] cauebatur.

a Nouel. de hæred. ab int. §. ex his. & Nouel. vt si. prohibit. mat. vnde sumptæ sunt Auth. matri & auiæ, & ij. seq. C. quand. mul. tute. offic. fun. pot.

b Nouel. de nupt. §. si autem tutelam.

c Huc fac. tot. tit. C. si quis ign. rem min. esse, sin. decr. cōpar.

d d. l. cum plures. §. j. in fine.

e Vi l. Constantini. titul. C. si quis eam cuius tut. fuer. corrup.

DE NEGOTIORVM GESTORIBVS.

FACTORVM sumptuum in alieno negotio gerendo, vsuras præstari bona fides[f] suasit. Quod vtiliter gestum est, cogitur dominus ratum[g] habere. Quod autem ratum habuerit, valet, etsi malè gestum sit. Etsi ignorantis & absentis domini res quis gesserit[h], vtrinque nascitur actio. Ac is quidem qui gessit vtiliter, repetit quæcunque impendit, vel etiam nonnulla est redditurus. Redditurus autem quæcunque ex rebus absentis habuit, nisi vtiliter gesserit. Qui dum[i] alterius negotia gereret, indebitum exegit, domino reddit. Qui aliena gerens negotia, plus quàm oportet impenderit[k], id tantùm recuperat, quod præstare debuerit. Etiam vsuras[l] quas quis alterius negotia gerens percepit, aut percipere potuit, eum præstare conuenit, sicut & eas recipere quas præstitit, vel quas ex sua pecunia percipere potuit. Aliena gerens negotia, superuacuarum[m] pecuniarum post necessarias impensas, vsuram præstare cogitur.

f Pro εἰ καλῇ πίστει lego ἡ καλὴ πίστις. ex l. ob negotium. C. de neg. gest.

g l. Pomponius. ff. eo.

h l. ij. eodem.

i l. si pupilli. §. item quæritur. & l. si quis negotia. j. eod.

k l. si quis negotia. ij. eodem.

l l. at qui natura. §. penult.

m Quæ purgatis necessariis sumptibus supersunt. l. qui aliena. in princ.

DE TEMPORE QVO CREDITORIBVS LICEAT HAEREDES DEFVNCTI INTERPELLARE ET CONVENIRE.

TITVLVS XII.



SANCIMVS[n], Ne vlli prorsus liceat aut hæredes defuncti, aut parentes, aut liberos, aut vxorem, aut propinquos, aut alios eius affines, aut fideiussores, ante nouem dierum spatium quibus lugere videntur, conuenire, aut quoquo modo interpellare, aut admonitionem eis aliquam offerre, aut eos in ius vocare, vel ob æs à defuncto conflatum, vel ob quācunque aliam

n Nou. vt cum de appel. cogn. §. meminimus. versi. sancimus. & Nouel. vt def. seu su. eor. §. j. & ij. vnde sumptæ sunt Authēt. item, & sed neque. C. de sepulc. viol.

aliam causam quę specialiter ad memoratas personas spectet. Quòd si quis intra hos nouem dies ausus fuerit, quamlibet ex memoratis personis detinere, aut insidiis impellere, vt promissum, pollicitationem, fideiussionémve præstet, ea omnia nullius esse momenti iubemus. Exactis autem nouem diebus, si quis sibi in eiusmodi personas actiones aliquas competere existimat, eas legibus persequatur, nullo sanè actoribus præiudicio, ex ea temporis præfinitione, gignendo, quod ad diuturnam præscriptionem, aut quamcunque aliam iuris defensionem attinet.

LEX.

Quæ [a] ab aliis acta sunt, aliis non nocent. Vnde & si cum multi essent defuncti debitoris hæredes, nonnulli ex his soluerint, alij si nolint, haud quaquam tenebuntur.

a l. j. & toto titul. C. res inter alios act. vel iud. al. non noc.

SCHOL.

Obserua præsentem constitutionem. Generaliter enim & per quandam regulæ formam illud tibi præscribit, quæ ab aliis geruntur, aliis non nocere, ac mox speciem quoque subiicit hunc in modum: Si quis, inquiens, cum deberet, verbi gratia quadringentos nummos, decesserit quatuor relictis hęredibus, quorum duo candido animo, in ius non vocati creditori soluerint ducentos, qui ad se pro debiti portione redibant, aureos, reliqui duo debitum abnegantes in iudicium prouocârint, postularíntque à creditore, vt sese summam eiusmodi ostenderet testatori mutuo dedisse: haud sanè creditori licitum fuerit, ad redarguendam eorum peruersitatem & malignum animum, qui in ius prouocârunt duorum hæredum, ac vt probet se eam defuncto pecuniam mutuasse, aliorum duorum hæredum candidum ac propensum animum quod absque vlla mora soluerint, proferre. Protinus enim illud audiet, quæ ab aliis acta sunt, nihil aliis officere.



FINIS QVINTI LIBRI.

LIBER SEXTUS.

DE DAMNO.

TITVLVS I.



EGVM Omnium quæ de damno latæ sunt, potissima est [a] Aquilia. Hæc cùm & alia habeat capita, vnum tamen illud habet præcipuum de iis quæ in duplum [b] restituuntur. Qui ferum [c] animal quod nocere possit, vt canem, aprum, leonem, lupum, atque id genus, vel solutum vel non ita vinctum vt nocere nõ possit, ibi habet quâ vulgo iter fit, si homo ex eo perierit, ducentos solidos præstat. Quòd si non inde perierit, sed ei solùm nocitum erit, quanti bonum & æquum iudici videbitur, condemnatur. Cæterarum verò rerum, quantum damnum datum factúmve sit, duplum præstat. Si quadrupes [d] damno aliquem affecerit, quod nos pauperiem facere dicimus, actio cõpetit, vt aut id animal quod noxiam commisit detur, aut æstimatio noxiæ offeratur. Ac tunc hæc actio locum habet, cum feritate commotum animans nocuit, puta, calcitrosus equus calce percussit, aut bos cornu [e] petere solitus, petiit. Generaliter enim toties aduersus animal quod nocuit actio competit, quoties contra naturam fera mota pauperiem dedit. Nam si ex labore plus iusto oneratus, doloréve concitatus equus calce petierit, cessat hæc actio, sed qui equum percussit aut vulnerauit, lege Aquilia in duplum tenetur: vtique ideò, quia non ipso suo corpore damnum [f] dederit. Si equus mulam olfecerit [g], mula verò calcem reiecerit, vnde sit læsus quispiam, cum mulæ domino agitur hac actione. Si liberum [h] corpus quadrupes vulnerârit, ita condemnatur dominus, vt & impensarum in curatione factarum, & operarum amissarum ratio habeatur, non etiam deformitatis, cùm liberum corpus æstimationem non recipiat. At qui seruum læserit, præter hæc cogitur insuper & si quid eius pretium imminutum fuerit [i], præstare.

a *Cùm omnibus legibus quæ ante se de damno iniuria locutæ sunt, derogauerit l. j. ad l. Aquil.*

b *Ab inficiante. l. ij. eo. & l. iiij. C. eod.*

c *l. hi enim. cum ij legib. seq. de ædil. ed. §. vlt. Instit. si quadrup. paup. fec. dic. Fa. l. hæc actio, sub fi. ff. eodem.*

d *l. j. eo. & Institu. in princ. & §. j. eod.*

e *De boue cornupeta quid iuris esset lege Mosaica, vide xxj cap. Exod. f.*

f *Instit. de l. Aquil. §. vltim.*

g *l. Agaso. quæ & vlt. est si quad. pauper. fec. dic.*

h *l. ex hac lege. eo. §. ob hominem. Instit. de obligat. quæ ex qua. del. nasc. l. ii. ad l. Aquil. Institut. eo. in princ.*

NOVELLA CAESARIS LEONIS.

Si quis cui in oculum damnum intulerit, hunc iubemus, si quidem vnum effodit, vno & ipsum oculo mulctari, vt parem pœnam [k] subeat. Sin verò ambos, & altero quidem oculorum ipsum quoque priuari, idque vt maleficij sui notam in se ipse præferat. Sed quoniã pro tanto facinore, impiam quoque ac nefariam manum ei abscindi par est, pro damno & iactura manus, bonorum suorum besse mulctator. Quem is in vitæ solatium accipiat, cui perfossi sunt oculi. Ac si quidem est ex locupletum numero qui id patrârit, hæc ei pœna irrogator.

k *Hæc lex est talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente. &c. Exo. xxj. e*


gator. Quòd si ex tenuiorum ordine fuerit, omnino hic quoque persimilem subeat calamitatem, ac vitam in tenebris agat, vtroque itidem ei luminum eruto. Et si qui ei qui maleficium hoc admisit, facinoris administri aut participes fuerint, si quidem ipsi id propriis manibus patrârint, simúlque oculos perfoderint, pari & ipsi supplicio afficiantur. Sin manus quidem in oculos non iniecerint, sed quippiam aliud ministerij maleficio exhibuerint, his quidem ea præscribatur pœna, vt & corpore ictum fustium & cute rasuram sustineant, & bonorum triente mulctentur: ipsi verò excæcationis autores iam dictis pœnis subdantur.

DE INCENDIO.

SI quis dum ædeis [a] suas orto incendio conatur seruare, huius rei causa vicinas ædeis diruit, vt ne ex illis in suas ignis perueniret, non conuenitur tanquam iniuria damnum dederit, nec lege tenetur Aquilia.

a l. iij. §. quod ait prætor. de inc. rui. naufrag. & l. si quis fumo. sub fi. ad legem Aquiliam.

DE ADVLTERIS. TIT. II.



ADVLTERIVM [b] (Græcè μοιχεία) impropriè quidem dicitur, & quod in virginem viduámve committitur. Propriè tamen quod in nuptam. Adulterium etiam in viro dicitur. Nam & cum vir vxorem habens ad aliam diuerterit, hoc adulterium vocatur. verùm adulterium eiusmodi [c] quod ex parte viri committitur, neque eius vxor neque externa quæpiam mulier agitare ac intendere velut crimen in iudiciis potest, ne si vir quidem in eam deliquisse dicatur. Legis Iuliæ de adulteriis actio intra quinquennium [d] tantùm intenditur. Adulterij crimen, non omnibus sine vllo discrimine intendere permissum est [e], vt ne volentibus temere liceat fœdare connubia, sed solis proximis maximéque necessariis personis, auo aut patri, fratri, patruo, auunculo, sed inter omnes maximè viro.

Constante [f] matrimonio nemo alius præter virum, adulterij mulierem accusare potest, nisi priùs lenocinij maritũ accusârit. Lege Iulia de adulteriis agere non potest [g] mulier, ne si ipsa quidem deliquisse in sese dicatur, hoc est ne si ea quidem ipsa quæ accusationem vult instituere, in se admissum delictum dicat, ac se eam cum qua facinus illud sit patratum. Non potest minor [h] vigintiquinque annis crimen adulterij intendere nomine alieni matrimonij, nisi [i] fortè qui vxorem habet iure proprio eum ad accusandum deligat ac præponat. Tum enim & minor vigintiquinque annis, adulterij crimen etiam pro alieno connubio potest instituere. At pro suo legitimè videlicet contracto, cuiuscunque sit ætatis, accusationem instituere non prohibetur. Incesti crimen [i] iunctum adulterio, quinque annorum præscriptione nõ summouetur. Quinquennio extinguitur adulterij crimẽ. Quod sanè dicimus de iis qui sponte [k] sua

b l. inter stuprum. in princ. de verbor. & rer. significa. l. vj. §. lex Iulia. ad legem Iuliam de adulter.

c l. j. C. eodem.

d l. mariti. §. præterea. ff. & l. v. C. eodem.

e l. quamuis adulterij. C.

f l. constante. ff. eod.

g d. l. j. C. eod.

h l. si maritus. §. lex Iulia. ff.

i l. vim passam. §. præscriptione.

k Eum enim qui per vim stuprum intulerit, sine huius temporis præfinitione accusari posse dubium non est. l. mariti. in fine.

a l. nec in ea lege. cũ duabus seq.

deliquerint. Permissum est [a] patri, non item marito adulterum omnem occidere, ac multò magis contumelia etiam afficere. Occidere autem in domo in qua habitat, etsi non simul cum eo filia habitet, item & in domo generi: idque si eum in ipso adulterij facinore deprehenderit. Alibi autem occidere non potest. Ac debet simul ambos occidere, non vnum quidem nunc & hodie, alterum verò post diem. Marito autem solùm domi suæ licet vxoris adulterum occidere: verùm non quemlibet, sed eum qui leno fuerit: qui paulò antè ludicram artem fecerit, aut in scenam cantandi saltandíve causa prodierit: iudiciòve publico damnatus, neque in integrum restitutus erit, & libertum suum, vxorísve, aut parentum aut filiorum eorum, item & seruũ. Et præcipitur hac lege, vt is maritus qui horum quem occiderit, vxorem sine mora dimittat. Ac qualiscunque erit adulter, ius occidendi eius etsi magistratus est, pater habet, in illis tamen matrimoniis, in quibus iure mariti accusare potest, vt si filiam in potestate habeat. Si vir adulterum [b] quem nolit aut non liceat occidere comprehenderit, potest eum per horas continuas viginti retinere, ac testes inducere, testimonio futuros accusatori, deprehensum in adulterio reum. Quòd si semel eum remiserit, non iam retinere potest. Si verò euaserit, potest eum reductum viginti horis asseruare.

b l. capite quinto.

Hæc quidem de adulteris accuratiores statuunt Iureconsulti. Alij verò marito vbique & quemcunque in vxore adulterum deprehenderit, occidendi plenam faciunt potestatem. Qui adulterum in complexu vxoris deprehensum occiderit, non tenetur [c] lege Cornelia de sicariis. Quòd si quis quempiam [d], vt verisimile esse potest, cùm suspicetur vxoris suæ pudicitiæ insidiari, ac denuntiationes ei scriptas tres miserit, idoneorum ac fide dignorum hominum testimoniis subnixas, eundem post triplicem hanc ex scripto attestationem, cum vxore conuenientem inuenerit, si quidem in propriis ædibus, aut ipsius vxoris, aut adulteri, aut etiam in popinis, vel suburbiis, liberum esto marito hunc propriis manibus interimere, ita vt nihil inde discriminis metuat. Sin alibi illum cum vxore colloquentem offenderit, vel etiam in templo, non paucioribus quàm tribus spectatæ fidei conuocatis testibus, per quos sese eum cum vxore cõperisse posit ostendere, posit eum magistratui cuius est cognoscere crimina, tradere. Ille verò cum re ipsa intelligat, hunc qui sibi est traditus post tres scriptas attestationes cum ea congressum muliere, eum quidem qui vel hoc solo nomine adulterij tenetur, nulla alia inquisita probatione pœnis meritis afficiat. At vir facultatem habeat vxoris quoquo modo libuerit accusandæ, & criminis legibus persequendi. Porrò decimanona Cæsaris Leonis Nouella, de adultero vel adultera qui quǽve in ipso facinore deprehensus deprehensáve fuerit, id statuit, vt nasus vtrique præcidatur, & vir pro tanta iniuria solatij loco dotem consequatur vxoris quæ in nuptialia iura sese iniuriam & iniquam exhibuerit: ipsa verò pro admisso scelere

c Etiamsi eum cessante legis autoritate incõsulto dolore interemerit, relegatur tamen. l. Gracchus. C. Idem & si vxorem. l. si adulteriũ. §. imperatores. ff.

d Ad verbũ ex No. vt lic. ma. & auiæ. §. his quoque. vnde sumpta est Authẽ. si quis ei. C. ad leg. Iul. de adulter. Concord. c. ij. extr. de cohab. cleri. & mul.

in

in monasterium detrudatur. Magister autem dicebat vxoris adulteræ virum nequaquam dotem lucrari, sed si quidem illa liberos haberet, eos dotis [a] bessem consequi, reliquum trientem monasterio quo includeretur cedere. Sin liberis careret, bessem quidem monasterium percipere, trientem ascendentes, dum nefarij sceleris participes atque administri non fuerint. Atque hæc omnia tum fieri, cum detrusam in monasterium mulierem, iam exacto biennio, noluisset vir reducere. Nam si adulteram [b] vxorem intra biennium vir recipere voluerit, hoc ei facere integrum est. Neque est quod quicquam inde periculi vereatur, nec propter ea quæ medio tempore intercesserunt, matrimonij iura labefactabuntur.

a *Huc fac. Nouel. vt nulli iudicum. §. si quando verò. versi. adulterã. vnde Authen. sed hodie. C. ad leg. Iul. de adul. excerpta est.*

b *Ead. Nou. eod. §.*

Adulteræ [c] reducendæ biennium conceditur, vt necdum tonsa in monasterio versetur, vir autem ad eam possit accedere, verbis blandiri, mensam ei apponere, omnémque mouere lapidem, quò veterem amorem suscitet & accendat, ita tamen ne vim aut ei manus afferat. Nec quisquam omnino eorum qui ex parte vxoris sunt, virum prohibere potest, ne vxorem suam adeat. Cæterùm [d] mulieri vt cõsortio viri renuntiet, sex à iudicibus menses conceduntur: intra quos si in matrimonium rursus cum viro coierit, permittitur ei eadem quæ ab initio gerere, ac cum viro agere. Quod si immensam & talem à qua reuocari nequeat mentis constantiam viro demonstrârit, tum sanè post semestre tempus dote recepta monasticam vitam profitetur.

c *Scholium.*

d *Aliud Schol.*

Intra sexaginta [e] dies post repudium, hoc est diremptum matrimonium, si vxorem adulterij vir accuset, calumniæ pœnam nihil est quod metuat. Sin post sexaginta dies id faciat, calumniæ notam subit. Adulteri ea pœna afficiatur, vt icti verberibus radantur, & ipsis nares amputentur. Qui autem administros sese huic sceleri interposuerunt, verberati ac rasi, perpetuo relegentur. Si quis cum ea adulterium commiserit [f], quæ iam se multis meretricio more prostituit, adulterij non tenetur. Qui adulterium [g] cum tabernæ vel cauponæ præfecta, hoc est ea muliere quam quis ei muneri instituerit vt cauponæ præesset, admiserit, si quidem ea meritoriæ tabernę domina erat, ac sibi alios seruos habuit ac ministros, adulterorum pœnæ simul cum hac subiacet. Quòd si ipsa per sese cauponam adeuntibus ministrabat, neque is qui cum ea rem habuit, neque ipsa in adulterij crimen incidunt. Fœminarum enim duntaxat quæ integræ sunt existimationis rationem pudicitiæ leges habuerunt: viles autem & abiectas mulieres neglectui habuerunt. Non rectè adulterij reus [h] viro obiicit, quòd is lenocinio facto adulterium admiserit. Mulier autem adulterij rea, ac marito lenocinij præscriptionem opponens, se quidem ipsa non liberat: Iudex verò in eum vel absque accusatore potest vt in lenonem statuere. Si vir [i] vxorem suam existimârit adulterij posse conuinci, eum primum oportet vxoris nomen aut etiam adulteri inscribere ac deferre. Quòd si vera eiusmodi accusatio comperta fuerit, tum diuortio facto, habeat vir vnà cũ donatione ante nuptias etiam dotem, ac præter hæc si liberos non habet, tantum ex reliquis consequatur vxoris facultatibus, quanta esse tertia dotis pars dignoscitur: vt eius dominio [k] etiam à nobis præfinita

e *l. iure mariti. C. l. pater. §. sexaginta. ff. eodem.*

f *l. si ea quæ stupro. C.*

g *l. quæ adulteriũ. C.*

h *l. ij. §. qui hoc dicit. cum §. seq. ff.*

i *Nou. vt lic. mat. & auiæ. §. quia verò plurimas. versicu. si de adulterio. Idẽ & suprà positum est, titul. vlt. libr. iiij. vbi de causis soluendi matrimonij ex parte vxoris agebatur.*

k *Suprà interserebatur quod & hîc, sicut in Nouel. vnde hæc sumpta sunt, interserendum puto καὶ προῖκα, & dos, & à nobis præfinita, &c.*

nita mulcta adiudicetur. Nam si ex eodem contubernio habeat liberos, iubemus & dotem, & reliqua vxoris bona, iuxta leges antè latas, filiis reseruari, atque ita legitimè conuictum adulterum vnà cum muliere plecti. Ac si quidem vxorem habet adulter ille, ea & propriā dotem & propter nuptias donationem recipiat: sic tamen vt si ipsis extent liberi, solo donationis vsu fruatur mulier, proprietatem ex legum præscripto seruet filiis. Cætera viri bona, eius largimur liberis. At si nulli subsint liberi, donationis quidem ante nuptias proprietatem mulieri cedere sancimus, alias omnes viri res fisco ex veteribus applicari legibus.

DE EA QVAE ADVLTERATA A PROPRIO SERVO FVERIT.

MVLIER [a] quæ virum habens, cum proprio seruo adulterium commiserit, ipsa quidem verberetur ac radatur, nasusque ei præcidatur. Ac insuper è Republ. in qua versatur eiecta, omnibus etiam facultatibus suis spolietur. Seruus autem qui eam adulterauit, gladio feritor. Mulier virum non habens, quæ sese proprio seruo iunxerit, si quidem non extantibus ei liberis hoc fecerit, verberetur ac radatur. Seruus autem ille verberatus ac rasus distrahatur, ac eius pretium fisco inferatur. Quòd si extantibus liberis id patratum fuerit, & mulieris vniuersa bona dominij iure protinus liberis absque vlla seruentur [b] alienatione, vsu solo apud eam manente: & pretium item distracti serui ad liberos spectat. Qui vxoris adulterium cognitum habens remittit, fustibus cæsus [c] relegetur. Adultero autē & adulteræ nares præcidantur. Si in adulterio [d] mulieris damnatus, eam non damnatam vxorem duxero, neque tale matrimonium stat: sed & si ego eam hæredem, aut me ipsa scripserit, ad fiscum hæreditas peruenit. Qui adulterij damnatam vxorem duxit, non item qui in concubinatu [e] habuit, lege Iulia de adulteriis tenetur.

a *Paulò alia pœna præscribitur l. vnic. C. de mul. quæ proprio ser. se iunx.*

b *De successione mulieris, quæ se proprio seruo iunxit, et ipsius serui, vide d. l. vni. C.*

c *Iure nostro, adulterij pœna infligitur. l. ij. §. lenocinij. ff. & l. ij. C. ad legem Iuliam de adult.*

d *l. Claudius. de iis quib. vt indig.*

e *l. j. §. j. de concub.*

DE SCORTATORIBVS, ET IIS QVI VIM VIRGINIBVS AFFERVNT. TIT. III.



QVI Vxorem habens scortatur, per duodecim allactas [f] castigetur. Item & is qui non habet, si in idem delictum incidat, per sex allactas emendetur.

DE ANCILLA.

QVI cum vxorem habeat, rem tamen cum propria ancilla [g] habet, re cognita, hic quidem ictu verberum castigetur. Ancillam verò receptam illius loci præses extra prouinciam distrahat, eiúsque pretium parti fisci inferat. Qui autem alienam compresserit ancillam, si quidem è locupletiorum numero est, ancillæ hero pro eiusmodi delicto, xxxvj aureos dato. Sin tenuior est, fustibus ictus pro modo facultatum id dato,

f *Magistratus aut apparitoris, quantum licet coniicere, nomen.*

g *De hac re habes l. inter liberas. in princip. ad leg. Corne. de sicar. & l. etsi libidine. C. eo. fac. & l. iij. C. de ince. & inutil. nupt.*

dato, quod pro rata xxxvj aureorum dare poterit. Qui in eas quæ monasticum vitæ genus delegerunt, aut quas ascetrias dicunt, aut diaconissas, lasciuierint [a], iis vt qui Christi sponsam ecclesiam contumelia affecerint, nares amputentur, simúlq; illis quas corruperint.

a *Vide l. vnicã. C. de rapt. virgi seu vid. necn sanctimon.*

DE SORORE.

QVI propriam sororem aut matrimonij nomine [b] acceperit, aut quo alio modo eam cognouerit, simul cum ea naribus priuator, sic tamen vt priùs à se inuicem distrahantur. Quòd si facinus id cum sorore viri nexibus adstricta patrârit, eadem quoq; pœna locum habeat, sed simul etiam ictu fustium castigentur.

b *Pœnã incestarum nuptiarũ habes No. de inc. & nefa. nup. §. j. De incesto concubitu vide Leuitic. xviij cap.*

Qui cum puella virgine [c] rem habuit, si quidem eius voluntate, insciis tamen parentibus, re diuulgata, si eam vxorem vult ducere, & parentes suum præstant assensum, habeatur inter eos matrimonij contractus. Sin alterutrius personæ parentes id non probarint, si quidem locuples est compressor, compressæ à se puellæ auri libram dato. Si tenuior est, suæ substantiæ semissem. Sin planè inops fuerit, cæsus ac tonsus relegator.

c *Huc vide Exod. ca. xxij. c. & Deuter. xxij. sub fi.*

DE VI ALLATA VIRGINI.

SI quis puellæ vim afferens [d], eam corruperit, dato ei bonorum suorum triente, naribus spoliator. Huic etiam communione interdicit sexagesimusseptimus sanctorum Apostolorum canon, eámque iubet vxorem ducere, etsi pauperrima est. Nouella autem patriarchæ Cæsaris Athanasij id statuit, promulgari ac ab omnibus recipi, ne mulier maximè virgo cuilibet pudorem suum prostituat: sed si quis eam loco quidem deserto rapuerit, legibus facinus vindicandum censet: sin verò sese absque vlla vi dediderit, tonsione ac traductione eam castigari, ac ne corruptorem quidem vtrobique impunè abire, sed & ipsum fisco legitimã pœnam inferre. Qui puellam ante pubertatem [e], hoc est decimum tertium annum corruperit, naribus exectis, bonorum semissem corruptæ puellæ persoluito.

d *Alia raptoris pœna l. vnic. C. de rap. virgin.*

e *Huc facit l. si stuprum. de pœnis. l. si quis aliquid. §. qui nondum. de pœn.*

DE ALIENA SPONSA.

QVI alienam sponsam vitiat [f], si quidem ea volente, ei nares præciduntor. Sin præter eius assensum, post hanc pœnam, suarum etiam facultatum trientem, vitiatæ præstato.

f *De hac re vide l. si vxor §. Diuus Seuerus. & §. si minor. ad legem Iuliã de adulter.*

DE IIS QVI SE SVO SANGVINI MISCENT. TIT. IIII.



VI Se suo miscent [g] sanguini, siue parentes cum liberis, siue liberi cum parentibus, siue fratres cum sororibus coniungantur, gladio puniuntor. Qui verò ex quacunque alia cognatione se mutuò corrumpunt, vt si filius cum patris vxore, hoc est nouerca concumbat, aut pater cum filij vxore, vitricus cum priuigna, frater cum fratris

g *De his l. penulti. & vlti. C. de incest. & inutil. nupt. Leuit. cap. xviij.*

aut vitrici vxore, patruus vel auunculus cum fratris sororísve filia, fratris sororísve filius cum amita vel matertera, aut cũ duabus sororibus, aut deniq; qui cum matre externa & eius filia sciens miscetur, eiusmodi omnes cæsi ac tonsi naribus truncentur. Qui matrimonio copulãtur, aut alioqui mutuo complexu iunguntur fratrũ sororúmve filij, & ex his progeniti liberi, iique vel soli, vel pater & filius cum filia & matre, aut duo fratres cum duabus sororibus, aut fratris sororísve filius cum patrui vel auunculi vxore, aut duo fratres cum matre & filia, aut denique patruus cum ea quæ fratris vel sororis filij vxor fuerit, non dirimantur [a] tantùm, sed & fustibus cædantur.

DE PRAETER NATVRAM LASCIVIENTIBVS.

PRAETER naturam lasciuientes[b], tam agens quàm patiens gladio plectantur, nisi fortè qui passus est minor erat annis duodecim. Tum enim ætatis defectus eum à pœna eximit.

DE BRVTESCENTIBVS.

BRVTESCENTIBVS, hoc est iis qui cum iumentis aut cæteris mutis animantibus concumbunt, penis[c] præciditor.

DE IIS QVI DVAS HABENT VXORES.

QVI duas habere[d] vxores ausus conatúsve fuerit, non iure quidem, sed facto ac instituto, rectè adulterij crimen subibit. Quæ verò ei posteriore loco nupsit, tum demum ei dabitur venia, si legitimam eum habuisse vxorem ignorauit.

DE FVRIBVS, ABIGEIS, SEPVLCRORVM EFFOSSORIBVS, ET SACRILEGIS. TIT. V.



FVRTI Quidem actio aduersus hæredes[e] non transmittitur. Rei autem subtractæ vendicatio in quemcunque possessorem competit. Qui interdiu[f] furatur, si quidem manifestarius est, in quadruplum conuenitur: si nec manifestus, in duplum. Nocturnum furem extra ciuitatem[g] licet occidere, etiam si miles est. in vrbibus autem non licet, nisi telum gestârit. Teli autem appellatione omne quod nocendi causa habetur, significatur. Ac vtrobique oportet eum qui furem occidat, cum clamore testificari. Si nocturnum[h] furem quis interfecerit, ita demum impune feret, si parcere ei sine suo discrimine non potuit.

Si qui alienam rem furto aut quoquo alio modo subtractam[i] vendiderint, velítque posteà dominus suum reuocare, haud sanè cogitur eius nomine pretium dare, sed & absque pretio rem propriam vendicat. Vbi res aliqua in diuersorio[k] vel caupona, furto ablata fuerit, liberum est rei domino vtrum velit aduersus furem ipsum dupli actione, vel si res maioris est pretij, tripli experiri, an eum exercitore diuersorij aut cauponæ in simplum agere. Cauponæ aut diuer

a *Sunt enim & hæ incestæ nuptiæ, vt ex dictis locis apparet.*

b *De quibus præclarè Iustin. in Nouel. vt non luxur. con. nat. l. cum vir. C. ad leg. Iul. de adulter.*

c *Lege Mosaica morte mulctatur. Exo. xxij cap.*

d *l. ij. C. de incest. & inutil. nup. l. eum qui duas. C. ad leg. Iul. de adult.*

e *l. furti actione. C. de furtis.*

f *Institut. de obligat. quæ ex del. nascun. §. pœna. nihil distinguitur noctúne an interdiu quis furetur. Ex lege Mosaica dupli tãtùm fur quiuis tenebatur, Exod. xxij.*

g *Nec ius nostrum distinguit, in ciuitaténe an extrà, vt habes in l. si pignore. §. furem. de furt. & l. itaque lex. §. lex. ad leg. Aquil. vbi furem dũtaxat diurnum à nocturno distinguit. Huc vide Exod. xxij c. & ca. si perfodiens. extrà de homicid.*

h *l. furem. ad legem Cornel. de sica. l. sed & si. ad le. Aquil.*

i *l. inciuilẽ. C. de furt.*

k *l. j. fur. aduer. naut. caupo. stabul.*

diuersorio præpositus, si cuius eò profecti rem seruandam susceperit: quæ pòst furto subtracta fuerit, ipse velut fur [a] furti actionem in se aliorum nomine sustinet, ac ipse quidem eius rei nomine satisdare domino cogitur: actionem verò furti aduersus cæteros instituit, qui in caupona fuerint. Si vxor furtum fecerit [b], vir eo nomine non damnatur. Est enim & furtum delictum. Generaliter autem delicta caput sequuntur. Qui in castris furatur, si quidem arma [c], vehementer fustibus cædi iubemus: si iumentum quodpiã, iis manus abscindi. Furtiuum tignum [d] ędibus vel vineę iniunctũ non soluitur, sed qui iniunxisse conuictus est, in duplum tenetur. Tigni autem nomine materia omnis ædificio aut vineæ necessaria continetur. Fures in qualibet Repub. si quidem semel furtum admiserũt, sancimus opulentos quidem & ingenuos, vnà cum rei subtractæ restitutione, simul etiam duplum ei rependere cui res interuersa fuerat. Sin tenuiores sint qui id fecerunt, verberati relegantor. Quòd si non semel sed sæpius deprehensi ac conuicti fuerint, iis manus [e] amputator. Furis serui dominus [f], aut ei cui res furto inuolata est, indemnitatem præstat, aut si id facere nolit, seruum ei, pleno dominio noxæ dedere cogitur.

DE ABIGEIS.

QVI alienos [g] greges vel armenta abigunt, si quidem id semel fecerint, verberentur: si secundò, relegentur: quòd si & tertiò idem fecisse deprehendantur, manu detruncentur, posteà quàm nimirum gregem abactum proprio domino restituerint.

DE SEPVLCRORVM EFFOSSORIBVS.

QVI cadauera in sepulcris spoliant, iis manus [h] præciditor.

DE SACRILEGIS.

QVI noctu [i] vel interdiu sacrarium ingressus, quicquam ex rebus sacris quæ in eo sunt subtraxerit, excæcator. Qui verò extra sacrarium, aut ex alio fano quippiam surripuerit, fustibus cæsus ac tonsus relegator.

DE HOMICIDIS. TIT. VI.



OMICIDA Est [k], qui quempiam eo animo percussit, vt occideret, siue occiderit, siue non occiderit, sed fortè vulnerârit aut leuiter eum percusserit quem occidere decreuerat. Itidem & è diuerso, homicida non est, qui interficere noluit [l], etsi interfecerit. In lege [m] Cornelia de sicariis dolus non lata culpa spectatur. Vt si quis se e muro præcipitauerit, aut vt fugeret, aut ob aliã quampiam causam necessariam, & deorsum inuentus fuerit quispiam, super quem lapsus is qui se præcipitem ex alto dederat, letali eum vulnere affectum interemerit, hìc sanè dolus non est, sed lata culpa, ac

a *Hoc fortè ideo dicit, quia in potestate eius est, cuius res surrepta sit, vtrum malit cum exercitore honorario iure, an cum fure iure ciuili experiri. ea. l. vni. fur. aduer. nau.*

b *l. sancimus. C. de pœnis.*

c Nostro iure gradu *militiæ pellitur. l. iij. §. qui aliena. de re milit.*

d *l. j. de tig. iniunct.*

e *Pro furto membrũ abscindi, aut mortem inferri vetat* No. *vt nul. iudic. §. quia verò nos oportet. vnde sumpta est auth. sed nouo iure. C. de ser. fug. Federicus ad suspendium fures adigi iubet. ti. de pace ten. sub fin. ij. lib. feu.*

f *l j. de noxal act. & Inst. eod. in princip. & §. j.*

g *De his & horum pœna l. j. de abigeis.*

h *Aliud supplicium l. iij. §. aduersus eos. de sepulc. viol.*

i *De sacrilegorũ pœna vide c. cum sit generale. in gloss. vlti. extr. de for compet. Item l. vj. & ix. ff. ad leg. Iul. pecu. & de sacrileg.*

k *l. j. §. diuus. ad leg. Cornel. de sicar.*

l *In maleficiis enim voluntas spectatur, nõ exitus. l. Diuus. eodem.*

m *l. in lege. eod.*

ideò nec cædis damnatur qui eum occidit. Qui cædem [a] meditatò & consultò facit, cuiuscunque tandem sit [b] ætatis, gladio plectitor Cæterùm secunda Nouella Cæsaris Constantini Porphyrogennetæ constitutio, eum commiseratione excipiens, qui consultò cædem fecerit, præter superioris legis præfractam potestatem, hunc perpetuo damnat exilio ac propriarum facultatum iactura. Neque verò has vult fisci commodis cedere, sed posteaquam huius vxori ex legum præscripto fuerit satisfactum, & quod ad dotem & ante nuptias donationem ac theoretra pertinet, si percussori subsunt liberi, trientẽ puri quod ei reliquum fuerit patrimonij eius liberis ascribi, alterum trientem monasterio, si monachismum profiteri voluerit, residuum porrò trientem vxori liberísque eius qui est occisus. Quòd si occiso non extent liberi, vxori & ascendentibus ex æquo trientem illum diuidi: ac si vxor relictis liberis antè vita excesserit, hos ascendentibus præferri. Sin verò nec liberi supersunt, nec vxor, nec ascendentes insuper vlli sunt ei qui sublatus est, cæteros qui lege vocantur hæredes, qui videlicet segnes sese in percussoris facinore detegendo non exhibuerunt, trientem illum consequi. At si monasticum vitæ institutum deligere percussor noluerit, non trientem sed bessem liberæ eius puræque substantiæ, ex iam dicta constitutione occisi parti velut iure hæreditario dari, ac insuper nullum vnquam qui huius criminis conuictus sit, posse aut ciuile aut quodlibet aliud munus obire, ne si sacro quidem rescripto id impetrârit, sed planè infamem esse, cui viuere duntaxat, benignè ac humanè sit concessum. Et Nouella Cæsaris Emmanuelis principis, hunc perpetuo damnat exilio, non etiam cogens vt tondeatur. Inquit enim absurdum esse, eum qui cædem fecit cogere, vt vel inuitus tondeatur: cùm & eos qui sponte sua ad tonsionem accedunt non facilè neque temere, sed iusto prius adhibito iudicio, accuratáque discussione admittendos statuamus. Patriarchæ autem Cæsaris Athanasij Nouella, cædis conuictum ipsum duntaxat supplicio iubet affici iuxta legum præscripta: eius verò liberos nequaquam proscribi [c], si cædis participes atque administri non fuerint. Porrò eius bonis pro filiorum numero distributis, vnam portionem occiso deferri, maximè si ille egenus erat, relictísque vxore ac liberis excessit: solam verò percussoris bonorum particulam fisco vendicari. Neque infans [d] hoc est septennis, neque furiosus cædem si faciat, capitali pœna plectendus est. Qui gladio quempiam percutit, si occîdat, gladio plectitor. Sin qui percussus est, non inde pereat, qui vulnus inflixit [e], manus ei abscinditor [f], quòd omnino gladio ferire ausus sit. Pugna inter aliquos exorta, si cædem cuiuspiam factam esse contigerit, auditorum est, hoc est eorum qui causis cognoscendis præsunt, obseruare ac disquirere quibus armis mors sit illata. Nam si maioribus fustibus aut lapidibus aut calcibus cędem factam cõpererint, ei qui cædis autor fuerit manum abscindunto. Sin leuioribus armis

a *l. iij. §. pen. eod.*

b *Cuius in delictis nulla est excusatio. l. auxilium. §. in delictis. de mino. l. impunitas. C. de pœn. cum simil.*

c *Ex æquitate l. crimen paternum. de pœnis.*

d *l infans. ad legem Cornel. de sicar.*

e *Hunc etiam homicidam vult haberi l. j. §. diuus. eodem. si occidendi animo id fecerit, quod ex re sit constituendum. Huc fac. c. de pa. ten. §. si quis alium. ij lib. feud.*

armis allatam mortem [a] deprehenderint, hunc solùm verberibus affectum releganto. Si in rixa [b] manu quis quempiam percusserit, & occiderit, fustibus cæsus relegator. Sed si non interierit ille, verberator duntaxat. Si quis proprium seruum [c] loris aut virgis castigârit, indéque eum mori contigerit, haud sanè tanquam homicida damnatur. Quòd si præter modum quæstionem de eo habuit, aut veneno interemit, aut exussit eum, tum, vt qui cædis autor sit, iustè punitur. Qui non sua sponte cædem fecit [d], relegatur. Qui infantem occidit [e], reus est cædis. Et minor etiam [f] vigintiquinque annis si cædem fecerit, pœna tenetur legis Corneliæ. Necat [g] partum non solùm qui præfocat, sed & qui abiicit, aut alimoniam denegat, aut etiam publicis locis exponit misericordiæ causa, quã ipse non habuit. Qui ascendentem aut descendentem propinquúmve interemit, igni [h] traditor. Qui aggredientem [i], in vitæ discrimine positus occiderit, extra calumniã esto. Qui cuipiam occidendũ aliquem mandârit [k], eadẽ pœna qua qui cædem fecit, tenetur. Qui senatorium [l] virũ vel militem occiderit, maiestatis damnetur, hoc est damnetur ac puniatur, quo modo ij solent qui in maiestatis crimẽ inciderunt. Qui stuprum per vim inferentẽ occiderit [m], dimittatur.

NOVELLA CAESARIS PRINCIPIS PORPHYROGENNETAE.

Etiam eos qui in dignitate positi sunt homicidas, capite puniri oportet, nihílque ipsis eorum prodesse dignitatem [n], si modò apertè insidias, coniurationes, fraudulentas molitiones aut insultus fecisse deprehendentur, vt facinus huiusmodi odiosum & horrendum admitterent, aut etiam eos qui sibi parerent induxisse, vt id patrarent.

Qui prægnantem [o] mulierem humat, priùs quàm ei fœtus excisus eiiciatur, spem animantis cum grauida peremisse videtur. Si pater quempiam cædis filij reum fecerit [p], ac eum calumniam intulisse sit pronuntiatum, haud propterea fit infamis.

DE LATRONIBVS.

LATRONEM cuique licet [q] citra discrimen vllum interimere. Famosi latrones [r] in iis locis in quibus grassati sunt, furca figuntur, idq; vt & conspectu deterreantur alij qui huiusmodi patrant facinora, & illud solatio sit cognatis & affinibus interemptorum.

DE MVLIERVM RAPTORIBVS. TITVLVS VII.



QVI Mulierem rapiunt [s] vel desponsatam vel necdum desponsatam, vel viduam, siue ea ingenua est, siue serua, siue libertina, & maximè si Deo sunt consecratæ mulieres, siue etiam quis propriam sponsam rapuerit, si quidem armis, vt gladiis aut fustibus adhibitis rapuerint, ipsius quidem autores flagitij gladio feriuntor.

a *Nostro iure nihil interest, vtrum occidat quis, an mortis causam præbeat. l. nihil interest. eod.*
b *Facit huc d. l. j. §. j. versi. sed etsi claua. eodem.*
c *l. vnic. C. de emend. seruor.*
d *Fac. l. iij. §. sed ex senatusconsulto. ad legem Corne. de sicar.*
e *l. pen. C. eod.*
f *Fac. l. si quis te. C. cũ similibus.*
g *l. necare. de liberis agnoscend.*
h *Atrocius supplicium. l. pœna. ad l. Pompon. de parric. & l. vnic. de iis qui par. vel liber. occid. cuius & Cicero pro Roscio meminit.*
i *l. ij. C. ad leg. Corne. de sicar.*
k *l. non ideo. C. de accusat. cum simil.*
l *l. quisquis. ad legem Iul. maiest. C.*
m *l. j. sub fin. ad legem Cornel. de sicar.*
n *Omnẽ honorẽ reatus excludit l. j. C. vbi sen. vel cla. ciui. vel crimin. conuen.*
o *l. ij. de mor. inf. fac. l. imperator. de stat. homi. & l. prægnantis. de pœn.*
p *l. vlt. de publ. indic.*
q *l. iij. & iiij. C. ad legem Corne. de sicar. Concord. c. interfecisti. extr. de homicid.*
r *l. capitalium. §. famosos. de pœn.*
s *l. vnica. C. de rapt. virgin. seu vid. nec. sanctim. l. raptores. de episc. & cler. No. de rapt. mulier. Nisi quòd ex his constitutionibus comites quoque & admi-*

Qui verò his consenserint, aut conscij fuerint, aut sponte sua sese his adiunxerint, vel qualecunq; studium ac operam ea in re collocârint, verberatis ac rasis nares amputantor. Si verò absque armis quibuscunque rapuerint, ipse quidem raptor manu truncetur. Qui verò ei in rapiendo opem tulerunt, aut conscij ministríve fuerunt, aut sponte sua sese ei facinori immiscuerunt, aut eos sponte sua receperunt, aut qualemcunque ipsis operam accommodârunt, cæsi ac detonsi relegantor. Cæterùm qui virginem vel viduam etsi sponsam, rapuerit, non potest eam ne consentiente quidem eius patre ac crimen remittente, vxorem ducere. Quòd si fortè rapta puella matrimonio ei iungi voluerit, ei mortuo quanquam ex eo liberos sustulerit, ac ille id decedens statuerit, nequaquam succedit (cùm si ei coniuncta fuerit, eius bona consequatur) sed nec ex paternis facultatibus quicquã percipit: sed paternæ quidem res aliis relinquuntur hæredibus, raptoris verò fisco inferuntur. Si quis cum aliqua hominum manu in ædeis cuiuspiam mulieris profectus, eam siue inuitam siue volentem rapuerit, quoniam is raptum admisisse videtur, supplicio afficitur. Si quis verò solus nullis administris & comitibus accinctus, eò profectus occultè mulierem quæ se ipsa prostitueret, rapere ausus fuerit, non raptum sed virginis stuprum [a] committit. Raptum eius mulieris cui vis sit illata, vindicant fratres, parentes, tutores [b] & curatores. Seruus [c] qui raptus dominæ suæ conscius & particeps atque administer fuerit, concrematur. Si quis absque iudicis decreto [d] per vim ac insultum, rem cuiquam eripuerit, si quidem suam ipsius, eius amittit dominium: sin alienam, & rem ipsam, & eius ęstimationem exhibeto.

nistri raptoris, capitali pœna afficiũtur. facit & huc l. qui cœtu. §. qui vacantem. ff. ad leg. Iuliam de vi public.

a Quis stuprum dicatur committere, habes in l. stuprum cõmittit. ad leg. Iul. de adult.
b d. l. vnica. §. j. C. de rap. virg.
c Ead. l. §. vlt.
d l. pe. & vlti. ad leg. Iul. de vi priuat. l. si quis in tantam. C. vnde vi.

DE IIS QVAE EX INCENDIO VEL NAVFRAGIO RAPIVNTVR.

QVI ex incendio, naufragio vel ruina rapit aliquid, intra annum quidem continuum [e], in quadruplum, post annum in simplum tenetur, præter iam legibus statutam pœnam. Raptor pœnam non euitat [f], etiamsi rem quam rapuit, ante iudicium restituat. Crimen simile [g] est rapere, & scientem aliquem rapta recipere.

DE IIS QVI RES NOVAS MOLIVNTVR, ET SEDITIONES COMMOVENT.

QVI turbæ [h] seditionísve faciendæ cõsilium inierint, & liberos homines vel seruos in armis habuerint, & qui pubes cum telo in publico fuerit, & qui conuocata seditione villas oppugnârint, & res rapuerint, lege Iulia de vi publica tenentur. Qui rerum [i] nouarum molitores Græcè νεωτεριϰοὶ dicuntur, quíque turbulentis se acclamationibus popularium accommodant, si quidem admoniti in iisdem perseuerauerint, relegantur. Quòd si sæpius seditiosè & turbulenter se gesserint, & aliquoties apprehensi & antè clementiùs tractati, in eadem temeritate propositi permanserint, fustibus cæsi ac

rasi

e Vtilem l. in eum. C. de fur. & ser. corru. Huc vide l. j. l. Pædius. imo verò totũ titul. ff. de inc. ruin. naufr.
f l. pe. vi bono. rapt. l. qui ea mẽte. de furt.
g l. pen. C. ad leg. Iul. de vi publ. vel priu.
h l. iij. ad leg. Iul. de vi publ.
i l. capitalium. §. solent. de pœnis.

rasi perpetuo damnentur exilio. Si verò non antè à præside sint moniti, fustibus tantùm cæsi dimittuntur.

DE TERMINORVM MOTORIBVS.

QVi terminos finium [a] causa positos protulerit, si quidem iunior est, in longius tempus, si senior, in recisius relegatur. Qui verò ea in re alterius ministerio functus fuerit, castigatus ad opus publicum biennio datur. Quòd si per ignorantiam aut fortuitu quis finales lapides sustulerit, tantùm verberibus cęditur. Qui terminos statutos dolo mouerit [b], in singulos terminos quinquaginta aureos in publicum dare iubetur. Quòd si seruus seruáve id admiserit, ei capitale est: nisi dominus mulctam pro his sufferre maluerit.

Qui terminum agri de quo controuersia est, ante litem absolutam [c] occupârit, eum in duplum reddit. Nam & locum ipsum quem occupauit dat victori, & tantundem insuper. Quòd si ei locus ille proprius erat, sufficit ad pœnam, eo excidere.

a l. ij. de term. mo.

b l. vlt. eod.

c Fac. l. si constiterit. C. fin. regund.

DE TRANSFVGIS ET PLAGIARIIS. TIT. VIII.



QVI A' Romanis ad hostes transfugiunt [d], eos tanquam hostes licet cuique citra periculum occidere. Transfugæ [e] ad hostes, & nostrorum consiliorum renuntiatores furca suspenduntur, vel viui exuruntur. Hostes, quíq; ad eos transfugiunt [f], gladio feriuntor. Si quis perfuga [g] in patriam reuerterit, si semel quidem hoc fecerit, ei venia dator: si secundò, in triennij seruitutem distrahitor: si tertiò transfugerit, posteáque redierit, in perpetuam seruitutem diuenditor. Quòd si ab aliis captus, in patriam reductus fuerit, maximè si gentis suæ sanguine dextram polluerit, hunc capite plectere vt hostem, nec iniquum sit nec seueritatis nimiæ. Qui hostes prouocat, aut hostibus Romanos tradit [h], capitali pœna afficitur.

Qui barbaros docet antè ignotas naues [i] fabricari, capitali pœnæ subiicitur. Serui aut liberi homines qui liberos vt seruos distrahunt, ac alienant, cæsi ac rasi manu truncantor [k].

d l. ij. de deser. xij. lib. C. l. ij. C. quand. lice. vnic. fin. iud. se vin.

e l. si quis aliquid. ij. §. j. de pœ. l. omne. §. exploratores. de re milit.

f l. proditores. eodem.

g Fac. huc l. v. §. à barbaris. eo. Item & l. iij. §. si plures. & sequens.

h l. si quis barbaris. de re mil. lib. xij. C.

i l. vlt. C. de pœn.

k Capitale est iure nostro plagij crimen. l. j. ad l. Fau. de plagi. l. quoniam. & l. vlt. C. eod.

DE CALVMNIATORIBVS, ET IIS QVI FAMOSVM LIBELLVM REPERIVNT. TITVLVS IX.



VLT Constitutio [l], eum qui in crimine publico calumniatus fuerit, & infamia notari, & deportari, idque solùm si alienam accusationem tanquam propriam causam susceperit. Calumniatus in crimine aliquo episcopum, triginta auri libras fisco pendito. Calumniator talioni [m] subiiciatur. Calumniator [n] nulla ratione quicquam lucri facit, neque si calumniandi causa pecuniam accep

l Facit huc l. nostris. C. de calumn.

m l. vlt. eodem. C.

n l. iij. §. j. ff. eodem.

acceperit, neque si, ne quempiam calumniaretur, acceperit. Qui φλυαζίαν hoc est famosum libellum vel signatum vel non signatum inuenit [a], neque statim exurit, sed eum legit, eidem pœnæ subiaceat, cui & ille qui eum edidit subiaceret. Est autem φλυαζία charta proiecta, quæ conuitia in aliquem continet, ac eius famam denigrat. Qui famosum libellum reperit [b], nemini alij vim eius exponat, sed eum aut confringat aut exurat. Quod qui non fecerit, pœnæ capitis subiicitor.

a l. vnic. C. de fam. libel. quæ & in canones est relata. c. si quis. §. si quis famosum. v. q. prima.
b Eadem l.

DE VENEFICIS, PRÆSTIGIATORIBVS ET ARIOLIS. TIT. X.



LEGE [c] Quæ in homicidas lata est tenetur, qui venenum necandi hominis causa fecerit, habuerit vel vendiderit. Si quis vel liber vel seruus quacunque de causa poculum [d] præbuerit, siue vir vxori, siue seruus domino, & propterea contigerit eum qui poculum sumpsit in morbum incidere, indéque diffluere ac mori, gladio punitor.

c In princ. l. iij. ad legem Corne. de sicar.
d l. si quis aliquid. §. qui abortionis. de pœnis.

DE PRAESTIGIATORIBVS SEV MALEFICIS.

QVI ea quæ φίλτρα hoc est amatoria [e] pocula dicuntur, conciliandi hominum amoris causa faciũt, publicatis bonis relegantor. Qui maleficum [f] aliquem sciens apprehenderit, eum in publicum iudicum conspectum pertrahat. Quòd si quis, cuiusmodi tandem sit, talem hominem comprehensum, iudicibus non tradiderit, extremum supplicium subeat. Qui prꝑstigiationibus pudicos animos [g] ad amores impellunt, bonorum publicationi & relegationi subiiciuntur. Quòd si & in personam eximiam id facere ausi fuerint, gladio punientur. Factis sacrificiis ariolari [h] prohibitum est. Qui autem id fecerit, gladio feriatur. Qui pocula miscent amatoria [i], vniuersis bonis publicatis relegantur. Sunt autem amatoria pocula, quæ amorem ac dilectionem conciliant, per quę, vt nonnulli nugantur, potest quis quempiam in sui amorem pertrahere. Qui in hominum perniciem dæmones [k] inuocant, gladio feriuntor.

Vetat constitutio [l] manus vtrasque vel pedes abscindi.

e Ead. l. & §.
f l. vlt. C. de malefic.
g Fac. l. eorum. C. eod.
h l. nemo. eodem.
i d. l. si quis aliquid. §. qui abortionis.
k l. multi. C. de maleficis.
l Nou. vt nul. iudic. §. quia vero nos oportet. vnde Authent. sed nouo iure. C. de ser. fugi. est sumpta.

DE GENTILIBVS ET HÆRETICIS. TITVLVS XI.



QVI Ex Christiano Iudæus [m] effectus fuerit, eius bona publicentur Si Iudæus [n] Christianum mancipium habuerit, atq; id circunciderit, capitali pœna punitur. Si Iudeus Christianam mentem [o] peruertere ausus fuerit, capitali pœnæ subiicitor. Qui sacro lauacro [p] digni habiti, ad paganismum rursum redeunt, vltimo supplicio afficiuntur. Qui orthodoxorum fide deserta [q], hæretici effecti

fuer

m l. j. de apost. C.
n l. vnic. ne Christia. mancip. hæret. vel Iud. C.
o Aut in eũ irruere, qui ex iudaismo ad Christianismum sit conuersus. l. ij. C. de Iud. & cælic. fac. l. eum qui. C. de apost.
p Fac. l. iij. C. de apost
q l. apostatarũ. C. eod.

fuerint, & vel sacrilega nefariáque sacrificia fecerint, vel cuiquam facienda mandârint, nec testari nec donare, sed nec ex testamento, nec ab intestato quicquam possunt capere. Qui gentilia [a] facit sacrificia, aut idola colit, & his immolat, vel thus adolet, extremo supplicio subiicitur. Eadem pœna afficiuntur & qui ei conscij, sacrificiorúmve ministri fuerint. Manichęi qui ad Christianismum conuersi, eadem posteà fecerint, quæ Manichæi, aut cum his versati fuerint, nec eos in manus magistratuum tradiderint, extremo supplicio subduntur. Et qui in dignitatibus [b], militum præfecturis aut consistoriis sunt, curare debent, ne quis eorum eiusmodi sit. Si enim eum nôrint, nec tamen exhibuerint, etiamsi orthodoxi sint, pœna capitis nihilò minus & ipsi plectuntur. Manichæi etiam post mortem conuincuntur [c]. Ac nemo ipsis aut ex testamento succedit, aut ab intestato, etsi cognati sint orthodoxi, præter liberos, sed omnes eorum facultates fisco inferuntur. Soli siquidem eorum liberi qui orthodoxi sunt, ipsis succedunt.

a *l.j pen. & vlti. C. de pag.*

b *l. iij. sub fi. C. de hæret. & Manich.*

c *l. Manichæos. l. cognouimus. cũ Authen. subseq. C. eod.*

DE SERVIS, ET INCENDIARIIS.

TITVLVS XII.



SERVVS Conscius [d] & assensum ac operam suam accommodãs raptui propriẹ dominæ, comburitur. Igni cremantur [e] serui, qui saluti dominorum suorum insidiati fuerint. Quin & ij serui supplicio afficiantur, qui cum occideretur dominus [f], intellecta eius voce insidiísque in eum cognitis, non accurrerunt, siue id in ædibus, siue in via, siue in agro contigerit. Si quis familiaris [g] aut seruus, crimen aduersus eum intenderit, in cuius familia est aut dominio, gladio feriatur, præterquàm si maiestatis accuset. Et libertus quoque crimina intentans patrono, aut eius hẹredi, idem cum seruis ac familiaribus supplicium subeat. Si quis sciens prudénsque ædeis aut aceruum frumenti iuxta ædeis positum incenderit [h], conuictus igni necatur. Quòd si extra vrbem tale quippiam admiserit, manus ei amputator. Si quis in agri sui stipulam [i] eius comburendæ causa ignem immiserit, atque ignis vlterius euagatus, alienos agros aut vineam etiam alienam combusserit, cognitorem super hac re disquirere conuenit. Et si quidem imperitia aut negligentia eius qui ignem accendit, acciderit, nisi cum posset obseruarit, ne vlterius flamma progrederetur, is tanquam culpæ reus damnatur. At si ille omnia quidem quæ oportuit obseruauit, sed subita venti vis irruens flammam in agrum læsum longiùs produxit, certè culpa caret, qui ignem succendit. Si fortuitu [k] ædibus alicuius incensis, inde ignis euagatus proximas ædeis exusserit, nequaquam is tenetur cuius primùm domus est succensa.

d *Idem & sup. dictũ est tit. vij.*

e *l. capitaliũ. §. igni. de pœn.*

f *Huc fac. l j. de sena. Sylla. l. vlt. C. de iis quib. vt indig.*

g *l. pen. & vlti. C. de iis qui accu. nõ poss. Concord. ca. vlt. §. si quis. iij q. xj.*

h *l. capitalium. §. incendiarij. de pœn. l. qui ædeis. de incen. rui. naufr.*

i *l. qui occidit. §. pen. ad leg. Aquil.*

k *l. pen. de incen. ruin. naufr.*

DE IIS QVI ALIENOS SERVOS RECIPIVNT, ET QVI LIBEROS HOMINES ALIENANT. TIT. XIII.



QVI Alienum seruum [a] susceperit & celarit, non eo prætextu pœnam effugit, quòd de eius proprietate quæstionem moueat, sed eum cum alio simili reddit. Qui fugitiuum [b] seruum suscepit, eum cum alio pari vel viginti solidis restituit. Et quoties eum susceperit, toties & pœna augetur. Qui ingenuum hominē inuitum [c] sciens distrahit, plagij pœna tenetur. Si quis sciens liberum hominem emerit, vendiderit, donârit, in dotem dederit, vel pro eo rem permutârit, vna qualibet harum causa probata, manus [d] ei abscinditor.

a l.eum qui. ad leg. Fau.de plag. l.præses, cum seq.C.eod.

b l.iiij.C.de ser.fugit.

c l.pen.§.vlt.ff.ad l. Fau.de plagi. & l. liberum.C.eod.

d Iure nostro capitale crimen est.l.j.& iiij.eo.& l.quoniā. C.eodem.

DE VARIIS POENARVM GENERIBVS. TITVLVS XIIII.



SI QVIS Principi oblocutus [e] fuerit, non protinus pœnæ subiacet: sed necesse habent qui audierunt, id principi renuntiare. Principi verò quicquid visum fuerit, ea de re liberum est statuere. Verùm hæc quoque de huiuscemodi hominibus lex [f] iubet. Si quidem ex leuitate quis in principē quippiam dixerit, contemnendus est: si ex furore ac dementia, miseratione dignus. Sin ex iniuria [g], hoc ei est remittendum. Quòd si præter hos tres modos aliam ob causam dixerit, suppliciū subeat pro ratione verborū quæ in principem nugatus fuerit. Qui in principis [h] salutem coniurârit, publicatis bonis, capite punitur.

e Principi non maledicēdum, Exo.xxij. d. Act.xxiij.a.

f l. vni.C. siquis imper.maledi.

g In Græ. exēpl. legitur ἐξ ἀκακίας ex simplicitate. Sed ex d.l.vni. videtur potiùs legendum ἐξ ἀδικίας. Nisi & illam lectionem tueri mauis.

h l.quisquis. ad l.Iul. maiest.C.

DE MONETA.

QVI adulterinam monetam cudit, & ipsi & iis qui ea in re ipsi ministerium exhibuerint, manus amputator [i]. Agri autē illius administratori, in quo falsam cudi monetam contigit, siue colonus, siue seruus, siue qui ergastulis præest ministerium ei atque operam in eo scelere accommodârint, ipsi quoque, sicut & reliquis manus detruncator. Dicitur autem moneta præcipuum primogeniúmque signaculum ac character, quo nummorum forma exprimitur. Qui vallum [k] transcendit, aut per murum castra ingreditur, capite punitur. Qui verò fossam transilit, militia reiicitur.

Qui atrocem [l] militum seditionem concitat, capite punitur. Quòd si intra vociferationem vel leuem querelam seditio mota est, tum gradu militię pellitur. Contumacia [m] omnis aduersus ducem vel præsidem, militis, capite punienda est.

i Alia pœna l.j. & iij. ac tot.titul.C.de fal.mon.

k l.iij.§.in bello.de re milit.

l Ea.l. §.qui seditionem.

m l omne delictum.§. contumacia eod.

DE PRIVATIS CVSTODIIS.

VETAT constitutio [n], ne quisquam sibi priuatum habeat statuátve carcerem. Quod qui ausi fuerint, iubet & his mulctam irrog

n l.vni.de priuat.car. inhib.vbi hac de re paulò aliter statuitur.

irrogari,& totidē dies in publica detineri custodia, quotquot is erat futurus,qui eorum priuato carcere inclusus erat, cuiuscunque fortunæ sint aut dignitatis homines : insupérque iure illo spoliari ac frustrari quod sibi in inclusos competebat, idque episcopi ac præsidis prouidentia. Síque ea in re segnem se ac negligentem præses præbuerit, periculum & facultatū adire & vitæ ac salutis. Carceri [a] præpositus si pecunia corruptus sine vinculis agere custodiā permiserit, aut ferrum venenúmve in carcerem inferri passus sit, punitur. Quòd si quid eiusmodi eo nesciente contigerit, vt segnis ac negligēs à præfectura carceris remouetur ac pellitur. Qui è carcere [b] effugerūt, si quidem effractis vinculis, aut deiecta ac depressa carceris parte, aut quo alio dolo in custodes vsi, ea fuga euaserint, capite puniūtur. Si verò per eorum incuriam quibus commissus erat carcer, eruperint, mitiùs cum eis agitur.

a *l. carceri præpositus. de cust. & exh. reor.*

b *l. j. in prin. de effra. & expilat.*

DE COMMODATO EQVO.

QVi cum equum [c] ad certum præfinitúmque locum commodatò sumpsisset, eum posteà locum excesserit, damni, si quid ei accidit aut mortis, vt par est, in se rationem ac periculum suscipiens, indemnitatem equi domino præstat. Quòd si intra præscriptum locum damnum aliquod aut mors equo acciderit, indemnis permanebit, qui commodatò accepit, nisi fortè culpa sua aut dolo, illud incommodi equo inuexerit. Si quis alterius augendam officinam aut negotiationem susceperit, & eam posteà tenuiorem quàm erat conuentum effecerit, ac redemerit, siue alius in alterius artificium irrepens, in vtroq; opera facit, neq; alterutrum pro arbitratu suo ex præsidis disceptatione & notione deserere voluerit, is fustibus cæsus ac rasus, traductionis [d] ac perpetui exilij pœna afficiatur.

Debet legatarius [e], posteaquàm aliquos inuenerit qui sibi species importatas tēpore penuriæ recondunt, & in Reip. fraudē negotiationem exercent, eos præsidi indicare, vt iis cæsis ac rasis, quæ sibi seposuerunt inferantur. Qui aliena pecora [f] inclusit, & alimenti inopia necauit, aut quoquo alio pacto interemit, in duplum dānatur. Cōmittentibus inter se arietibus [g], bobus, equis, suibus aut aliis pecoribus, si quidē qui prior est aggressus ab aliis interemptus fuerit, haud quaquā tenetur, eius qui occîdit dominus. Sin qui est aggressus, alios interemerit, tenetur eius dominus, & vel animal pro noxa, domino interfecti dat, vel indemnitatem ei præstat. Qui in parte [h] domus interiore dolū facit, & ex ea opera facit ac diuendit, manu truncetur.

c *l. eum qui. in princ. l. si vt certo. in prin. & §. sed interdum. & l. vlt commoda.*

d *θρίαμβον hic idē videtur appellare, quod suprà πομπὴν supplicij genus.*

e *Vide ne in Græco contex. pro λεγατάριος sit legēdum λεγᾶτος legatus, idq; ex l. si quid erit. & l. legati. de off. procons. & leg.*

f *l. pe. C. de l. Aquil.*

g *l. j. §. cum arietes. si quad. paup. fec. dic. facit & huc l. si ex plagis. §. tabernarius. ad leg. Aqui. De boue bouem occidente, vide Exod. cap. xxj. sub fi.*

h *Græcus cōtex. legit εἰς ἀσήμιον, in re ignota nec signata. Sed putarim legendum εἰς ἀσάμιον, quo nomine balneū domesticum significatur.*

QVINAM INFAMIA NOTANTVR.

TITVLVS XV.



SI Quis iudici [i] conuitium fecerit, conuentus infamia notatur. Si quis causa [k] apud aliquem iudicem agitata, ab eo posteà prouocârit, & causam sub alio iudice agere auspicatus, priori iudici fuerit conuitiatus, is quoque infamis est. Neque enim litigatoribus licet iu-

i *l. iudici. de iniur.*

k *l. illud sciendum. j. de app. Nec iniuria fit iudici si ab eo appelletur. l. & in maioribus. C. eod.*

dices apud quos priùs litem intenderunt, conuitiis afficere. Qui quæstus [a] causa in certamen descendunt, famosi sunt, & qui propter præmium in scenam prodeunt, infamia notantur. Notantur & infamia lenones, calumniatores, & quæ intra tempus luctus nubit, & qui sciens eam vxorem ducit, & quæ alteri sponsa, alteri nupta est, & qui stellionatus crimine damnatus est, & quæ se prægnantem simulauit.

In actione iniuriarum, nō is solùm qui damnatus est, infamia notatur, sed & qui transegit [b], cum scilicet vt pecuniam acciperet, trāsegerit. Ex eo enim videtur dare pecuniam, quòd sui sibi delicti sit cōscius. Iis qui improba [c] exercent fœnora, ac vsurarum vsuras exigunt, inuritur infamiæ nota. Qui fidem [d] societatis frangit, & infamia ei irrogatur, & socio facere satis compellitur. Qui frugum vbertati insidiantur, atque annonam [e] attentant aut vexant, dum mercibus coëmptis ac suppreßsis, minùs vberes prouentus expectant, ij si quidem negotiatores sunt, à negotiatione arcentur, aut relegantur: sin humiliores sunt, ad opus publicum dantur.

a l.ij.in fi.& per tot. tit. ff.ac C.de iis qui infam. not.

b l.furti.§.pactus.ff. & l.non damnatos.C.eodem.

c l. improbum. C.

d l.vltima.C.

e l.annonam. de extraord.crimin.

LEGES GEORGICÆ[a], SELECTAE EX LIBRO, PIAE MEMORIAE IVSTINIANI PRINCIPIS.

DE GEORGICIS. TIT. I.



AGRICOLAM Oportet in agro proprio colendo iustum esse, neque fines transgredientẽ ad sulcos vicini pertingere. Quòd si quis fines statutos agrorum excesserit, ac agrum vicinum detruncârit, si quidem id in nouali fecit, eius nouationem amittit. Sin etiam in semente fines prætergressus fuerit, & sementem perdit, & eius culturam & fructus. Si quis colonus, inscio agri domino, in eum ingressus nouauerit, aut in eum sementem coniecerit, nihil omnino nec pro cultura, nec pro nouatione sua percipiat, nec fructus pro semẽte, sed nec grana in humum sparsa. Si de agris inter se permutandis duo agricolæ ante sementis conuenerint, & pacta violârit alteruter, si quidem iam granum terræ mandatũ est, pœnitudini inter eos locus nõ est. Sin is qui à pactis recessit, agrum suũ non nouauit, alter verò nouauit, tum sanè ei qui à conuentione discessit, facultas nouandi & à pacto discedendi detur. Si de commutandis agris coloni duo pacti fuerint, adhibitis duobus aut tribus testibus, & pacti quidem in perpetuum, rata eiusmodi commutatio stabilis ac inuiolata permaneat. Si agros, duo coloni siue ad tempus siue in perpetuum cõmutârint, & mutila vna pars si cum altera conferatur inuenta fuerit, neque ita pacta inita fuerint, qui ampliorem partem habet, ei qui minorem habet, quippiã pro loco[b] dato. Quòd si ita pacti fuerint, nihil sibi mutuò rependunto. Si cum litem de agro colonus haberet, præter eius qui semen sparserat voluntatem eò ingressus, absque[c] iudiciaria autoritate fruges messuerit, si quidem iuris aliquid in eo habet, nihil ex eo habeat. Sin & temere litem susceperit, dupla quantitate demessos fructus restituat. Qui alienam syluam inscio domino cæsam colit ac serit, nullos inde fructus percipiat. Si partitio inter aliquos facta, nõnullos in fossionibus, aut certis locis læserit, his liberum esto factam partitionem conuellere. Si prædia duo de finibus aut agro contendant, dispiciant cognoscendæ ac dirimendæ cõtrouersiæ præpositi, vter annos plures[d] tenuerit, & secundum eum pronuntient. Quòd si & limes vetustus est, vetusta occupatio inconcussa esto ac illibata. Si quis terra accepta à colono, qui ipse inops esset vsque eò vt serere eam non posset, & pactionem inierit de ea duntaxat nouanda & distribuenda, va-

a *Leges colonicas appellat Varro libr. j. de re rusti. Atque etiam, inquiens, leges colonicas tollis, in quibus scribimus. Colonus in agro surculario ne capras compascat.*

b *Aut is qui maiorem locum in territorio habere dicitur ei qui locum minorem poßidet, integrum aßignato locum. l. de modo. finium reg.*

c *Facit l. si quis in tãtam. C. vnde vi. l. si constiterit. C. eod.*

d *Fac. l. in finalibus. ff. eod.*

leant pactiones. Sin & de semente conuenerint, hac quoque de re pacta rata sunto. Si colonus suscepta vineæ aut agri cultura, pactus cum domino & acceptis arris, primitiis decerptis posteà pœnitudine ductus hæc neglexerit, iustum agri aut vineæ pretium præstato, agrúmque suum aut vineam dominus recipiat. Si colonus prædium alterius coloni nemorosum ingressus coluerit, triēnio rursum illud domino restituat. Si colonus qui fundum suum inopia pressus colere non poterat, aufugerit & peregrè profectus fuerit, ij quorum est tributa exigere publicani fundi fructus colligant, sic tamen vt facultatem non habeant quicquam à colono reuerso exigendi, aut mulctam ei vllam irrogandi. Si ex agro proprio colonus aufugerit, quotannis extra ordinem fisco pensiones solitas pendunto qui eum agrum tenent, & fructus percipiunt. Qui vsuræ causa agros susceperunt, si ampliùs quàm per septem annos fructus percepisse deprehensi fuerint, connumeret cognitor à septennio, & superiores & omnes pro dimidia ratione pensiones, in sortem ascribat. Si quis iter faciens, oblæsum in via pecus aut iumentum offenderit, ac misertus domino renuntiârit, qui suspicetur ab eo qui renuntiauit id factum, iuret ille quidem de læsione, de eius verò interitu non teneatur. Nemo colonum alienū suscipiat. Quòd si susceperit, eum iterum prædio reddat, quod ille reliquit. Sin præceptum hoc trāsgressus fuerit, inferat ærario duodecim argenti libras, & sic quoque à præside compellatur, colonum cum omni iactura, detrimēto, ac eius peculio restituere. Si quis bouem culturæ causa commodatò acceperit, & is mortuus fuerit, dispiciāt iudices. Ac si quidem in quod opus acceperat [a], in eodem perierit, indemnis esto. Sin verò in alio, bouem omnino dabit. Si quis bouem aut aliud quoduis iumentum ignorante domino sustulerit, & in ipso perierit opere, mercedem eius duplam præstato. Sin verò in via interierit, duos pro vno dabit, quoquo id modo acciderit.

DE FRVCTVVM PARTITIONE.

SI partiarius [b] colonus messe absque voluntate eius qui fundum ei locauit facta, eius manipulos interuerterit, vt fur omni eius agri fructu excidet. Partiarij portio, corpuscula hoc est grana nouem: domini qui fundum colendum dedit vnum. Qui verò modum hunc in partiendo excedit, Deo inuisissimus est.

DE DIMIDIA LVCRI RATIONE.

SI colonus suscepto agro pro dimidia lucri ratione, opportuno & commodo tempore inuitante non nouarit, sed granum sub aspectum duntaxat proiecerit, nihil ex fructibus percipiat, quia mentitus fundi dominum delusit. Si colonus ab alio inope vineam colendam pro dimidio lucro susceperit, neque, vt par est, ramos putârit, aut foderit, & vallis vineam instruxerit, ac repastinârit, nihil fructuū auferat. Si colonus qui dimidium agri tenuis lucrum suscepit, ante culturæ tempus pœnitudine ductus domino renuntiârit se non posse

a l. vlt. commod.

b Μορτὴν seu μορτὴν exponit Hesyc. τὴν γενομένην καταβολὴν ἀπὸ τῶν καρπῶν, solutionē è fructibus confectam. Sed hoc loco forsan rectiùs partitionē fructuū intelliges, quæ inter colonum partiarium, hoc est μορτίτην, & dominū fundi fit.

posse illum colere, idque dominus neglexerit, haud quaquam fraudi erit ei qui dimidiæ ferendæ causa agrum acceperat. Si is qui fundum agricolæ inopis peregrè profecti dimidio quæstu suscepit, pœnitudine ductus eum non coluerit, duplos fructus præstato.

DE FVRTO. Tit. II.



SI Colonus in fodiendo, ligonem vel sarculum suffuratus, posteà detectus fuerit, exhibeat eius nomine diurnam siliquam vnam, hoc est pholas[a] duodecim. Itidem & qui aut messis tempore falcem, aut frondationis, putatoriam falcem aut securim, ac cætera id genus surripuerit. Si quis tintinabulum ex boue vel oue aut quacunque alia animante sustulerit, re cognita tanquam fur flagris cæditor. Sed & si animal ipsum è medio sublatum sit, illud tintinabuli fur exhibeto. Si deprehensus fuerit pomorum custos in eo ipso vbi custodiæ præpositus est loco furans, & mercede sua fraudator, & vehementer cæditor. Si deprehensus fuerit pastor oues clam domino mulgens ac distrahens, cæsus mercede fraudator. Si quis alienum culmum aut stipulam interuertens repertus fuerit, in duplum damnator. Si quis boue aut asino subtracto conuictus fuerit, flagris ictus dupla eum reddat quantitate, quin & omnem eius operam. Si cum quis bouem ex armento surripere vellet, abactum armentum feris prædæ fuerit, excæcator. Qui messis tempore alienum fundum ingressus fuerit granorum aut leguminum subtrahendorum causa, flagris castigatus tunica spoliator. Vineas vel hortos edendorum fructuum causa ingressi, indemnes sunto. Sin deprehensi in furto fuerint, verberati tunicis exuuntor. Qui aratrum, vomerem aut iugum furto inuolant, pro dierum numero, ex quo furtum factum est, mulctantor, computatis in singulos dies pholis duodecim. Qui alienum plaustrum furantur aut comburunt, dupla illud quantitate reddunto.

Qui in latifundiis in ipso furto deprehenduntur, verberibus cæsi indemnitatem ei cuius res subtracta est, præstanto. Sin secundò deprehendantur, verberatis mulcta in duplum irrigator. Si tertiò, luminibus spoliantor. Qui noctu ex dolio vinum aut oleum surripit, furum pœna tenetor.

a *Mensuræ genus.*

DE AGELLARIIS. Tit. III.



SI Agellarius[b] bouem acceptum amiserit, nec id eodem die quo bos est perditus, domino renuntiârit, se quidem eo vsque bouem vidisse, sed iam quid eo factum sit ignorare, ne indemnis esto. Sin verò renuntiârit, esto indemnis. Si agellarius bouem manè acceptum ab agricola cum armento reliquo miscuerit, & bouem à lupo deuorari contigerit, casum domino significet, & se culpa liberet

b *Eum videtur intelligere hoc nomine, cui pecorum custodia committitur, vt subulcum aut bubulcum.*

beret. Si cum agellarius manè à colonis bouẽ suscepisset, bos posteà à reliquo boũ cœtu digressus in agros aut vineas prędam fecerit, prædam quidem vniuersam agellarius dato, mercede verò propria ne fraudator. Si cum agellarius bouem à colono accepisset, is apparere desierit, iuret per nomen Domini nihil à se malignè actum, nec se iacturæ bouis conscium, atque ita indemnis esto. Si matutino tempore bouem à colono agellarius non oblæsum sed incolumem ac integrum acceperit, húncque postmodum oblædi aut excæcari contigerit, ita demum culpa carebit & innocuus iudicabitur, si iurârit ea in re nihil se perperam egisse. Si posteà quàm agellarius de iactura, oblęsione aut excæcatione boum iurârit, conuictus posteà duobus aut tribus spectatæ fidei testibus, periurij fuerit, bouis damno præstito lingua præciditor. Si agellarius ligno quod præ manibus haberet, bouem necârit, læserit, vel obcæcârit, nequaquam immunis damno erit, sed damnum pręstato. Sin lapide duntaxat colliserit, indemnis esto.

DE PRÆDA ANIMANTIVM.

TITVLVS IIII.



SI QVIS Bouem in vinea, vel agro, vel alio quouis loco prædam facientem ac damnum dantem offenderit, neque eũ domino loci tradiderit, vt is damnum sibi datum præstari postulet, sed eum aut interfecerit aut læserit, bouem dato pro boue, aut pro asino asinum. Pecus meum cum pascens in agro tuo offendisses [a], abegisti, vnde abortum fecit. Si percussisti, aut consultò vehementiùs egisti, Aquilia teneris. Qui enim alienum pecus in agro suo pascens deprehendit, neque illud includere, neque vehemẽtiùs agere debet, aliter quàm suum: cùm aduersus dominum actionem habeat, de dãno quod probabile est à pecore datum. Si prædans bos inuentus fuerit, nec qui inuenit eum domino tradiderit, sed aut oculum ei effoderit, aut aures caudámve resecuerit, non eum accipiet eius dominus, sed pro eo integrum alium ac illæsum.

[a] l. Quintus Mutius. cum lege sequen. ad leg. Aquil.

Si quis suem, ouem aut canem in præda deprehenderit, ac primùm quidem eum reddiderit, deinde & cum iterum reddidisset ac denuntiâsset, tertiò caudam præciderit, aut sagitta petierit, indemnis esto. Si bos vineam vel hortum ingressus, in vineæ foueam vel horti sepem inciderit, ac perierit, indemnis esto horti ac vineæ dominus. Si bos vel asinus dum vineam vel hortum subire vellet, palis ipsius sepis impactus fuerit, nihil damni ferat vineæ hortíve dominus. Si quis post vnam atque alterã prædę solutionem animal interemerit, nec domino suo tradiderit, vt prædam ac damnum illatum sibi consequatur, dato quod interemit. Si colonus bouem alienum suam vineam deprædantem ac vastantem deprehenderit, neque id ipsius domino significârit, sed conatus persequi peremerit, lęserit, aut vt ad palũ adigeretur, effecerit, eum solidum rependito.

DE

DE DAMNO. Tit. v.



I Quis parte sua demessa, eorum verò qui sibi proximi sunt partibus non demessis, eò iumenta sua vel pecora induxerit, & vicinis damnum dederint, flagrorum ictibus xxx cæditor, ac indemnitatem ei qui læsus est, præstato. Si quis itidem vindemiata sua vinea, necdum partibus nonnullis vindemiatis, eò iumẽta sua adduxerit, vnde proximis dãnum sit illatum, ictibus xxx percutitor, ac indemnem eum qui læsus est præstato. Qui in aliena terra [a] pascit pecora, Aquilia tenetur, hoc est in duplum. Qui frumenti aut vini minores æquo mensuras [b] habent, publicè & iam olim probatas mensuras corrumpentes, vehementer verberentur, tanquam nefarij & impij homines.

a *Fa.l. qui seruandarum. in fin. de præscrip. verb.*

b *De hac re l. pen. ad leg. Cornel. de fal. l. annonam. de extr. crimin. l. in dardanarios. de pœ.*

DE CÆDIBVS ANIMANTIVM. Titvlvs vi.



I Quis ligna cædens in querceto, per inaduertẽtiam, bouem, asinum vel quodlibet aliud animans interemerit, animam pro anima dato. Si quis frondes [c] ex arbore putans, præter voluntatem ac inscius securim abiecerit, & alienum pecus occiderit, illud reddito. Si quis ad reducendum bouem suum vel asinum, eum persequens, cum eo simul & alia pecora persecutus fuerit, neque vnà cum suo collegerit, sed perierit aut à lupo quippiam voratum fuerit, bouem aut asinum ei parem, domino restituito. Quòd si renuntiarit, loco indicato causatus non potuisse se eum assequi, indemnis permaneto. Si quis bouem in sylua repertum peremerit, & carnes sustulerit, manu truncator. Si quis rete [d] quo tempore fruges colliguntur, tetenderit, & in illud collapsus porcus dominorum interierit, indemnis esto retis dominus.

c *l. si putator. ad leg. Aquil.*

d *l. qui foueas. cum l. seq. eod.*

DE DVORVM ANIMANTIVM PVGNA, SEV COMMISSIONE AC DAMNO.

SI animal vnum, alterum prouocârit, incitârit & commouerit, ac inde aut vnum ex duobus animantibus perierit, aut damnum alij cuiquam allatum fuerit, ei qui fortè quid rerum suarum ex animalium pugna perdiderit, obligatur hoc nomine dominus animalis [e] priùs aggressi. Si animans cum altero animanti commiserit [f], si quidem id perierit, quod prius aggressum erat, cessat actio. Sin alterum interemptum fuerit, experitur eius dominus cum eo qui animal habuit quod alterum prouocauit, & vel pro illo, priùs aggressum animal accipit, vel quouis alio modo ad sarciendam noxam æstimationem suscipit, quæ dato damno respondeat. Si cõmittentibus duobus canibus, vnius dominus alterum gladio, baculo aut lapide petie-

e *l. j. §. cum arietes. si quad. paup. fecisse dicat.*

f *Ead. l. & §.*

rit, vnde vitium ei contigerit, indemnem eius dominum præstato. Si quis valentem canem habens, qui in eos qui secum vnà pascuntur insurgat, eum in imbecilliorem canem concitârit, atque hunc lædi aut interire contigerit, indemnem eius dominum facito, acceptis flagrorum ictibus duodecim. Si quis pascentem canem interfecerit, nec id fassus fuerit, sed propterea ouili feræ insidiatæ sint, ac tandem canis interfector cognitus fuerit, is omnem gregis interitum, vnà etiam cum canis pretio præstato. Qui canem gregarium occasione veneni extinxerit, centum verberum ictus perferto, ac duplum canis pretium domino refundito. Sed & si gregis acciderit interitus, vniuersum damnum canis interfector præstato, vt qui necis canis, qui gregem custodiebat, autor fuerit. Expendatur insuper, & testibus adhibitis disquiratur canis natura. Ac si venator erat, irrogetur ea quã diximus pœna. Sin vulgaris & abiectus erat canis, fustibus ille castigatus solum canis pretium in duplum restituito. Qui alienum extinguit iumentum, idque quacunque ratione, indemnem eius dominum efficito.

DE ARBORIBVS.

TITVLVS VII.



SI A' quoquam arbor [a] in loco indiuiso enutrita fuerit, & posteà facta partitione in alterius portionem excurrerit, is ne arboris habeto potestatẽ ac dominium, sed ille duntaxat qui eã enutriuit. Quòd si proclamat ac queritur loci dominus sibi eã officere, pro hac alterã dato ei qui enutriuit arborem, & hanc sibi habeto. Si arbor in parte quadam agri statuta sit, si quidem proximus est hortus [b] qui ea arbore inumbretur, & opacetur, ramos eius dominus præcîdat. Sin non est conterminus hortus, ramos eius ne præcidito. Si quis absque iudicis autoritate litem habens cum aliquo, vitem aut aliam quamuis arborem [c] cædat, manu spoliator. Qui alienas vites fructiferas cędit aut reuellit, mulctatus manu truncator. Qui arbores [d] & vites cæciderint, tanquam latrones puniuntur. Qui arbores & maximè vites cędunt, vt latrones puniuntur. Arboris autem appellatione [e] continetur & vitis, hedera, arundo, item & salix. Cæterùm nulla propriè arbor dicitur, quæ radices non conceperit, neque etiam cuius radices iam exaruerint, etsi adhuc terra contineatur. Quæ verò à radicibus subuersa etiam nunc reponi ac plantari potest, rectè arbor dicitur: item & oleæ stirpes, siue iam radices egerint, siue nondum. Si plures [f] ergò hæc cæciderint, cum singulis in solidum agitur. Obserua insuper non eum tantùm [g] qui suis manibus cædit hac actione teneri, sed & eum qui cuiquam imperat aut permittit, dupli condemnari.

a Huc vid. tit. de arb. cæd. facit l. si plures. in fi. arb. fur. cæs.

b Vide l. j. sub fi. eod.

c Qua actione teneatur & pœna plectatur, vide l. j. ij. & tot. tit. arb. furt. cæs.

d l. ij. eodem.

e l. iij. eodem.

f l. si plures. in princ.

g l. furtim. §. siue autem.

DE

DE INCENDIO.

TITVLVS VIII.



I QVIS Ignem [a] in arbores aut ſtipulam in agro immiſerit, contigerítque ita euagari ignem, vt ædeis combuſſerit, aut fructiferos agros, non damnatur, niſi id die ventoſo fecerit. Qui in alienam ſyluam [b] ignem immittit, vel eius excîdit arbores, notator eius manus, ac damno duplo mulctator. Qui ſepem vitis incenderit, verberibus affecto manus notator, ac ipſe duplo damno mulctator. Qui in aream [c] vel frugum aceruum ignem iniiciunt, vlciſcendi inimicos cauſa, igni cremantor. Qui in ædeis quibus palea aut fœnum conditur, ignem immiſerint, iis manus amputator.

a l. qui occîdit. §. pen. ad leg. Aquil.

b l. j. C. eodem.

c l. capitalium. §. incendiarŭ.

DE SERVIS.

TIT. IX.



I QVIS Seruus bouem, arietem aut ſuem in nemore occiderit, huius dominus eum pro noxa [d] dabit. Si quis ſeruus noctu furari volens, è ſtabulo pecora abegerit, eáque feris prædæ expoſita fuerint, furca vt ſicarius figatur. Si cuiuſpiam ſeruus ſępius noctu furari ſit ſolitus, aut gregem armentúmve abigere, de iactura tenebitur dominus, vt qui improbum ac furacem ſeruum ſciret. Qui ſeruo paſcenda iumenta, inſcio eius domino tradit, & hac occaſione ſeruus ea aut vendiderit, aut quoquo modo vitiârit ac læſerit, indemnis eſto & ſeruus & dominus. Si ſciente domino [e], ſeruus quoquo modo ſubtracta pecora ederit aut perdiderit, ſerui dominus indemnitatem domino pecorum præſtato.

d Aut litis æſtimationem. l. miles. §. decem. de re iudica. Inſti. de nox. act. in princip.

e l. in lege. ij. cum l. ſeq. ad leg. Aquil.

DE NOVIS OPERIBVS.

TITVLVS X.



I Colonus domum [f] ædificârit, aut vineam in alieno ſolo tenui ac ſterili plantârit, ac interiecto tempore loci dominus redierit, vel id aduerterit, non ei licitum eſt ædeis aut vineam à radicibus ſubuertere, ſed tantundem loci vbicunque voluerit feret. Quòd ſi renuerit is qui in alieno ædificauit vel plantauit, locum pro eo alium domino dare, iam liberum eſto loci domino vites auellere, ac domum diruere. Qui in alieno [g] ſolo ædificat, plantat, aut ſeminat, quídve aliud facit, dominio excidat, ne receptis quidem ſumptibus

f Fa. huc l. adeò. §. ex diuerſo. de acquirē. rer. domin. §. ex diuerſo. Inſtit. de rer. diuiſione.

g d. §. ex diuerſo.

quos eam in rē fecerit. Qui in alieno solo plantas inserit, vnà cum solo & plantas [a] amittit. Qui alienas ædeis non expectato iudicis decreto, solo æquant, aut sepes vitiant & infringunt, tanquam sua sepibus obducturi vel extructuri, manu truncantor. Si quis in alieno[b] solo ex sua materia ædeis cōstruxerit, soli dominus, eius quoque ædificij dominium nanciscetur: propter regulā qua dicitur, id quod inædificatur, solo cedere. Itaque vnà cum materia dominium quoque & proprietatem rei perpetuò sibi vendicare poterit dominus, sic vt qui ædeis extruxit, non posit de materiæ æstimatione experiri.

a Hoc cum distinctione intellige, quæ apponitur d.l.adeò. §.pen. & vlt.

b d. l.adeò. §.cum in suo. & §. ex diuerso. §.in suo. & §.ex diuerso. Inst.de rer. diuisione.

DE PISTRINIS.

SI quis ruri agens [c], locum communem alioqui, cum perspexisset extruendo pistrino accommodatissimum, eum occupârit, ac postea loci illius vniuersitas cum pistrini domino queratur & expostulet, quòd communem locum vt proprium occupârit, ita demum commune illis cum eo qui primus est fabricatus, pistrinum erit, si omnes qui ei debentur reditus ac impensas præstiterint. Si diuiso prædij alicuius solo, inuenerit quis in portione quæ sibi cesit, opportunum construendo pistrino locum, curarítque vt in eo construeretur, non possunt cæterarum portionum coloni de eo pistrino queri. Si aqua è pistrino defluens agros aut vineas desertas ac infœcundas reddat, horum indemnitatem præstet pistrini dominus. Sin minus, cesset omnis in eum actio. Si nolint agrorum domini per eos aquam labi, id eis esto liberum.

c Ad hunc tit. fac. l. pen. quod cuiusque vni. no. & to. ille ti.



FINIS LEGVM GEORGICARVM.

LEGES VARIÆ.

DE DIGNITATIBVS. Tit. I.



ENATORES [a] Ij ſunt accipiendi qui à patriciis vſque ad illuſtres viros deſcendunt. Libertorum [b] filij ad ſenatorum faſtigium poſſunt prouehi. Soli enim libertini [c] prohibẽtur. Prætor populi [d] dicitur, & præfectus vigilum, quòd ad incendia arcenda primùm inſtitutus fuerit. Cognoſcit enim de incendiariis, effractoribus, furibus & receptatoribus. Atrociores tamen & famoſas perſonas præfecto vrbis remittit. Cæterùm prætor dux exercitus dicitur. Sine vllo diſcrimine [e] tã ex plebeiis quàm patriciis quæſtores creantur. Hi epiſtolas ac libros principi recitant, & in ſenatu ſententiã dicunt, ac principalia iuſſa legunt. Eſtque inter omnes ferè magiſtratus antiquiſsima huius origo. Ac nonnulli quidem horum in prouincias conquirendæ & cogendæ pecuniæ [f] cauſa exibant. Alij apud principem præfulgentes permanebant. Iidem & quęſtores quaſi ἐρευνηταὶ hoc eſt inquiſitores dicti ſunt, quòd eam ob rem conſtituti ſint vt [g] in regia ciuitate pauperes inquirant ac perſcrutentur, & iuniores quidem qui corpore ſunt valenti, mancipibus, holitoribus & aliis id genus artificibus tradant: imbecilles verò ac ſenes ſinant: læſis ac iniuria affectis ius reddi procurent, & iis qui auxilio egent, operam ſuam accommodent, & peregrinos in ſua loca remittant. Curator ſeu procurator principis eſt, qui nunc λογοθέτης [h] Græco nomine hoc eſt rationalis dicitur. Cubiculo [i] præpoſiti eandem planè poteſtatem habent, quam & prætorio vel vrbi præfecti, aut magiſtri militũ, idq́; ſiue in honoribus principi deferendis, ſiue priuatis celebrãdis ſolennitatibus, ac deniq; in quibuſcunque aliis muneribus: vt iuxta gradũ honoris quem ipſis tempus ætáſq; concedit, præferantur. Vrbi præfecti [k], cæteris præſident, atque hos, ſenatores ſubſequuntur. Nuptæ [l] clariſsimis perſonis fœminæ, ipſæ quoq; clariſsimæ ſunt, non item ſenatorũ filiæ. Et filiæ clariſsimã dignitatem parẽs tribuit, donec plebeiis nuptiis fuerit copulata. Et fœminæ clariſsimæ habentur, quanquam à clariſsimis viris ſeparatæ ſint, niſi aliis inferioris dignitatis nupſerint.

a l. vl. de ſen. Illuſtres nonnulli eſſe dicunt protoſpatharios, & qui hos dignitate antecellunt.
b l. libertorum. de dignit. lib. xij. C.
c l. vnic. C. ad legem Viſcel.
d Tribunum plebis ?i detur intelligere. vide l. j. & l. iij. §. cognoſcit. de off. præfect. vig.
e l. vnic. de off. quæſt.
f l. ij. §. deinde cũ ærarium. de orig. iur.
g Nouell. de quæſt. colla. vj.
h Vel λογιστής. l. iij. C. de mo. mulct. Eſt & titu. ſpecialis ff. de off. proc. Cæſ. vel ration.
i l. j. de præp. ſa. cub. lib. xij. C.
k l. iij. C. de offic. præfect. vrb.
l l. fœminæ. de ſenat.

DE VARIIS REGVLIS. Tit. II.



EGVLA [m] Eſt breuis rei narratio, & quaſi coniunctio, quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum, nec rem ſubiectam indicat. Cæterùm regula ex iure quod eſt, non item ius ex regulis ſumitur.

Quoties per eum [n] cuius intereſt conditionem impleri, fit quò

m l. j. de regul. iur.
n l. In iure ciuil. eod.

minùs à me impleatur, perinde habetur ac si impleta fuisset. Quod quidem ad libertates & legata, & ad hæredum institutiones, & stipulationes quoque perducitur.

DE FRAVDE.

QVOTIES[a] de fraude disputatur, non quid nō habuerit actor, sed quid per aduersarium habere non potuit, consideramus. In fraudis[b] interpretatione non euentus duntaxat, sed consilium quoque spectatur. Qui iure[c] publico vtitur, haud sanè fallitur. Qui scit[d] & consentit, non fraudatur. Quod ex rebus[e] meis fit meum est, vt si quis ex mea lana vestem fecerit. Quod verò meis nummis emitur[f], non protinus meum est. Nihil peti[g] potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolui posit, neque priùs quàm præterierit tempus solutioni præstitutum. Non videtur[h] sine liberis decessisse qui prægnantem vxorem reliquit. Imperitia[i] culpæ annumeratur. Absentia[k] eius qui reip. causa abest, neque ei neque alij damnosa est. Restitutionis[l] verbo & fructus continentur, etsi specialiter hoc non sit expressum. Et in stipulationibus[m], & in cæteris contractibus, si non apparet quid inter partes actum est, id sequimur quod in regione in qua id actum est frequentatur. Quòd si & hoc incertum sit aut varium, tum sanè ad id quod minimum est redigenda summa est. Quæ ab initio[n] stabilia sunt & vtiliter constituta, ex iis quæ postea superueniunt non infirmantur. Nihil bonæ fidei[o] tam contrarium est, quàm vis atque metus. Qui ex re commodum[p] percipit, eiusdem damnum agnoscit. Quoties[q] sine captione & detrimento fieri quippiam ac inuestigari non potest, eligimus quod minimum habeat iniquitatis. Quæ ad speciem[r] directa sunt, generalibus sunt potiora. Semper generalibus[s] specialia insunt. Qui ad rem recuperandā[t], actionem habet, rem ipsam habere videtur. Quod ab initio[v] non subsistit, nec longo temporis tractu firmatur. Qui in dominium[x] vel ius alterius succedit, iure eius vti debet. Qui in vniuersum[y] ius succedit, loco hæredis habetur. Successor in omnibus[z] locum hæredis obtinet. Nemo ex suo dolo[a] meliorem suam conditionem facit. Nullum crimen[b] patitur is, qui cum prohibere non potest non prohibet. Quod iussu[c] meo alteri datum fuerit, id ego videor accipere. Frustra illud stipulamur[d], quod nullius esse potest. Id enim vt alicuius fiat, nulla obligatio valet efficere. Qui ex culpa[e] sua damnum sentit, damnum sentire non videtur. Haud sanè[f] æquum est locupletiorem aliquem cum alterius detrimento & iniuria fieri. Quod adhuc[g] pendet, non est pro eo quasi sit. Quicquid calore[h] iracundiæ vel fit vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si quis in eo perseuerārit. Neque pignus, neque depositum, neque precarium[i], neque emptio, neque locatio suæ rei consistere potest. Singulis[k] ac priuatis hominibus non ea sunt licita, quæ per magistratus publicè posint fieri. Omnis[l] legit

a l. generaliter. eod.
b l. fraudis.
c l. iniuriarum. j. §. j. de iniur.
d l. nemo videtur. de regul. iur.
e l. de eo. §. si quis. ad exhibend. l. solum. in fi. de rei vendic.
f Vt apparet l. pen. C. si quis alt. vel sib.
g l. nihil peti. de regu. iuris.
h l. si quis prægnantem. eod.
i l. imperitia.
k l. absentia.
l l. in cōdemnatione. §. j.
m l. semper in stipul.
n l. in ambiguis. §. nō est nouum. c. non factum legitimè. eodem. in vj.
o l. iij. §. vlt. pro soc. l. nihil consensui. de regul. iuris.
p l. secundū naturā. eo. c. q. sentit. in vj.
q l. quoties nihil.
r l. in toto iure. c. generi. in vj.
s l. semper general.
t l. qui actionē. eo. & l. id apud. de ver. sig.
v l. quod initio. & l. pe. de reg. iur. l. non firmatur. in vj. eod.
x l. qui in ius.
y l. in pari. in fi.
z l. qui per successionem.
a l. nō fraudātur. ī fi.
b l. nullum crimen.
c l. quod iussu.
d l. quod nullius.
e l. quod qs ex culpa.
f l. iure naturæ. l. nā hoc natura. de condi. indeb.
g l. is damnum. in fi. de regu. iur.
h l. quicquid calore.
i l. neque pignus.
k l. non est singulis.
l l. omnis definitio.

legitima regula infirma est ac periculosa, facilè siquidem subuerti posſit. Non videtur [a] quisquam id capere, quod alij restituere compellitur. Socij mei socius [b], meus socius non est.

a *l. non videtur quisquam.*
b *l. consilij. §. vlt.*

SCHOL.

Coierant Petrus ac Paulus in negotiatione societatem. Postea Paulus Titium quoque socium aſſumpſit, inscio inconsultóque Petro. Quæstionis est, an & Titius Petri erit socius. Respondet Iureconsultus, nequaquam. Nam [c] socij mei socius, meus socius non est. Et meritò sané. Cùm enim consensu ac placito societas & contrahatur & constituatur, quî Titium dixerimus Petri socium fore, qui ei admittẽdo aſſensum suũ & voluntatem non accommodârit? Itaque Titius solius Pauli erit socius, ac si quid ex societate Titius fuerit consecutus, id ei cum Paulo qui eum in societatem admisit, commune erit. Qui verò hunc admisit Paulus, à Petro actione pro socio conuenietur, cùm eum par sit quod quæsierit societati adseruare. Ac licet in plerisque Titius societatem & res quæ in ea sunt, sua industria auxerit, postcà verò læserit, experitur tamen Petrus cum Paulo, cogitque eum damnum resarcire, quod eorum societati à Titio inuectum est, neque potest Paulus conferre & compensare damnum [d] cum compendio quod Titius fecerit. In eo enim est lapsus quòd Titium absq; Petri consilio cum quo primùm societatem inierat, admiserit.

c *l. qui admittitur. & nam socij, cum iij. aut iiij. seq. pro soc.*
d *l. non ob eam rem. cum l. & ideo. seq. eodem.*

Furiosus [e], vel is cui bonis interdictum est, nullam habet voluntatem. Quæcunque iure [f] contrahuntur, contrario iure pereunt. Quæ contra [g] iuris præscripta, recepta sunt, non debent in exemplum & consequentiam trahi. Ferè in omnibus [h] pœnalibus iudiciis & ætati & imprudentiæ succurrimus. Pœnalia [i] iudicia semel accepta in hæredes transmittuntur. In ambiguis [k], pro dote respõdemus. Quæ personis [l] conferuntur beneficia, his deficientibus ipsa quoque deficiunt. Quæ verò actionibus insunt, in omnes transeunt. Quæ rebus [m] ipsis conceduntur priuilegia, non etiam personis, ad heredes quoque transeunt. Ea quę [n] raro accidunt, non temere in agendis negotiis computamus. Cum principalis [o] causa non consistit, plerunque ne ea quidem quę consequuntur, locum habent. Consilij non fraudulenti [p] nulla obligatio est. Quòd si dolus & calliditas interceſſerit, de dolo actio competit. Qui tacet [q] non vtiq; fateri videtur, sed tamen non negat. Quæ dubitationis [r] tollendæ causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt. Difficilè [s] quidem, at præsertim vbi ius desideratur, consuetudinem immutamus. Nemo [t] sibi datam coërcionis ac animaduertendi in homines facinorosos potestatem, ad alium transfert, aliíve mandat. Fortuitos [v] animalium casus, mortésque quæ sine culpa accidunt, item & seruorum qui custodiri non solent fugam, rapinas, tumultum, incendia, aquarum magnitudines, & prædonum impetum nullus præstat.

e *l. furiosi. de reg. iur.*
f *l. omnia quæ iure. eodem.*
g *l. quod contra.*
h *l. ferè in omnibus.*
i *l. pœnalia. & l. omnes.*
k *l. in ambiguis. j.*
l *l. in omnibus causis id obseruatur.*
m *l. priuilegia.*
n *l. ea quæ rarò. eo. l. ex iis. de ll. & sena.*
o *l. cum principalis. & l. nihil dolo. ij. respon. de reg. iuris.*
p *l. consilij.*
q *l. qui tacet.*
r *l. quæ dubitationis.*
s *l. j. & tot tit. C. quæ sit long. consuetudo.*
t *l. nemo potest. j. de reg. iur.*
v *l contractus. in fi. videtur autem locus hic detrũcatus, si sequ. schol. attenderis, quo tota l. contractus. fusius exponitur.*

SCHOL.

Institutum est Iurisconsulto hac regula docere, quænam contractibus ex sua natura & substantia competant, quótque in his, vbi diligentia adhibetur, requirantur, & ex quibus item casibus discrimen ei ac damnum inuehetur, qui contraxit, & de quibus haud quaquam teneatur. Itaque initio statim depositi rationem proponit. Est autem depositum, cum res [x] meas alicui custodiendas dedero. Atque inquit depositarium tum demum re amiſsâ damnari & periculum agnoscere, cum

x *l. j. in princ. deposi.*

in dep

in deposito dolum admiserit: vt si rerum quidem suarum [a] curam gerens eas tuto loco reposuerit ac adseruârit, rem verò depositam neglexerit, vnde & furto eam subtrahi, aut cum esset in loco putrefactioni obnoxio, vitiari aut interire contigerit, condemnatur haud dubiè, & præstat quanti eius qui deposuit interest: nisi fortè in suis quoque rebus curandis supinus erat & negligens depositarius. Tum enim non tenetur. Sibi enim imputet [b], qui eiusmodi homini segni, incurio, ac ne res quidem proprias seruanti, sua crediderit. Similiter tenetur, & qui precario [c] res ab aliquo accepit. Verbi causa: Discessurus aliquò amicum rogaui, vt mihi equum daret, quò eques celeriùs iter conficerem. Obiter autem iucundum quippiam scitúque perpulchrum te docebo. In precario etsi tempus fuerit præfinitum, potest tamen qui rem mihi dedit, eam etiam ante exactum tempus [d] repetere: vt precario est mihi ab amico liber concessus, vt mihi eo frui, eúmque per annum integrum legere liceret: potest qui mihi librum concessit, etiam priùs quàm annus effluxerit, agere ad eum recipiendum. Estque cognitu elegans ac scitum. At in cõmodato [e] si tempus præscriptum fuerit, non potest qui rem dedit commodato, eam ante expletũ tẽpus reposcere. Posteaquàm ergò docuit Iureconsultus, in deposito & precario (quod Græci τὸ κατὰ παράκλησιν appellãt) ex dolo tantùm eum qui contraxerit, condemnari, transit ad mandatum. Est autem mandatum, si cui mandâro [f], vt vel mihi prædium emeret, vel nomine meo litigaret, vel deniq; aliquod aliud negotiũ meum gereret. item & ad contractum cõmodati vel eius quod vtendum datur. Est autẽ commodatum [g], si amicum rogâro, vt vel seruum suum vel librum vel vas argenteum mihi vtendũ det ac præbeat. Et ad contractũ venditionis, locationis, dotis dationis, & pignoris (Hîc pignus [h] accipe, quod ob nũmos mutuò acceptos datur) item & tutelæ. Est autem tutela, cum pater qui liberos haberet impuberes, nullo his relicto tutore decesserit: tum sanè huius rei curam iudices [i] suscipiunt, nactíque prudentẽ aliquem virum, quíque rebus gerendis sit accommodus, hunc pupillis tutorem dant. Ac postremò ad contractum administrationis rerum alienarum, Romani negotiorum gestorum appellant. Est autem istiusmodi [k]. Cum ageret peregre Petrus, ego qui eius essem amicus, me eius negotiis gerendis interposui. Progressus ergò Iurisconsultus, & à precarij ac depositi tractatione ad reliquos delapsus iam memoratos contractus, vtpote mãdatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, inęstimatam dotem, tutelam & negotia gesta, inquit in his non tantùm de dolo teneri & damnari eum qui contraxerit, sed & si culpam admiserit. Cogitur enim in his etiam diligentiam adhibere, verùm non qualem diligentissimus quisque, sed quantam ipse qui cõuenitur, rebus suis [l] adhibuisset. Idque iure sanè optimo. Hîc enim & vterque contrahentium commodi quippiam consequitur. In deposito autem solus rei dominus commodum sentit, non etiam depositarius & rei custos. Nam is nullum ex re percipit emolumentum, nisi & potius oneratur, vt qui curæ onus vtpote rei alienæ custodiam in se susceperit. Cum igitur dixisset in his etiam culpam præstari, sed non etiam diligentiam & summam curam, qualem scilicet vir diligentissimus exhiberet, subiungit: in his quidem & diligentiam. Quinam autem sint huiusmodi contractus, in quibus qui contraxit non dolum nec culpam præstare, sed diligentiam potiùs eam adhibere compellitur, quæ à diligentissimo quoque adhiberetur, eos ipse tibi proponam, & à cæteris distinguam. Dolum & culpam recipiunt mandatum, commodatum, & tutela: Quibus in tribus & accuratissima diligentia præstanda est. Tutor [m] etenim qui rebus pupilli non eam adhibet diligentiam, quam suis rebus solet diligens paterfamilias, condemnatur. Ita quoque is tenetur, cui est mandata [n] rerum alienarum administratio. Nam & huic si mandatum erit, vt meo nomine litem persequatur, vel rem quamlibet comparet, neque absolutissimam diligentiã præstiterit, quãti mea interest damnabitur. Itidem & qui meum vtendum [o] accepit, debet eandem exhibere diligentiam. Societas autem & rerum communio non exactissimam [p], sed mediam quandam exigit diligentiam, hoc est qualem & suis rebus adhibere solet socius. Eandem exigit & venditio, locatio, dos, & gesta negotia, & alia id genus: verùm hæc quidem quæ natura dictos contractus consequuntur, tum demum obtinent ac valida sunt, cûm non ab initio, quo

temp

a *l. quod Nerua. & l. j. §. illud non probandum. depo.*

b *Inst. quib. modis re contra. oblig. §. pen.*

c *l. ij. in princip. & l. quæsitum. §. cũ quoque. de precar.*

d *l. j. & ij. §. j. eod.*

e *l. in commodato. §. sicut. commod. De discrimine commodati & precarij, vide Accurs. in d. l. contractus. de regu. iuris.*

f *l. ij. mand.*

g *Quid sit discriminis inter commodatum & vtendũ datum, habes l. j. § j. commod.*

h *§. vlt. Inst. quib. mo. re contr. oblig.*

i *Inst. de Attil. tuto. in princip.*

k *l. j. & ij. de neg. ge.*

l *d. l. quod Nerua. depositi.*

m *l. quicquid. C. arbit. tut.*

n *l. diligenter. mand.*

o *l. si vt certo. §. vsque adeo. commod.*

p *Inst. de soc. §. vlt.*

tempore primùm contractus inter aliquos inibatur, aliud quippiam conuenerit, quod naturam contractus vel augeat vel minuat. Tum enim id quod incontinenti & simul cum celebratione contractus pactum conuentum fuerit, contractus naturam immutat & [a] transformat. Verbi gratia, quidnam est quod dicitur? In precario diximus eum qui contraxit tum teneri, cum dolum fecerit, & similiter in deposito. Horum siquidem contractuum eiusmodi est natura. Ac si quidem nihil aliud inter contrahentes conuenerit, quo tempore contrahunt, hæc seruabitur contractuum natura. Sed si fortè cum formaretur ab initio ac iniretur contractus, protinus & antequam perageretur, conuenerit is qui depositum dabat vel precarium, vt sibi depositarius teneretur etiam de non adhibita in deposito aut precario media diligētia, vel etiam de fortuitis [b], si nempe incendio periret, aut à prædonibus inuolaretur, vt is rei pretium penderet, valet certè quod est conuentum, ac contractus auget naturam. Vbi enim qui contraxit, dolum duntaxat præstare teneretur, iam etiam de fortuitis casibus tenetur. Rursum si conuenerit ab initio, ne is qui precario vel depositi nomine rem accepit, precarij depositíve actione [c] conueniri possit, valet eiusmodi conuentio. Itaque etsi eius dolo qui accepit, res perierit, haud quaquam tenebitur, nec rei æstimationem præstabit. Per pactum enim incontinenti appositum, quo illud conuenerat ne actio ex contractu moueretur, imminuta est contractus natura; atque ita vbi priùs contrahentem ex admisso dolo damnabat, iam indemnem eum seruat, etiam commisso dolo. Qui enim se dixit ex deposito vel precario non acturum, nihil vtique aliud dixisse videtur, quàm non iri damnatum eum cum quo contraxit, quamlibet dolum admiserit. Nec verò solùm in his duobus qui bonæ fidei sunt contractibus, deposito inquam & precario, quæ ab initio conuenere naturas permutant contractuum, ac eos tum augent tum minuunt, sed & in reliquis suprà dictis qui & ipsi bonæ fidei sunt: vt commodato vel vtendo dato, mādato, societate, pignore, ac locatione. Nam & in his si initio nominatim conuenerit, vt fortuita quoque, putà incendium aut terræ motus, ab eo qui contraxit præstentur, valet pactum, augeturque natura contractus. Sicut & è diuerso, si vt de solo dolo teneretur [d], conuenit, id ratum est, ac minuitur contractus natura. Vbi enim in commodato & mandato summam diligentiam præstari oportuerat, solus præstabitur dolus. Ac vbi in societate & locatione media postulabatur diligentia, de dolo tantùm actio instituetur. Tunc autem immutatur bonæ fidei contractuum natura, & pactis conuentis vel augetur vel minuitur, cum pactum incontinenti & simul cum ipsa contractuum constitutione, hoc est quo tempore primùm haberi ac formari incipit contractus, appositum fuerit. Si enim iam constitutus fuerit atque absolutus contractus, puta precarij vel depositi, eóque peracto [e] conuenerit, vt depositarius etiam de fortuitis teneatur, non mutatur contractus natura, neque transformatur actio. Et iure sané. Iam enim contractus iuxta suam naturam vsquequaque peractus est & absolutus, nec iam ex eo tempore potest pactum vllum post consummatum contractum, naturæ contractus vniri, ac quodam modo conformari, eiusque naturam permutare. Itaque cum hoc fieri non possit, manet nuda pactio, quæ iam habito contractu augendi contractus inita fuerat, quæ exceptionem non insitam contractui largiatur. Nudum [f] enim pactum neque actionem parit, neque contractus naturam immutat, si non incontinenti sit appositum, sed tamen absolutum, exceptionem largitur, quæ non inest. Posteà quàm ergò docuit Iureconsultus, quænam ea sint quæ natura contractibus consequentia sunt, & pacta incontinenti apposita contractus naturam immutare, ac vel augere vel minuere: mox subiungit in deposito, etiamsi incontinenti, hoc est cum primùm haberi incipit contractus, conuenerit non pręstari dolum, hoc est ne teneatur depositarius etsi dolum admiserit, non valere eiusmodi pactionem, neque contractus naturam variare. Non valet autem ideò, quòd & turpe sit, & bonis moribus aduersetur, & ad iniuriam legumque contemptum contrahentem inuitet ac excitet. At forsan obiiciat aliquis, videri secum Iurisconsultum pugnare. Nam suprà dixerat posse in ingressu contractuum pactiones adhiberi, quę contractuum naturam vel augeant vel minuant. Quod si ita est, omnino & in contractu depositi, si conuentum esse id dixerimus quod contractus naturam immi-

a *l. iuris gentium. §. quinimo. de pactis.*

b *Ea. l. §. item si quis.*

c *Ead. l. §. sed & si quis.*

d *l. si vt certo. §. interdum. commoda.*

e *d. §. quinimo. l. iurisgentium.*

f *§. sed cū nulla. ea. l.*

nuat, nihil profectò aliud dicemus esse conuentum, quàm vt ne de dolo teneatur depositarius. Quod si dederis, planè sibi ipse aduersatur Iurisconsultus. Verùm non ita est, non est inquam, neque antè dictis contrarium est quod subnectitur. Id autem qua ratione fiat, accipe. In contractu depositi, si quidem initio statim cum initur contractus conueniat, ne qui rei custodiam in se recipit, de dolo [a] teneatur, inualida est ac inutilis pactio. Sin conuenerit, ne aduersus eum depositi agatur; valida & stabilis, etiamsi eandem cum priori vim habeat. Cum enim dixit se de dolo non acturum, visus est dixisse se depositi non acturum. Et vicissim qui dixit se depositi non acturum, dixisse videtur se de dolo non experturum. Sed quia diuersa sunt verba, & hæc quidem specialiter dolum exprimunt, illa non item, inde fit, vt si quis se depositi non acturum dixerit, id valere dicamus, etiamsi dolum fecerit. Sin verò dixerit se dolum non à depositario exacturum, id iam nullius sit momenti, propter regulam illam, qua dicitur, expressa [b] nocere, non expressa non nocere. Vbi ergò de iis egit Iurisconsultus, quæ ex natura simul cum constitutione contractuum in pactionem veniunt, subiungit, nisi quid quod ex natura sit contractus conuentum fuerit, fortuita nequaquam à cōtrahentibus agnosci, neque eos ex his damnari, vt qui iam hac in re etiam accuratissimam excedant diligentiam. Porrò fortuitum est, cùm mihi commodatus seruus absque vlla mea culpa, naturali morte interierit, aut sæpe fugerit: nisi fortè ex iis erat qui custodiri solent. Tunc enim damnatur qui eum vtendum accepit, vt qui eum non custodierit, neque cautionem adhibuerit, ne fugeret. Item rapina & tumultus. Quid enim si commodatum mihi seruum cum mecum ipse haberem, & ad negotium aliquod gerendum essem profectus, de repente facto impetu equites rapuerint: aut exorto tumultu in via ac turbato populo, nonnulli eum subtraxerint: aut in ædibus orto incendio, cum aliis plerisque rebus, seruum quoque amiserim: aut prædones confertim irruentes & res alias meas diripuerint, & in his ipsum etiam seruum: aut aquarum denique ingruente inundatione seruus sit extinctus? Ex his itaque ac aliis id genus fortuitis casibus, qui vtendam rem accepit, haud periclitatur, neque fortuito re perempta quicquam damni sentit: nisi fortè æstimatam [c] eam accepit. Semper enim æstimatio naturam auget contractus, ac si natura sua contractus summam postulat diligentiam, ei periculum etiam fortuitorum casuum adiungit.

a *l. si vnus. §. illud. eo.*

b *l. expressa. de regul. iuris.*

c *l. si vt certo. §. commodatum. commo.*

Qui velle [d] potest, is & nolle potest.

d *l. eius est. de reg. iu.*

SCHOL.

Verbi gratia, Si quis absolutæ ætatis ac sui iuris à quopiam scriptus [e] hæres fuerit, hic quoniam potest, si velit, admittere atque adire hæreditatem, potest vtique & eam nolle ac repudiare. Minor tamen septem annis & generaliter pupillus absque tutoris autoritate, si à quopiam scriptus hæres fuerit, quoniam etsi velit, nisi tutore autore hæreditatem siue damnosa sibi siue quæstuosa visa fuerit, admittere non potest, sequitur vt nec repudiare possit: sed & si repudiârit, sic quoque, vt dictum est, nihil aget. Rursum enim si id tutor iusserit, eam non exacta ratione accipiet. At is demum qui hæreditatem repudiârit, repellitur, qui per se ipse solus eam potest suscipere. Pupillus verò nec hæreditatem admittere, nec aliud quicquam per se ipse agere potest. Simile est & in filiisfamilias, & seruis. Nam & hi absque patribus ac dominis neque admittere neque repudiare hæreditatem possunt, sed nec alium vllum contractum absque dominorum aut patrum autoritate inire possunt.

e *Vide hic Accurs. in d. l.*

Velle [f] non videtur, qui patris aut domini imperio obsequitur. Qui ius [g] habet rei donandæ, is & vendere eam & concedere potest. Non videtur [h] ibi mora fieri, vbi petitio nulla est. Vanus [i] ac ratione iusta carens metus, nullam admittit excusationem.

f *l. velle non creditur. cod.*

g *l. cuius.*

h *l. nulla.*

i *l. vani.*

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE. TIT. III.



IDETVR[a] Etiam ea mulier filium habere, quæ cum moreretur, exciso ventre infantem ediderit. Res abesse videntur, etiam eæ[b], quarum corpus quidem manet, sed forma mutata est. Vnde & si corruptæ redditæ sint, vel transfiguratæ, abesse videntur. Is restituere[c] intelligitur, qui ea reddit actori, quę ille litis contestatæ tẽpore erat habiturus. Restituere[d] videtur, nõ tantùm qui solũ corpus, de quo controuersia est, sed & omnem eius causam conditionémque præstat. Tota siquidem restitutio non corporis tantùm est, sed & iuris. In cæteris[e] quidem filij appellatione etiam nepotes continentur: in tutela[f] verò nullo pacto. Appellatione liberti[g] etiam liberta significatur. Quæ de masculis[h] pronuntiantur, & ad fœminas plerunque porriguntur. Diuortium[i] inter virum & vxorem fieri dicitur. Repudium verò sponsæ remitti videtur: quod & in vxoris personam non absurdè cadit.

a *l. etiam ea. de verb. signific.*
b *l. mulieris. §. j. de verb signific.*
c *l. restituere. j. eod.*
d *l. vlt. §. vlt.*
e *l. liberorum. eod.*
f *§. vlt. Inst. qui testa. tut. da poss.*
g *l. liberti. de ver. sig.*
h *l. pronuntiatio.*
i *l. inter stuprum. §. j. & l. inter diuortium. eod.*

SCHOL.

Variæ sunt causæ[k], propter quas inter virum & vxorem constans matrimonium soluitur. Vt cum vxor conscia iis qui aduersus principem cõspirârint, id viro suo non indicârit, tum sanè viro licet ab ea diuertere, & libellum huiusmodi remittere: Tuas res[l] tibi agito mulier. Illa rursum eandem ob causam talem potest viro libellum mittere. Cæterùm huiusmodi libellus Græcis διαζύγιον, Latinis diuortium appellatur, & si propriè sumatur, in viro tantùm & vxore dicitur. In sponsa verò, si id aut tale quippiam contigerit, & cum velint à se mutuò dirimi ij inter quos de matrimonio actum fuerat, missus fuerit istiusmodi libellus, non vtique propriè sed abusiuè diuortium appellabitur. Sed quorsum eiusmodi verborum obseruatio, dixerit quispiam? Finge ergò tibi talem speciem: Rem hanc meam tibi ea lege dono, vt ea tandiu fruaris, donec inter te & vxorem repudio solutum fuerit matrimonium. Si ergò coniuges distrahi contingat, accedénsque donator rem donatam, vtpote iam soluto matrimonio reuocare conetur, haud sanè à donatario summouebitur, etiamsi is illa pro se proferat, quòd solutum inter virum & vxorem matrimonium, diuortio propriè solui dicatur, & non repudio: at donator stipulatus sit ex repudio reuocari donationem. Rectè inquam rem donatam repetit donator, ea in donatarium defensione fretus, quòd etsi propriè diuortium inter virum & vxorem dicatur, haud tamen absurdè etiam diuortium appelletur. Nam verbi quidem vtriusque significatio discrimen habet subtiliter & artificiosè à Iurisconsultis excogitatum. Quod autem ad vim ac effectum spectat, vtriusque nominis, nullum est discrimen. Ac rectè sanè dixerit hoc fultus capite, & quod donauit recipiet.

k *De quibus supr. sub fin. lib. iiij.*
l *l. ij. de diuort. & repud.*

Etiam bonorum possessio[m] hæreditas dicitur. Verbum pertinere[n] & ea complectitur quę nostri sunt dominij, & quæ quoquo iure possidemus, vel possidere aut tenere speramus. Pupillus[o] nõ dicitur, qui in vtero est. Qui sese in diebus[p] aliquid facturũ dixit, nec quicquã præterea adiecit, in biduo dixisse videtur. Rem alienat[q], & qui eã patitur vsucapi, aut qui non vtendo, eius amisit seruitutẽ. Qui vero acquirendi occasione non vtitur, alienare non intelli-

m *l. hæreditatis appellatione. de verb. sig.*
n *l. verbum illud.*
o *l non est pupillus.*
p *l. inter illam. in fin.*
q *l. alienationis.*

gitur, veluti qui hæreditatem omittit, aut sibi datam optionem non amplectitur. Πιςικὸς (Latinis magister[a]) dicitur, cui res aliquæ sunt concreditæ. Vnde & eum qui idoneus habitus sit cui nauis committatur custodia, πιςικὸν hoc est magistrum nauis[b] appellant.

Erro est[c] pusillus fugitiuus, & ex diuerso fugitiuus magnus erro est. Sed propriè erro definitur, qui frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis, seriùs domum redit.

Repudium illud est quod Græcis διαζύγιον dicitur. Est autem διαζύγιον libellus ille qui dirimendi matrimonij causa[d] mittitur.

Glandis appellatione[e] omnes fructus intelliguntur. Quoties pœnæ capitalis[f] fit mentio, mors vel ciuitatis amissio est intelligenda. Qui partem[g] dicit, nec eius quantitatem exprimit, dimidiam indicat. Si quis rem rectè restitui stipuletur[h], illud innuit, vnà cum fructibus restitui. Qui mortuus[i] editus est, neque natus aut procreatus videtur, nec liberorum numero haberi potest.

SCHOL.

Verbi gratia, patre mortuo editus est puellus testamento preteritus, alio herede instituto. Inquit lex, si quidem viuus editus fuerit, testamentũ rumpere, sin mortuus, nequaquam. Neq; enim vixit ac locutus est, sed tanquam exanime corpus, nec nasci dicitur, nec filius nominatur, quòd spiritus expers ac mortuus prodierit.

Si quis ita[k] dixerit, Si quid filio meo acciderit: eo sermone mors significatur.

SCHOL.

Vt si cui ita dixero: Spondeo tibi viginti dare nummos, si quid filio meo acciderit: & decesserit filius meus, exiguntur à me protinus viginti illi aurei nummi. Itidem & si dixero: si quid filio meo humanitus acciderit. Vtrunque enim hoc loquendi genus mortem significat.

Vidua dicitur, non solùm quæ à viro disiuncta est, sed & quæ nondum virum[l] habuit. Turba[m] dicitur propriè, quæ ex decem aut pluribus constat hominibus. Nam pauciorum nõ turba, sed rixa dicitur. Stipulatio est verborum conceptio[n], quibus respondet quis facturum daturúmve se id quod est interrogatus. Ἐπιβολὴ (Latinè accessio dici potest vel adiudicatio[o]) dicitur, tum cum exiguum aliquod ac tenue prædium vel cohæredibus, vel communicipibus, vel conterminis ac contubernalibus datur. Redemptor litis est qui pecunias contulit[p], vt sibi actio cederetur. Pœna[q] metalli est, damnari aliquem in calcariam vel carbonariam. Dies à septima[r] noctis hora incipit & sequentis noctis hora sexta finitur. Vnde & quod vna harum vigintiquatuor horarum actum fuerit, eodem die actum videtur. Siue priore siue posteriore die cum est bissextus[s], quis natus fuerit, nihil refert. Nam & in minoribus à priore viginti quinque annis computatur, cùm id biduum pro vno die habeatur. Si imposita fuerit conditio[t], nec tamen præfinita, in biduo oportet conditionem impleri. Si conditio eiusmodi data fuerit, ille in diebus hoc faciet, oportet eum intra duos aut decem[v] dies conditionem implere. Verbum in continenti[x] (quod Græ-

a *l. quibus præcipua. eodem.*
b *l. j. §. j. de exer. act.*
c *l. quis sit fugitiuus. §. erronẽ. de ædi. edi.*
d *l. ij. de diuor. & repud. l. inter diuortium. de verb. signi.*
e *l. qui venenum. in fin. eod.*
f *l. licet capitalis.*
g *l. etiam. de vsufruc. l. de ætate. §. si interrogatus. de interrog. act.*
h *l. hæc verba in stipulatione. de verb. signific.*
i *l. qui mortuus. eod.*
k *l. in vulgari. sub fi. eodem.*
l *Quasi sine duitate. l. malum. §. viduam.*
m *l. antepe. §. j. vi bon. rapt.*
n *l. v. §. stipulatio. de verb. oblig.*
o *Eam videtur intelligere quæ fit in tribus illis mixtis iudiciis, vt habes §. quædam. Inst. de act.*
p *Quod notanter vetat l. per diuersas. C. mand. & c. sedes apostolica iuncta glo. ad verbum, liceat. extra de rescr.*
q *l. aut damnum. §. in calcariã. de pœn.*
r *Aliter l. more. de feriis.*
s *l. cum bissextus. de verb sign. l. iij. § minorem. de mino.*
t *d l. inter illam. in fi. de verb. signific.*
v *d. l. inter illam. & l. promissor. §. j. de consti. pecu.*
x *l. vlt. C. de erro. aduoc. De hac eadem voce, vide in c. præterea. ad gl. vlt extra de testib. cog.*

ci

ci παραχρῆμα dicunt) triduum significat. Mediocre tempus [a], decem dies sunt. Breue tempus intelligitur duorum [b] mensium.

Pro anno vtili (ὡρισμένον Græci appellant quasi præfinitum) hodie datur [c] quadriennium. Qui per decem annos aliqua in ciuitate sedes [d] sibi constituit, ibi videtur habere domicilium. Qui completis [e] annis septendecim, iam decimumoctauum est ingressus, is postulare potest.

a Fac. d. l. promissor. §. j.
b ex l. debitoribus. sub fin. de re iudic.
c l. superuacuam. C. de temp. in int. rest.
d l. ij. de inco lib. x. C.
e l. j. § pueritiam. de postulan.

LEX X.

Inter mulctam [f] & pœnam multum interest: Siquidem pœna generale nomen est, omnium scilicet delictorum coercio: mulcta verò specialis peccati iudicium, cuius animaduersio hodie pecuniaria est. Pœna autem non tantùm pecuniaria, verùm & criminis seu capitis irrogari solet. Et mulcta quidem ex arbitrio eius venit, qui mulctam dicit: pœna verò non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio peculiari iure specialiter delicto imposita est.

f l. aliud est fraus. §. j. de verb significa.

SCHOL.

Pœna est punitio illa quæ à lege delictis imposita est ac statuta, siue ea pecuniaria est, siue criminalis seu capitalis, cuius modum non iudex prescribit ac instituit, sed à lege ipsa præscripta est ac præfinita, quamque nec augere potest iudex, nec imminuere. Verbi gratia, Pecuniaria pœna est, quòd manifestarius fur [g] quadruplum reddat, nec manifestus duplum. Vides, vt lex pœnam expresserit ac præfinierit furti manifesti, & nec manifesti. Hanc iudex nec minuere nec augere potest. Criminalis verò seu capitalis pœna est, quæ capiti & corpori eius qui deliquit infligitur, non quidem nummis, sed ipsi corpori: vt cum lex truncationem capitis, nasi, manus, aut alicuius alterius membri precisionem puniendo crimini pręstituit, aut cum infamiam cuipiam ex aliquo delicto irrogat, tum pœna capitalis [h] dicitur, vt quæ capiti, totique hominis corpori inferatur. Mulcta autem semper in nummis est, neque lege est definita. Neque enim legem vllam inuenias, quæ dicat: qui hunc contractum violârit, hoc præstato. Sed mulcta vel à iudice irrogatur ac statuitur, vel ab iis qui placita conuentionésque ineunt. Vt, quid dico? Leges habemus, quibus cautum est, non omnem iudicem [i] mulctam quantam velit posse dicere. Sed alius quidem ex lege facultatem accepit irrogādæ mulctæ tricenorum nummûm: alius quinorum: alius ternorum: alius insuper binorum. Est & qui dicendæ mulctæ prorsus potestatem [k] non habeat. Cùm quis ergò delictum aliquod admiserit, cui lex certam præfinitamque pœnam non statuerit, sed iudici huius rei arbitrium permiserit, mulctat iudex eū qui deliquit, hoc est eum damnat, vt tantam pecuniæ summam pendat. Verùm lege præscriptam quantitatem haud potest excedere. Vt si lex dixerit posse hunc iudicem ad duas tantùm libras mulctam infligere, hic neminem poterit in ampliorem duabus libris summam mulctare. Quòd si maiori quenquam summa mulctârit, id nullius erit momenti. Semper autem in nummis mulctam irrogat, non etiam in vlla re alia, vt membri abscissione, aut infamia. Ac iudices quidem hunc in modum mulctas dicunt. Contrahentes verò hac ratione. Contraxi ego tecum venditionem aut locationem, aut aliquam aliam tecum inij conuentionem. In hac ergò, ex vtriusque nostrum placito, nobis mutuò mulctam quantamlibet dicimus, vt vter nostrûm violare pactionem eam sit conatus, tot alteri libras mulctæ nomine persoluat, quot ambo voluerimus. Itaque pro arbitratu nostro valet atq; exigitur ea mulcta. Estque hæc semper pecuniaria. Neque enim potest quis contrahens pro mulcta stipulari capitale supplicium, vt infamiam, aut membri cuiuslibet detruncationem. Nam etsi hoc fuerit conuentum, non tamen seruabitur aut valebit. His cognitis intelliges facilè caput propositum. Aduerte enim quid dicat. Multum, inquit, inter mulctam & pœnam interest. Pœna enim generale nomen est, vt quod tam pecuniarias

g § pœna. Institu. de oblig. quæ ex delic. nascun.
h l. licet capitalis. de verb. significa.
i l. iij. & vlti. C. de mo. mulct.
k l. ij. & iij. C. eod.

quàm criminales pœnas complectatur. Itaque qui pœnam dicit, & pecuniariam & criminalem indicat. Aut quoniam omnia certa ac præfinita crimina & delicta lege puniuntur, ac omnibus pœna irrogatur, propterea pœna nomen dicitur generale. Est autem pœna animaduersio seu emendatio, punitio & coërcio omnium delictorum. Vbi etiam omnia crimina delicta appellauit. At accurata iuris distinctione, alia sunt delicta, vt furtum, dolus, & cętera id genus: alia crimina, cuiusmodi sunt adulterium, cædes, sacrilegium, perduellio, & eius farinæ reliqua. Verùm hoc loco non sese huic exactę nominum distinctioni Iuriscõsultus addixit, sed delicti nomen etiam de criminibus vsurpauit. Pœna itaque generaliter omnia plectit & coërcet tam delicta quàm crimina. Mulcta autem generalis non est, sed in quædam specialiter delicta animaduertit, vt si quis impudenter se in iudicem gesserit, aut si patronus dolũ in patrocinio suo admiserit, potest hos iudex mulctare. Præterea pœna (sicut & antè diximus) & criminalis est & pecuniaria: mulcta verò solùm est pecuniaria. Ac pœna quidem lege præfinita est, & lex eam irrogat, etsi iudex eius modum non expresserit. Vt si iudex quem furti, doli, aut cædis, aut alicuius alius admissi delicti vel facinoris damnârit, etiamsi apertè pœnam nõ irroget, hoc tamen nihil obsit. Simul enim atque delictum damnauit, consequitur tacitè & ei præfinita pœna, licet nihil iudex dixerit, datque aut patitur eius delicti damnatus, id quod lege definitum est. Mulcta autem nisi aut à iudice cum eam irrogat, aut à contrahentibus eius modus præscriptus fuerit, aliunde præfiniri & intelligi non potest, quàm ex dicentis arbitrio. Tantam siquidem mulctam is dat cui est irrogata, quantam iudex dixerit, dum æqua sit & rationi consona, aut quanta contrahentibus visa fuerit.

a *l. si qua pœna. de verb. significa.*

De pœna [a] prouocatio non est, sed simul atque damnatus quis est, pœnæ legibus statutæ subiacet. Est autem maleficij cuiusque pœna lege statuta. At mulctæ prouocatio est, nec antè debetur, quàm si is dixerit cui dicere licet, & eius sententiæ statum fuerit, aut prouocator victus fuerit. Ac iudicis potestas est quantam dicat mulctam, nisi cum lege constitutum est, quantam dicat.

SCHOL.

Præsens caput, aliud subiicit mulctæ ac pœnæ discrimen. Hoc ergò intellige. Sunt species nonnullę, in quibus lex appellationem non recipit, vt si quis litigans debitum [b] fateatur, dicatque se verè nummos qui à se exiguntur debere, hic conuentus & damnatus appellationem non habet. Quid enim iam hac in re emendet appellatio? Rursum si quis litigans inopia probationum laboret, ac iusiurandum detulerit, & iudex statuerit per solum iusiurandum de calumnia [c] dirimi controuersiam, neque hîc prouocandi locus est. Sunt & alia pleraque, quæ prouocationem non admittant. Inter quæ est & præsens caput. Statuit enim à pœna non esse prouocationem. Hoc est si in quempiam inciderit iudex, qui manifesti furti sit conuictus, & dixerit se ei pœnam furis manifestarij legibus statutam irrogare, nimirum quadruplum, haud quaquam potest damnatus dicere, sibi iniuriam fieri, ac ideò appellare. Neque enim audietur, neque in aliud iudicium causa reiicietur, tanquam fortasse data appellatione. Sed quoniam aperta est pœna, legéque definita ac expressa, simul atque lis est finita ac lata sententia, eam præstabit. Suam enim maleficio cuique lex pœnam statuit: vt furi, hoc dare: ei qui dolum fecit, hoc vel illud dare aut pati. Et generaliter vnumquodque maleficium certam habet ac lege statutam pœnam, quemadmodum fusius præcedenti capite est expositum, adiectis etiam exemplis. Qui ergò certa & legibus præscripta pœna damnatur, verbi gratia, vt aut infamia notetur, aut occidatur, aut membrum ei aliquod excidatur, aut quadruplim duplúmve præstet, velut manifestarius aut nec manifestus fur, prouocare nequit ac dicere se iniuria affici. Quî enim fieri potest, vt iniuria afficiatur, qui à lege statuta pœna damnatur? Cæterùm quæ dicta sunt intellige, cum quis vt fur quidem, aut aliquo alio admisso maleficio damnatus fuerit, & iudicium ipsum ratum habuerit, nec de eo questus fuerit, sed non esse à lege statutum

b *l. vnic. C. de confess. l. vlt. quor. appella. non recip. & toto illo titu. C.*

c *De quo in tit. de iu. prop. calumn. C.*

tutum dicat,vt quadruplum præstet. Tum enim non audietur. Simul enim atque dictum fuerit hunc manifestarium furem conuictum, protinus à lege damnatur tacitè, vt quadruplum det, etsi nihil iudex expresserit. Propterea siquidem à pœna non est prouocatio, quòd non iudex eam irrogat, vt dici posit eum iniuriã fecisse,aut per imperitiam damnasse, sed lex ipsa. Quòd si quis in iudicium actus ac damnatus fuerit, vt fur, adulter, aut alio delicto admisso, de quo pœnas leges poscunt,& de toto queratur iudicio, rectè sanè prouocat. Ac à pœna propter iam expositas causas prouocationi locus non est. At à mulcta, quia nihil de ea certò & apertè lex statuit,sed pro arbitratu suo eam iudex infligit, vnde & iniuriam facere,& imperitia nimiam potest,ac immodicam irrogare, est prouocatio. Sæpe autem omnino non valet dicta mulcta. Dixi enim proximo capite,non cuilibet iudici mulctæ dicendæ facultatem esse, sed quibus duntaxat lex apertè hanc tribuit, qui & competentes dicuntur iudices ad mulctam irrogandam. Si quis ergò iudex cui lex aut omnino dicendæ mulctæ facultatem denegat, aut minoris potestatem facit,præter legis præscriptum mulctam irroget,non valet,neque exigitur mulcta eiusmodi, propterea quòd non erat ille iudex competens & mulctæ dicendæ accommodus. Sin damnatus vel sententiæ acquieuerit, vel cum prouocasset victus fuerit,ostensumque sit rectè ei & iustè mulctam irrogatam fuisse, eam persoluet. Præterea quod & suprà exposuimus,& apertè lex dicit,pœna quidem lege statuta est: mulctam verò pro arbitratu suo iudex infert. Vt si quis in iudicem deliquerit, & huic velit iudex mulctam dicere,facultatem habet dicendæ ei mulctæ quantam libuerit. Sed ita,nisi & fortè à lege mulcta est statuta, hoc est nisi notanter lex dixerit, debere eum qui hoc patrârit maleficium, illud pendere. Verbi gratia,inquit lex,datas arras [a], si quidem ab eo qui dedit rescinditur contractus, eius qui accepit lucro cedere, mulctæ scilicet nomine: sin ab eo qui accepit, duplas reddi, hoc est & datum arrarum nomine, & insuper tantundem. Hæc ergò cùm sit lege præfinita mulcta, huic iudex acquiescet, neque ab ea iuxta ea quæ antè obseruauimus, appellare licebit.

*

FINIS SEXTI LIBRI.

a Instit. de empti. & vendit. §. j. in fin.


ENRY Par la grace de Dieu Roy de France, au Preuost de Paris, Bailly de Rouē, Seneschaux de Lyon, Tholose, Bordeaux & à tous noz autres iusticiers & officiers & à chascū d'eux salut. Nostre amé & feal IEHAN MERCIER lecteur de par nous en nostre vniuersité de Paris, nous a fait remonstrer que puis-nagueres il a traduit de Grec en Latin vng certain liure ainsi intitulé, *Constātini Harmenopuli Iudicis Thessalonicensis Promptuarium iuris ciuilis Latinè redditum per Iohannem Mercerum professorem Regium Lutetiæ:* Lequel liure iceluy suppliant desireroit voluntiers faire imprimer d'impresion belle & correcte. Et pour ce faire entend choisir vng bon & diligent Imprimeur, qui face la-dite impresion à l'honneur de luy & dudit exposant traducteur. A' ceste cause il nous auroit supplié de vouloir donner au-dit Imprimeur qui fera la-dite impresion priuilege suffisant pour le recompenser du temps & despense quil luy conuiendra mettre en faisant la-dite impresion, & sur ce luy ottroyer noz lettres necessaires. POVRQVOY nous ce consideré voulans traitter fauorablement le-dit exposant, à iceluy auons permis & ottroyé, permettons & ottroyons par ces presentes, voulons & nous plaist de nostre grace speciale, plaine puissance & autorité Royal, qu'il puisse & luy loise par tel Imprimeur que bon luy semblera faire imprimer ledit Promptuaire de droit par luy traduit, sans ce que pēdant & durant le temps & terme de dix ans ensuyuans & consecutifz à cōmēcer du iour & date que le-dit liure sera cy apres acheué d'imprimer, autre que le-dit libraire & Imprimeur qui aura charge & mandemēt expres de ce faire par le-dit MERCIER puisse imprimer ne mettre & exposer en vente les-ditz liures qui seroient ailleurs imprimez en quelque lieu & endroit de nostre Royaume que ce soit, sur peine d'amende arbitraire à nous & au-dit Mercier à applicquer, & de confiscation de tous les-ditz liures qui ainsi se trouueront imprimez sans charge & mandemēt du-dit Mercier. SI VOVS mandōs & à chascun de vous sur ce requis si comme à luy appartiendra, que de noz presentes permision, concesion & ottroy, & de l'effet & contenu en icelles vous faites, permettez & souffrez le-dit exposant iouir & vser plainement & paisiblement, sans en ce luy mettre ou dōner ne souffrir estre fait, mis ou donné aucun empeschement au contraire: lequel si fait, mis ou donné luy estoit faites mettre incōtinent & sans delay à plaine & entiere deliurance: car ainsi nous plaist il estre fait, nonobstant quelconques lettres à ce contraires.

Donné à Paris le douziesme iour de Nouembre, l'an de grace mil cinq cens cinquantequatre: & de nostre regne le huitiesme.

Par le Roy, le seigneur de l'Hospital maistre des requestes de l'hostel present.

Ainsi signé, De Lomenie.

INDEX TITVLORVM HVIVS LIBRI, ORDINE ALPHABETI.

FINIS PRIMI INDICIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Cog

in

Spol

FINIS INDICIS.

